THOMISTARUM TRIUMPHUS ID EST SANCTORUM AUGUSTINI ET THOMAE GEMINI...

Charles : de Bryas

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14 4
17 D
8 17

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Platel Jacoby Ord. M. ...
Philalethes Germanus

43.3.32
43 E 32
43 D 40

Digitized by Google

THOMISTARUM TRIUMPHUS
ID EST SANCTORUM
AVGVSTINI ET THOMÆ
GEMINI ECCLESIÆ SOLIS
SVMMA CONCORDIA.

I. De Scientiâ Mediâ. II. De Naturâ purâ, ſeu duplici Dei amore. III. De Libertate. IV. De Contritione. V. De Probabilitate.

PER GERMANVM PHILALETHEN EVPISTINVM

INCLYTIS ALMÆ SOCIETATIS JESU PROFESSORIBUS DEDICATA.

TOMVS PRIMVS

Complectens opuſculum primum, cuititulus,

SCIENTIA MEDIA AD EXAMEN REVOCATA.

EDITIO SECVNDA.

Multis additionibus illuſtrata, & refutationibus IUNIORIS MOLINISTÆ *ab Authore corroborata.*

CVM APPROBATIONIBVS DOCTORVM Geminæ Belgii Univerſitatis, Lovanienſis, & Duacenæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DUACI,

Typis BALTAZARIS BELLERI, Sub Circino aureo.

Anno 1672.

Digitized by Google

INCLYTIS
ALMÆ SOCIETATIS IESV
PROFESSORIBVS.

PErcogitanti mihi, cui noſtram dedicarem gemini Eccleſiæ Solis Concordiam, occurriſtis vos, INCLYTI ALMÆ SOCIETATIS JESU PROFESSORES. Exigebat præſens Concordia Thomiſtam, cum ſit Thomiſtarum Triumphus; & verè Triumphus, quia ſolâ à S. AUGUSTINO diſſentione Angelica poterat vinci Doctrina. Vincunt igitur Thomiſtæ, ac de ſuis inimicis triumphant, dum unam eſſe perhibent Diſcipuli & Magiſtri Doctrinam. Exigebat & publicum profeſſorem, cum juxta ſapientem theſauri inviſi & ſapientiæ abſconditæ nulla ſit utilitas. Vos, REVERENDI PATRES, Thomiſtæ eſſe debetis, ſi conſtitutiones veſtras conſulamus, in quibus parte 4. cap. 14. §. 1. ſic dicitur: *In Theologiâ legetur vetus & novum teſtamentum, & Doctrina ſcholaſtica D. Thomæ.* Eſtis & publici profeſſores, ſi conſideremus Cathedras ſuper quas toto terrarum orbe ſedetis non ſine magnâ diſcipulorum frequentiâ. Vobis igitur, INCLYTI ALMÆ SOCIETATIS JESU PROFESSORES, & ex debito Thomiſtis & in publico Profeſſoribus congruentiſſimè dedicatur Concordia noſtra; ut per ora veſtra Thomiſtico quo obligamini affectu in omnem terram exeat ſonus illius. Unum ſe opponebat, quòd contrarium ubique doceatis. Verùm hoc ipſum eſt, quod me maximè allicit ad vobis, REVERENDI PATRES, conſecrandam Concordiam, cujus ſcopus eſt, proſciptione Scientiæ Mediæ ſtabilire gratiam, quæ rebelles compellit voluntates non coactionis neceſſitate, ſed amoris libertate: non determinando ad unum, ſed poteſtatem ſervando ad oppoſitum. Etenim cujuslibet Cordati appello judicium, quid minùs habet *libertas prævolita*, quàm *libertas præſcita*? In quo magis adverſatur libertati cauſa libertatis, quàm effectus? Nuſquam in bonis geminus Eccleſiæ Sol diſcrevit inter *libertatem prævolitam*, & *libertatem præſcitam*; nec in eis minùs patentem agnovit Dei voluntatem, quàm divinam præſcientiam. Id

Digitized by Google

ipſum olim nobiſcum ſentiebatis; ſed diviſit nos veſter Molina, qui plus donans rationi, quàm authoritati, viam novam ſibi effinxit, quam reclamantibus amicis, tam domeſticis, quàm extraneis, ſequuti poſtmodùm eſtis. An non modò potentior erit veritas, quæ in præſenti Concordiâ clamitat ad vos, ut abnegantes privati ſcriptoris Doctrinam ad TUTISSIMA ET INCONCUSSA UTRIUSQUE SOLIS DOGMATA tranſeatis. Sat datum novitati, redeat antiquitas; ſat datum poteſtati, vincat modò veritas. Jeſuitas dilexi, Moliniſtas autem odio habui; in illis perſonam, in iſtis doctrinam; in illis religionis perfectionem, in iſtis Scientiæ novitatem; in illis denique tremebundum adoro Authoris gratiæ nomen & numen, in iſtis gemebundam deploro ipſius gratiæ à S. AUGUSTINO invictè defenſæ impugnationem, & ſubjectionem. Quidni deplorarem? Nam qui ad tuendam gratiam JESU tam idonei, quàm qui Societatem inière cum JESU? Nullo igitur malo Religionis affectu, ſed amore veritatis verè germano, ac bonæ fidei pleno, hanc vobis offert Concordiam GERMANUS PHILALETHES EUPISTINUS.

APPROBATIO ORDINARII.

THomiſtarum Triumphus, ſivè SS. AUGUSTINI & THOMÆ *ſumma Concordia per Germanum Philalethen Eupiſtinum intentata, ſummè mihi placet. Ejuſque Tomum primum conplectentem opuſculum, cui titulus,* Scientia Media ad examen revocata, *ante à me approbatum, vidi multis additionibus illuſtratum, nec non* JUNIORIS MOLINISTÆ *refutationibus clarè ac ſolidè corroboratum; nihilque fidei aut bonis moribus habere adverſum: ideoque novo prælo dignum cenſeo. Datum Duaci 25. Octobris. Anno* 1672.

NICOLAUS JOSEPHUS DE LA VERDURE *S. Theol. Doctor, & Regius Ordinariusque Profeſſor.*

Digitized by Google

TOMVS PRIMVS
COMPLECTENS OPVSCVLVM PRIMVM,
CVI TITVLVS,
SCIENTIA MEDIA
AD EXAMEN REVOCATA,
PER GERMANUM PHILALETHEN
EVPISTINVM.

EDITIO SECVNDA.

Digitized by Google

APPROBATIONES DOCTORUM *EX GEMINA BELGII UNIVERSITATE,* LOVANIENSI ET DUACENA.

DAmus tibi, CORDATE LECTOR, adunatam ex duabus celeberrimis Belgii Academiis Doctorum aliquorum ſententiam in prioris noſtri opuſculi approbationem conſpirantem, qui non exosâ quadam novitatis aviditate exquiſitum quidpiam nos promere decernunt; ſed genuinam SS. AUGUSTINI & THOMAE doctrinam non aliis retrò ſæculis incognitam, ſed perpetuâ annorum ſerie à pleriſque D. THOMAE aſſeclis traditam propoſuiſſe affirmant. Et certè in ſcientiis aliis novum quidpiam extuliſſe non illaudatum, in quibus, quæ vocant principia à congenito rationis lumine nonnihil remota, nutare frequenter compertum eſt; ut in ſubſtitutis aliis, ſi certitudo non major, veriſimilitudo non minor appareat. At verò in negotio Theologico novitatis nomen tam odioſum, quàm errori proximum: quippè quòd inter rationem humanam, & veritatem primam exſtat medium: ita ut ab hac infallibili principiorum normâ, ſi vel hilum recedas, ad illam declines neceſſe eſt, & relicto divinæ ſapientiæ fonte, ex corruptâ fervore concupiſcentiæ ſentinâ ſpurium larvatę veritatis liquorem haurias, quo intoxicatus ſenſim ſine ſenſu in abrupta falſitatis te dabis præcipitem: cujus exempla noſtris temporibus ſi frequentia non fuiſſent, non toties ſæculum hoc ad inverecunda neothericorum in moralibus effata exhorruiſſet. Quod nos præſertim exſtimulavit, ut ſi quidquam de concordiâ SS. AUGUSTINI & THOMAE quoad auxilia naturæ integræ & gratiam ſufficientem tentaremus, non id ex captu proprio, nec inani ſolius rationis humanæ commento, ſed propoſitâ utriuſque ſanctiſſimi Doctoris, & celebriorum eorum interpretum doctrinâ, ſi quid lucis oſtenſum, illam non aliundè conquiſitam eſſe, ſed ab utroque Eccleſiæ Sole derivatam utriusque aſſeclis probè perſpectam ſincero veritatis amatori pateret. Et patuit certè eventu præter ſpem opportuno, & doctiſſimi quique rem illam ut in votis erat nobis ſucceſſiſſe profeſſi ſunt, quorum aliqua hîc teſtimonia ſubjiciemus doctrinę traditæ ſoliditatem commendantia, quibus apertè comprobetur, id celeberrimis toto orbe Academiis receptum, THOMAM in AUGUSTINO

legendum eſſe, diſcipulum in Magiſtro: & nullibi puriores radiantis AUGUSTINI ſplendores excipi, quàm in ANGELICO PRAECEPTORE NOSTRO.

EX UNIVERSITATE LOVANIENSI.

Approbatio.

R. P. F. AMBROSII NACHTEGAEL, *Ordinis Prædicatorum S. Theologiæ Doctoris & profeſſoris, & Studii Generalis Lovanii Regentis primarii, cum duobus aliis ejuſdem ordinis profeſſoribus, & Sacræ Theologiæ Licentiatis.*

NOs infraſcpti cum magnâ attentione & voluptate legimus, ac diligenter examinavimus librum, cui titulus eſt *Scientia Media ad examen revocata per Germanum Philalethen Eupiſtinum*, & in illo nihil fidei, aut bonis moribns contrarium reperimus, ſed ſanam, & ſolidam, ubique doctrinam. Quarè cum prælo omnino dignum cenſemus, eò vel maximè, quòd pro irrefragabili CONCORDIA circa prœmotionem phyſicam & gratiæ ab intrinſeco efficacis pro utroque naturæ ſtatu neceſſitatem, inter utriuſque Eccleſiæ Solis SS. AUGUSTINI & THOMÆ Aquinatis diſcipulos ſtabiliendâ, nihil hactenùs accomodatiùs, & ſolidiùs, in lucem editum eſſe viderimus. Datum Lovanii 11. Decembris 1670.

F. AMBROSIUS NACHTEGAEL, *Ord. Predicat S. Theologiæ Doctor & Profeſſor, & Studii generalis ejuſdem ord. Lovanii Regens primarius.*

F. THOMAS VAN GODTSNOVEN, *Ejuſd. Ord. S. Theologiæ Licentiatus & Studii Generalis Lovanii Regens.*

F. ALBERTUS KLEINEN, *Ejuſd. Ord. S. Theologiæ Licentiatus, Magiſter Studii, & S. Scripturæ Profeſſor.*

Digitized by Google

APPROBATIONES

Approbatio.

R. P. F. Martini Harney, *S. Ord. Fr. Prædicatorum, S. Theologiæ Doct. & Profeſſoris.*

SCientia Media ad examen revocata per *Germanum Pl ... ethen Eupiſtinum*, Germanè, veraciter, ac bonâ fide oſtenditur, ſublato fuco, non inutilis modò, ſed & noxia: dumque favere videtur libertati humanæ, præjudicare divinæ. Et Concordia, quam idem Auctor pro utroque ſtatu hominis tum integri, tum vulnerati inter Anteſignanorum divinæ gratiæ Doctorum Augustini & Thomae inconcuſſa, tutiſſimaque dogmata intercedere adſtruit, ita hîc (meo quidem judicio) feliciter tentata; faciliter declarata, firmiterque comprobata est, ut poſtquam ſedulò totum perpendi, non poſſim non plurimùm approbare ingenium, judicium, & ſtudium Auctoris, optemque hoc maximè, ut qui legit, intelligat. Datum Bruxellis 17. Novembris, 1670.

F. Martinvs Harney S. *Ord. Prædicatorum, S. Theol. Doctor & Profeſſor.*

Approbatio.

R. P. F. Prosperi de la Fleche *S. Theol. Baccal. Format. Monaſterii Parcenſis S. Ord. Præmonſt. Canonici Norbertini ac S. Theol. Lectoris.*

EXamen hoc, ad quod velut ad lydium lapidem, revocata eſt Scientia Media Moliniſtica, exactiſſimè illam divinæ gratiæ inimicam oſtendit, ac S. Augustino Eccleſię firmamento & D. Thomæ Doctori Angelico, repugnantem inviciſſimè demonſtrat. In quo Philalethes quàm ſit Auguſtinianæ ac Thomisticæ doctrinæ ſectator verè *Germanus* ex eo vel maximè conſtat, quòd nullâ novitatis pruriente titillatione commotus, ſed ſinceritatis ac veritatis ardore ſuccenſus ejus turpitudinem non ex propriis placitis, ſed ex *inconcuſſis tutiſſimiſque Dogmatibus* utriuſque Solis

Augustini

Digitized by Google

AUGUSTINI & THOMÆ revelet, haud ignorans JOANNIS PAPAE I. dictum, *ſui impugnatorem eſſe, qui Patres inſequitur, aut detrahere non formidat.* Quod minimè intellexiſſe videtur Moliniſtarum Patronus, dum collocavit in obſcuris caliginoſi modii, lucernam illam ardentem & lucentem AUGUSTINUM, videlicet eum ſub caligine fuiſſe aſſerendo. Quaſi verò, ut cum BERNARDO loquar, *novus iſte novarum inventor aſſertionum, & aſſertor inventionum invenire rationem potuerit quæ* AUGUSTINUM vel THOMAM *latuerit.* At meliùs & religioſiùs illo PHILALETHES, qui apprimè ſciens cum Vincentio Lirin. *Morem iſtum in Eccleſia ſemper viguiſſe, ut quò quiſque foret Religioſior, eò promptiùs novellis adinventionibus contrairet, idque eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ & gravitatis, non ſua poſteris tradere, ſed à majoribus accepta ſervare,* contra paucos illos juniores Theologos (qui, ait Azorius, ut voluntatem noſtram liberam faciant, faciunt ſacrilegam, dum negant Deum libera noſtra opera bona prædefinire) apprehendit arma & ſcutum non ex proprio, ſed ex SS. AVGVSTINI & THOMÆ armamentario, & tanquam *Spiritalis Tabernaculi* medicinalis gratiæ Chriſti *Beſeleel pretioſas divini dogmatis gemmas exſculpens, fideliter coaptat, adornat ſapienter, adjicit ſplendorem, gratiam, venuſtatem, ut intelligatur eo exponente illuſtriùs, quod anteà obſcuriùs credebatur, ac per eum poſteritas intellectum gratuletur, quod antè vetuſtas non intellectum venerabatur. Eadem tamen quæ in ſcholâ* SS. AUGUSTINI & THOMÆ *didicit, ita docens ut dum dicit novè, non dicat nova.* Datum in Abbatiâ noſtrâ Parcenſi hâc ord. Præmonſtrat. 14. Decembris anno Domini. 1670.

F. PROSPER DE LA FLECHE, S. *Theol. Baccal. Format. Monaſterii Parcenſis. Ord. Præmonſt. Canonicus Norbertinus ac S. Theol. Lector.*

Digitized by Google

EX UNIVERSITATE DUACENA.

Approbatio.

EXIMIJ DOMINI D. JACOBI RANDOUR *S. Theologiæ Doctoris, Profeſſoris Regij & ordinarij, Seminarij Epiſcoporum præſidis.*

Nec non EXIMIJ D. D. NICOLAI JOSEPHI DE LA VERDURE *S. Theologiæ Doctoris, & Profeſſoris Regij & ordinarij, inſignis Eccleſiæ Collegiatæ D. Petri Canonici, Collegij Regij Regentis.*

LEgimus & diligenter examinavimus librum, cui titulus eſt, *Scientia Media ad examen revocata per Garmanum Philalethen Eupiſtinum*, in quo nihil ſanæ doctrinæ, aut bonis moribus contrarium reperimus, ſed in eo clarè, & invictè probatum vidimus Scientiam Mediam ab omnibus rejiciendam, tùm ut omnipotentiæ Dei parùm conformem, tum ut principiis SS. AUGUSTINI & THOMÆ, quorum nuper Alexandro VII. fuere INCONCUSSA TUTISSIMAQUE DOGMATA, evidenter repugnantem; atque CONCORDEM de neceſſitate prædeterminationis phyſicæ in omni ſtatu ad omnem actum, etiam illum, qui eſt materiale peccati, utriuſque Eccleſiæ Solis MENTEM ita ſolidè & ſubtiliter ſtabilitam perſpeximus, ut verè THOMAM IN AUGUSTINO & AUGUSTINUM IN THOMA loqui, omnem Cordatum Theologum agnoſcere neceſſe ſit. Quarè eum prælo planè dignum cenſemus. Datum Duaci die 1. April. 1671.

JACOBUS RANDOUR *S. Theologiæ Doctor & Profeſſor Regius & ordinarius, Seminarij Epiſcoporum Præſes.*

NICOLAUS JOSEPHUS DE LA VERDURE *S. Theologiæ Doctor, & Profeſſor Regius & ordinarius.*

Digitized by Google

Approbatio.

EXIMIJ AC REVERENDI ADMODUM PATRIS P. F. ANGELI HENNOTELLE S. *Theologiæ Doctoris & Conventus Tornacenſis Fr. Prædicatorum Prioris.*

SCientiæ Mediæ in hoc opere ad examen revocatæ deformitas per Germanum Philalethen Eupiſtinum ſubtiliter manifeſtatur, inutilitas deprehenditur, & impoſſibilitas ſolidè declaratur, CONCORDIBUSQUE utriuſque Solis Eccleſiæ Sanctorum AUGUSTINI & THOMÆ fundamentis & authoritatibus tam acutè rejicitur, ut non ſolùm utriuſque illius Solis diſcipulos CONCORDARE: ſed & Theologum omnem cordatum reddere valeat Scientiæ illius Mediæ exploſorem, & prædeterminationis Phyſicæ, ad omnem omnino actum neceſſariæ, propugnatorem. Dabam Tornaci 11. Maij. 1671.

ANGELUS HENNOTELLE *S. Theol.* DOCTOR, *& Conventus Tornacenſis ord. Fr. Prædicator. Prior.*

Approbatio.

EXIMIJ AC REVERENDI ADMODUM DOMINI D. FRANCISCI DE BETHENCOURT *S. Theol. Doctoris, S. Ord. Sanctiſſimæ Trinitatis in Belgio Provincialis, ac Conventus Duaceni Miniſtri.*

EGo infraſcriptus Artium, & ſacræ Theologiæ Doctor, Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis de Redemptione Captivorum totius Belgij Provincialis, & Conventus Duacenſis Miniſter, Legi libellum, cui titulus, *Scientia Media ad examen revocata per Germanum Philalethen Eupiſtinum*, iſque mihi viſus eſt nedum orthodoxam & genuinam Sancti Angelici Doctoris Divi THOMÆ doctrinam continere, ſed vel maximè ad vendicandum tantum Eccleſiæ Doctorem & Theologiæ ornamentum AB ADULTERATÂ DOCTRINÂ, quę ipſi à quibuſdam imputatur, neceſſarium judicavi. Datum Duaci hac 16. Aprilis 1671.

F. DE BETHENCOURT, *Provincialis.*

Digitized by Google

Approbatio.

S. THEOLOGIÆ PROFESSORUM *S. Ordinis Eremitarum* D. AUGUSTINI.

PErlectus hic à nobis PHILALETHES *Scientiam Mediam* ad examen accuratè revocat; nihil larvæ, nihil habet fuci, nec aliud nomine præfert quàm reapſe exprimit, ſincerum nempè ſe veritatis amatorem, dum bonâ itidem ac germanâ fide, Scientiæ illius deformem, quia à ſincero & ſano SS. Patrum ſenſu degenerem, hodie aſſertionem, mediâ in luce propalat, ejuſdemque ad vanitatem ſpecioſa pigmenta ſic exponit, ut deductâ jam larvâ nemo non videat, quàm fœliciter, Eccleſiæ Solis utriuſque DD. AUGUSTINI & THOMÆ lucem, in ſe Cordatus Theologus derivet; infœliciter verò & fruſtrà alius quicumque tenebras iiſdem offundere ſtudeat. Eapropter dignus viſus eſt, qui ad plurium deinceps ſeu Cordatorum, ſeu aliorum quorumvis, eruditionem & lucem, iterati præli beneficio ac commodo in lucem redeat. Datum Duaci in S. AUGUSTINO 22. Novembris 1670.

F. ANTONIUS DOUCHÈ S. *Theol. Profeſſor & Studii Auguſtiniani Duaci regens.*

F. CHRISTOPHORVS DE LABBALETTRIE *ejuſdem ſtudii Profeſſor.*

Approbatio.

S. THEOLOGIÆ PROFESSORUM *S. Ord. Carmelitar. Excalceatorum.*

HIc liber (cui titulus eſt *Scientia Media ad examen revocata per Garmanum Philalethen Eupiſtinum*) tantum abeſt ut aliquid fidei aut ſanæ doctrinæ diſſonum contineat, quin potiùs exhibet dogmata utriuſque Eccleſiæ Solis conſona, atque adeo tutiſſima & inconcuſſa. Etenim vix aliquid in toto ſuo opuſculo adducit, quin illud ſemper clariſſimis eorum

Digitized by Google

teſtimoniis fulciatur ac roboretur; Scientiam Mediam omnipotentię divinę parum conformem, ac principiis utriuſquæ Eccleſiæ Doctoris SS. AUGUSTINI & THOMÆ repugnantem eſſe, clariſſimè ac ſolidiſſimè evincit: GRATIAM autem VICTRICEM AC PRÆDETERMINANTEM inconcuſſis fundamentis ſtabilit, & ſtabilitam ab Adverſariorum impugnationibus firmiſſimè vindicat: R. P. Annati cavillis occurrit, diluit ſophismata, ac tandem Adverſarium ſuum contradictionibus involuens, propriis armis confodit: porrò principia ſuggerit, quibus nedum utriuſque ſcholæ Diſcipuli ad CONCORDIAM revocari poſſint, ſed etiam quibus præcipuę quę in Theologicis moveri ſolent difficultates facili negotio diſſolvantur. Undè opus illud iterato prælo dignum, & illibatæ veritatis amatoribus gratiſſimum fore cenſemus. Datùm in Conventu noſtro Duaceno FF. Carmelitarum Excalceatorum die 2. Maij 1671.

F. JOANNES A CRUCE *deffinitor Provincialis & ſacræ Theologiæ Prælector.*

F. DOMINICUS A S. MARIA, *S. Theolog. Prælector.*

Approbatio.

EX THESIBUS COLLEGIJ VEDASTINI, *Ord. S. Benedicti, Præſide R. D.* ANTONIO CHASSE, *ejuſdem ordinis & S. Theol. Profeſſore, approbatis à famoſiſſimo per totum orbem divini verbi concionatore & ſcriptore elegantiſſimo R. P.* SENAULT *totius Congregationis Oratorij Generali.*

TOtam Philalethis doctrinam nuper in Theſibus publicis perdoctè, & cum auditorii graviſſimi & frequentiſſimi applauſu, ſuſtinuere Religioſi vedaſtini ordinis S. Benedicti, Pręſide perdoctiſſimo R. D. ANTONIO CHASSE ejuſd. Ord. S. Theologiæ Profeſſore, ex quibus quatuor aſſertiones ſubjiciemus.

XV. GRATIA PRÆDETERMINANS IN NATURA SANA.

DE diverſitate auxiliorum naturæ lapſę, & ſanę, idem ſapiunt S. AUGUSTINUS & THOMAS. Tale aute auxilium habebat primus homo, quo-

Digitized by Google

poterat ex præſuppoſito actu dare ſibi in particulari operabili amorem juſtitiæ, ſicut poteſt quilibet loqui, currere, &c. ad quod non requiritur aliud, quàm PRÆDETERMINATIO UNIVERSALIS, cum quâ ſtat actum ad quem eſt illa prædeterminatio eſſe ſpecialiter in poteſtate liberi arbitrii. In naturâ vero infirmâ quia voluntas incipit bonum velle, quæ prius ex originali infectione malum volebat, indiget auxilio SPECIALIS PRÆDETERMINATIONIS quâ fit ut actus tribuatur Deo *applicativè* quamvis *elicitivè* ſit à voluntate, & liber, ſi cum indifferentiâ objectivâ eliciatur.

XVI. Natura Lapsa.

PEr peccatum Adami amiſit homo omnia dona originalis juſtitiæ & contraxit privationes in ſingulis partibus, in quibus erat ante perfectio, undè rebellante appetitu contra partem rationalem privatam vigore juſtitiæ, amor delectabilium prævenit rationem, quæ impotens eſt in particulari operabili dare ſibi amorem juſtitiæ, quem utique non habebit, niſi accipiat ſpeciali auxilio GRATIÆ VICTRICIS ET PRÆDETERMINANTIS. Voluntate igitur non bonâ permanente, periit poteſtas applicandi ſe ex proprio conſilio ad bonum, undè ad malum ſemper ſe voluntas applicabit, ſi GRATIA VINCENTE CONCUPISCENTIAM non præveniatur. Hæc autem gratia eſt SPECIALIS PRÆDETERMINATIO.

XVII. Natura Pura.

ESt natura conſiderata, pro ut condiſtincta contra omne donum gratuitum ordinis, tum naturalis, tum ſupernaturalis, & quidem Deum hominem potuiſſe creare non ordinatum ad claram Dei viſionem certum putamus: quo caſu homo ad finem,& beatitudinem dumtaxat naturalem deſtinatus fuiſſet, ſine dono immortalitatis naturæ in illa hypotheſi plane indebito. An verò tunc natura pura fuiſſet? nos inficiamur: ſiquidem ſuper addendum fuiſſet illi donum ſpeciale naturalis ordinis, ſupplens carentiam ſubordinationis partis inferioris ad ſuperiorem, naturæ indebitum, debitum providentiæ; quo ſenſu NATURA PURA EST IMPOSSIBILIS.

XXVI. Possibilitas mandatorum.

DEus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis: undè præcepta Dei ſunt abſolutè, ſimpliciter homini poſſibilia, quæ poſſibilitas conſiſtit in duobus: ſcilicet in creati arbitrii libertate, & AUXILIO DEI PARATO,

quod homo poteſt repellere. In naturâ lapsâ GRATIA QUANTUMCUMQUE SUFFICIENS, NON DAT POSSE PENITUS COMPLETUM, ſed hoc fit à gratiâ efficaci, quæ eminenter hoc ſenſu eſt ſufficiens, & dat poſſe, ſed ab actu indivulſum, quod ſecus ſe habet in naturâ ſanâ. Ex quo varia ſcripturæ, & SS. loca in ſpeciem pugnantia in Eccleſiæ orationibus uſurpari ſolita facilè conciliabis.

Quæ aſſertiones eò majoris ſunt ponderis, quò eas approbavit famoſiſſimus per totum orbem divini verbi concionator & ſcriptor Elegantiſſimus R. P. SENAULT totius Congregationis Oratorij Generalis, ut videre eſt ex Epiſtolis ſubjectis.

Copie d'une lettre eſcritte de Paris le 25. Mars.

M*On tres-Cher Confrere. La grace de Ieſus ſoit avec vous pour jamais. Vos Theſes me furent rendues le meſme jour que je vous avois mandé que je ne les avois point recues, j'en approuve fort la doctrine, qui eſt celle de* S. THOMAS *que nous faiſons enſeigner dans toute la congregation de* . . . . . & en bas eſtoit dans l'original *Montreſcher confrere voſtre tres-humble & tres-affectioné ſerviteur* Senault *Preſtre de l'Oratoire.* Et la ſubſcription eſtoit *A Noſtre tres-cher confrere le Confrere Vanblotacque de l'Oratoire a Doüay.*

Copie d'une autre lettre du 15. d'Avril de Paris.

M*On tres-Cher Confrere la grace de Ieſus ſoit avec vous pour jamais, je vous remercie encore de* VOSTRE BELLE THESE DONT J'APPROUVE FORT LA DOCTRINE PARCEQU'ELLE EST DE S. THOMAS *&c.* . . . & en bas eſtoit eſcrit comme deſſus, avec la ſubſcription de meſme.

Concordat cum Originali, quod teſtor.

P. SALEMBIE Notarius Apoſtolicus.

SUpradictis approbationibus addimus aliam Profeſſorum S. Theologiæ ordinis Prædicatorum in Conventu Pariſienſi. Et pro coronide omnium, approbationem R. P. VINCENTIJ BARONIJ ſuis ſcriptis hoc ſæculo ſatis noti, ut hic unus pro pluribus ſufficiens foret.

Digitized by Google

Approbatio.

S. THEOLOGIÆ PROFESSORUM *S. Ordinis Prædicatorum Conventus Pariſienſis.*

INfraſcripti S. Theologiæ Profeſſores ordinis FF. Prædicatorum Conventus *S. Mariæ Annuntiat.* Pariſienſis, Perlegimus librum, cujus inſcriptio eſt *Scientia Media ad Examen revocata per Germanum Philalethen Eupiſtinum* &c. Anno 1670. Opus ſane ſuo authore dignum, nempe ſincero veritatis amico: cùm in eo ubique reluceat, ſingulari ſoliditate ingenii, & gratâ perſpicuitate explicata veritas Evangelicæ doctrinæ & Apoſtolicæ: firmentur antiqua & inconcuſſa SS. AUGUSTINI & THOMÆ dogmata de verâ Chriſti GRATIA FORTITER VICTRICE ET SUAVITER PRAEDETERMINANTE: utriuſque Solis Eccleſiæ ſplendoribus evacuatâ *Scientiæ Mediæ* caligine, & profligatâ novitate quam ipſe Molina lubens agnovit, ut deſinat novitas laceſſere vetuſtatem, ſicut monuit olim Cæleſtinus Pontifex: proindè cùm juxta divinum Chriſti Servatoris monitum non ſit lucerna ſub modio abſcondenda, dignum exiſtimamus opus ut omnibus veræ gratiæ amatoribus publicâ luce fulgeat. Pariſiis die decimâ nonâ Martii anno 1671.

F. HYACINTUS GRISOLET, *S. Theol. Profeſſor.*
F. JULIANUS a S. JOSEPH *S. Theol. Profeſſor.*

Approbatio.

EXIMIJ. R. P. VINCENTIJ BARONIJ *S. Ord. Prædicatorum Doctoris Theologi & Quæſitoris fidei Tholoſani.*

ROgatus ſum ab homine ignoto, authoris ignoti nomine, ſuffragium de *Scientiâ Mediâ ad examen revocatâ*. & quo certiùs darem ac ferrem judicium, libri lectionem accuratam meditabar: ſed duo mihi in mentem venerunt, quæ a propoſito me ferè deterrebant. Videbatur primùm ſupervacaneus

Digitized by Google

vacaneus fore labor, uti authoris in conſcribendâ, ita meus in relegendâ diſputatione de *Scientiâ Mediâ*, id eſt, de materiâ nedum ſubactâ, ſed prorſus exhauſtâ: quo de argumento ab octoginta annis ex omnibus Chriſtiani orbis academiis prope infiniti libri, & nuperrimè tres ex Duacenſi prodierunt, velut Cadmei milites invicem infeſti, qui perpetuò ſubnaſcantur & ſeſe conficiant. Adde, licet aliquod operis pretium & commodum rei litterariæ ſperes, illo recenti examine de vulgatiſſimâ & antiquâ quæſtione inſtituto: non potuit citra gravem æquitatis noxam, à me proferri judicium de eo opere, & Authore, quo cùm in eadem navi & causâ verſer, ita ut ſi improbem aut parcè laudem invidiæ nomine ſuſpectus fuero: vel præpoſteri in cauſam propriam ſtudii, ſi impensè & pro meritis eum commendem, qui ſeſe nobis adjunxit, eandem aleam aditurus. Hæc animum ſubjerunt, ſed ipſiuſmet operis lectio hos vanos timores longè abegit. Ne credas LECTOR hic crambem bis coctam obtrudi, & quæ alibi paſſim obvia ſunt nullo delectu congeri, aut aliena nullo Plagii pudore quaſi propria venditari, quibus laborant vitiis plurimi ſcriptores. Intactus, aut major eſt hic Germanus, qui veluti Scriba doctus de ſuo Theſauro Nova profert & Vetera: quaſi promuſcundus Vetera, Nova & ſingulari condit eruditione, qui antiquis ac ferè abſoletis dat gratiam & guſtum novitatis. Ut paucis abſoluam nihil ex ſcholâ ſubtilitatis, nihil ex antiquis patribus ſolidæ & tutæ doctrinæ de hoc intricatiſſimo argumento prætermiſſum, agnoſcet LECTOR, ſi experiri ſeriâ lectione placuerit. Ille quidem nullo ſui operis loco mei de eodem argumento editi mentionem facit: atque eo ſilentio, quo forte alii offenderentur, me demeruit, hoc nomine, quòd certiùs & ſinceriùs meum de ſe ſuffragium effecerit, ſemotâ ab animo LECTORIS ſuſpicione, ne vicem & laudem reponere viderer illi, à quo innominatus & illaudatus abivi: ut argumento ſit, me nihil hic dare gratiæ, ſed uni litare veritati, & cauſæ nobis cum AUGUSTINO communi. Unum rogo te, LECTOR ERUDITE, lege, & liber eorum, quæ de illo Authore ignoto teſtor, fidem abſolvet. Datum die 20. Februarii 1671.

F. VINCENTIUS BARONIUS, *Doctor Theologus & Quæſitor fidei Tholoſanus.*

Habes, CORDATE LECTOR; unanimem duodeviginti Doctorum & Profeſſorum conſenſum in commendandâ CONCORDIÆ NOSTRÆ antiquitate & ſoliditate, nec non in explodendâ *Scientiæ Mediæ* novitate & vanitate. Ecce quot elogia! Quid, ſi vidiſſent ſecundam hanc editionem! Soli Deo honor & gloria in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Digitized by Google

Approbatio.

S. THEOLOGIÆ PROFESSORUM *S. Ordinis Prædicatorum Conventus Pariſienſis.*

INfraſcripti S. Theologiæ Profeſſores ordinis FF. Prædicatorum Conventus *S. Mariæ Annuntiat.* Pariſienſis, Perlegimus librum, cujus inſcriptio eſt *Scientia Media ad Examen revocata per Germanum Philalethen Eupiſtinum* &c. Anno 1670. Opus ſane ſuo authore dignum, nempe ſincero veritatis amico: cùm in eo ubique reluceat, ſingulari ſoliditate ingenii, & gratâ perſpicuitate explicata veritas Evangelicæ doctrinæ & Apoſtolicæ: firmentur antiqua & inconcuſſa SS. AUGUSTINI & THOMÆ dogmata de verâ Chriſti GRATIA FORTITER VICTRICE ET SUAVITER PRAEDETERMINANTE: utriuſque Solis Eccleſiæ ſplendoribus evacuatâ *Scientiæ Mediæ* caligine, & profligatâ novitate quam ipſe Molina lubens agnovit, ut deſinat novitas laceſſere vetuſtatem, ſicut monuit olim Cæleſtinus Pontifex: proindè cùm juxta divinum Chriſti Servatoris monitum non ſit lucerna ſub modio abſcondenda, dignum exiſtimamus opus ut omnibus veræ gratiæ amatoribus publicâ luce fulgeat. Pariſiis die decimâ nonâ Martii anno 1671.

F. HYACINTUS GRISOLET, *S. Theol. Profeſſor.*
F. JULIANUS a S. JOSEPH *S. Theol. Profeſſor.*

Approbatio.

EXIMIJ. R. P. VINCENTIJ BARONIJ *S. Ord. Prædicatorum Doctoris Theologi & Quæſitoris fidei Tholoſani.*

ROgatus ſum ab homine ignoto, authoris ignoti nomine, ſuffragium de *Scientiâ Mediâ ad examen revocatâ*. & quo certiùs darem ac ferrem judicium, libri lectionem accuratam meditabar: ſed duo mihi in mentem venerunt, quæ a propoſito me ferè deterrebant. Videbatur primùm ſuper-

vacaneus

Digitized by Google

vacaneus fore labor, uti authoris in conſcribendâ, ita meus in relegendâ diſputatione de *Scientiâ Mediâ*, id eſt, de materiâ nedum ſubactâ, ſed prorſus exhauſtâ: quo de argumento ab octoginta annis ex omnibus Chriſtiani orbis academiis prope infiniti libri, & nuperrimè tres ex Duacenſi prodierunt, velut Cadmei milites invicem infeſti, qui perpetuò ſubnaſcantur & ſeſe conficiant. Adde, licet aliquod operis pretium & commodum rei litterariæ ſperes, illo recenti examine de vulgatiſſimâ & antiquâ quæſtione inſtituto: non potuit citra gravem æquitatis noxam, à me proferri judicium de eo opere, & Authore, quo cùm in eadem navi & causâ verſer, ita ut ſi improbem aut parcè laudem invidiæ nomine ſuſpectus fuero: vel præpoſteri in cauſam propriam ſtudii, ſi impensè & pro meritis eum commendem, qui ſeſe nobis adjunxit, eandem aleam aditurus. Hæc animum ſubjerunt, ſed ipſiuſmet operis lectio hos vanos timores longè abegit. Ne credas LECTOR hic crambem bis coctam obtrudi, & quæ alibi paſſim obvia ſunt nullo delectu congeri, aut aliena nullo Plagii pudore quaſi propria venditari, quibus laborant vitiis plurimi ſcriptores. Intactus, aut major eſt hic Germanus, qui veluti Scriba doctus de ſuo Theſauro Nova profert & Vetera: quaſi promuſcundus Vetera, Nova & ſingulari condit eruditione, qui antiquis ac ferè abſoletis dat gratiam & guſtum novitatis. Ut paucis abſoluam nihil ex ſcholâ ſubtilitatis, nihil ex antiquis patribus ſolidæ & tutæ doctrinæ de hoc intricatiſſimo argumento prætermiſſum, agnoſcet LECTOR, ſi experiri ſeriâ lectione placuerit. Ille quidem nullo ſui operis loco mei de eodem argumento editi mentionem facit: atque eo ſilentio, quo forte alii offenderentur, me demeruit, hoc nomine, quòd certiùs & ſinceriùs meum de ſe ſuffragium effecerit, ſemotâ ab animo LECTORIS ſuſpicione, ne vicem & laudem reponere viderer illi, à quo innominatus & illaudatus abivi: ut argumento ſit, me nihil hic dare gratiæ, ſed uni litare veritati, & cauſæ nobis cum AUGUSTINO communi. Unum rogo te, LECTOR ERUDITE, lege, & liber eorum, quæ de illo Authore ignoto teſtor, fidem abſolvet. Datum die 20. Februarii 1671.

F. VINCENTIUS BARONIUS, *Doctor Theologus & Quæſitor fidei Tholoſanus.*

Habes, CORDATE LECTOR; unanimem duodeviginti Doctorum & Profeſſorum conſenſum in commendandâ CONCORDIÆ NOSTRÆ antiquitate & ſoliditate, nec non in explodendâ *Scientiæ Mediæ* novitate & vanitate. Ecce quot elogia! Quid, ſi vidiſſent ſecundam hanc editionem! Soli Deo honor & gloria in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

**

CANDIDO LECTORI
GERMANVS PHILALETHES EVPISTINVS.

EO ſemper animo fui, Benigne Lector, ut ſicuti ſincero veritatis ſtudio præclarum mihi nomen adſciveram: ita modo ágendi ſuppari oſtendere contenderem, non vanam mihi larvam aſſumpſiſſe, ſed veram indolis meæ expreſſiſſe imaginem; cujus profectò non nudam aliquam hoc poſteriori Opuſculo noſtro aſſertionem, ſed ſpecimen tibi genuinum dare propoſitum eſt. Non ita pridem incideram in librum P. Henao Jeſuitæ, in quo plurima congeſta reperi in commendationem Scientiæ Mediæ; & quidem tantâ veritatis præfidentiâ affirmata, ut miram in mente rei tot teſtimoniis phaleratæ formam mihi effinxerim, nec unquam occurrerit vel hilum de fide viri dubitare: & me porrò (pro aſſumpti nominis ratione) verum & ſincerum veritatis amatorem, bonæ fidei hominem fore omninò exiſtimarem, ſi ea proferrem compendio conſcripta, quæ fuſiùs ipſe proſecutus, ſolo fultus (ut ajebat) numine veritatis. Quod cùm publici juris feciſſem, non me leviter perculit, quod illud, undè impacatos multorum animos veritatis ſperaveram lumine demulcendos, in deridiculum paſſim à Doctioribus traduceretur, & libellum commiſeratione dignum potiùs, quàm reſponſione jactitarent. In quo teſtimonia præſertim peregrina congererentur, dum interea quæ apud nos circa rem propoſitam geſta eſſent, quorum certa ad manum haberent teſtimonia, narratione non ſincerâ veritati elucidandæ, ſed adornandæ fraudi exquiſitâ verborum nebulâ proferrentur.

His ergo permotus, ex congenito veritatis amore, rem ad limam revocare ſtatui, & donec de extraneis certior fierem, cùm noſtratia nutarent, ſubjit animum rei medullam propenſiùs conſiderare. In quo ſanè mihi contigit, quod poma legentibus ad oram lacus Aſphaltitis, qui ex

Digitized by Google

grato fructuum aſpectu paratas guſtui delicias ominantur, quos tamen ubi deguſtarunt, pulpam planè inſipidam, & veluti cineream offendunt, quæ vel levi contactu preſſa fumum exhalat, & fatiſcit in vagum pulverem. Ita cum aſſiduâ meditatione rem illam operoſiùs diſcuſſiſſem, ſpeciem quamdam non ingratam reperi, quæ libero arbitrio liberaliſſimè indulgens hominis ingenium primo aſpectu ſuaviſſimè allicit, cujus tamen cùm penitiora rimarer, exteriorem pulchritudinem exhibuiſſe deprehendi, quæ ſucculentum quidpiam portendere viſa, nihil niſi fruges inſipidas cohibet, quas ſi attentiori mentis indagine permolere velis, in fuliginem ſtatim favillaceam diſſolventur, decinerati ſoli funeſtos indices. Quod tibi candidè fateri veritatis ſtudioſum decuit, ſicut & ſperatam prioris libelli fidem hoc poſteriori deſtruere, in quo certè deluſum ſe fateri non erubeſcet ille, qui huic ſapientiæ effato unà mecum conſentiet: *Homo ſum, humani nihil à me alienum puto.* VALE.

Digitized by Google

INDEX ARTICVLORVM

Et brevis inſinuatio eorum quæ in illis continentur.

CAPVT PRIMVM

DEFORMITAS SCIENTIÆ MEDIÆ.

ARTICULUS PRIMUS.

Scientia Media probatur eſſe gratiæ inimica. 2.

Paragraphus Primus.

SCientia Media affimat aliquid eſſe a libero arbitrio quod non eſt effectivè ab auxilio gratiæ. pag. 2.

Ponitur argumentum, & defenditur à vitio quod ei impoſuit quidam Dialecticus Molinæ *diſcipulus.* 3.

Moliniſtæ *patiuntur ſpiritus contradictionem.* 4.

Radix Scientiæ Mediæ eſt, quòd aliquid ſit à libero arbitrio, quod non ſubditur cauſalitati gratiæ. 4.

Confirmatur hoc ipſum ex Moralibus. pag. 5.

Paragraphus Secundus.

EX probato antecedente deducitur, Scientiam Mediam eſſe gratiæ inimicam. 6.

Prima Moliniſtarum *reſponſio eliditur.* pag. 6.

Secundam eorumdem reſponſionem deridet S. Augustinus. 7.

Paragraphus Tertius.

RAdix noſtrę impugnationis detegitur. 8.

S. Augustinus *aliquando tenuit primam radicem diſcretionis, eſſe determinationem arbitrij: ſed ab illâ opinione receſſit conuictus Apoſtolico teſtimonio:*

Digitized by Google

Quis enim te diſcernit: quid autem habes quod non accepiſti. 8.

Paragraphus Qartus.

SOlvitur quidam locus S. AUGUSTINI, in quo P. Annatus objectionem errantium accepit pro ſolutione AUGUSTINI. 9.
Quo ſenſu aliquid ſit noſtrum in bono opere? 11.

Paragraphus Quintus.

BReviter explicatur in quo deficiunt Molinæ diſcipuli. 11.
Diſtinctio voluntatis ut moventis ad actum, & voluntatis ut ab alio motæ æqualiter reperitur tam in naturalibus quàm inſupernaturalibus. 12.
Nulla, vel modica fuit difficultas inter S. AUGUSTINUM *& illius Impugnatores de principio eliciente actum; ſed præcipua erat difficultas de principio movente ad actum.* 13.

Paragraphus Sextus.

EX illo principio, in quo Moliniſtæ deficiunt, invictè concluditur, Scientiam Mediam eſſe gratiæ inimicam. 14.
Planiſſimus quæſtionis præſentis ſtatus ab omnibus argutiis & cavillis, ſcholarum præciſus. 16.
Quamcumque gratiam agnoſcant Adverſarii, nunquam reipſa ab Impugnatoribus S. AUGUSTINI *recedent, ſi eam a voluntate determinari fateantur.* 16.

Paragraphus Septimus.

IN actu, qui a voluntate & gratiâ procedit, conſtanter docuit S. AVGVSTINVS, gratiam determinare & applicare voluntatem: agere ut voluntatis Dominam, non ut ejus pediſſequam. 16.

ARTICVLVS SECVNDVS

Scientia Media Sanctis Auguſtino, & Thomæ contraria oſtenditur. 18.

Paragraphus Primus.

UTerque Eccleſiæ Sol agnovit, plenitudinem poteſtatis excludere Scientiam Mediam. 18.

Paragraphus Secundus.

UTerque Eccleſiæ ſol affimat, Deum decernere ex plenitudine poteſtatis. 20.

Paragraphus Tertius.

EX antitheſi S. AVGVSTINI & P. Molinæ, nec non ex quâdam concluſione P. Annati confirmatur intenta côntrarietas. 22.
Præcipua Pelagianorum & ſemipelagianorum querela contra doctrinam S. Au-

Digitized by Google

GVSTINI *fuit de læſione libertatis*. 23.
Zelus eximij Domini ac Magiſtri noſtri D.Eſtii. 24.

Paragraphus Quartus.

EX conflictu S. AUGUSTINI cum ſuis Impugnatoribus concluditur, Deum decernere ex plenitudine poteſtatis, non ex præſcientiâ. 24.
Propoſitum Dei quo omnem voluntatis humanæ determinationem præveniendo diſcernit electos a reprobis lapis fuit offenſionis poſtremis S. AVGVSTINI *Impugnatoribus*. 25. 26.

Paragraphus Quintus.

RAtiones afferuntur ob quas Impugnatores S. AVGVSTINI refugerunt doctrinam ejus de decreto ex plenitudine poteſtatis ſivè Diſcretivo. 26.
Prima illius propoſiti accuſatio, quòd nihil aliud quàm fatum illud gentilium ab Eccleſia expoſitum eſſe videatur. 27.
Secunda, quòd liberum extinguat arbitrium. 27.
Tertia, quòd deſperationem cauſet in peccatoribus & ignaviam in Sanctis. 27.
Quarta, quòd ædificationi audientium, hoc eſt, prædicationi, exhortationi, correptioni eſſet adverſum. 28.
Quinta, quia videtur, omnem orationem extinguere. 28.

Paragraphus Sextus.

IStas rationes militare contra decretum ex præſcientiâ non dicet niſi inſipiens. 29.

Paragraphus Vltimus.

CEnſuræ Facultatum Sacræ Theologiæ, Lovanienſis, ac Duacenſis; *quibus in aliquo cenſurare non intendimus*. 31.
Pulcherrima Cenſuræ Lovanienſis præfatio, in quâ facultas ſacræ Theologiæ quatuor exponit cauſas quibus permota eſt ut doctrinæ Moliniſtarum *ſe opponeret*. pag. 32.
Certitudinem prædeſtinationis non dependere a præſcientiâ in utrâque Cenſurâ decernitur. 35.
Sufficiens auxilium nullo ulteriori indiget auxilio. 36. 37.
Deus non præcipit impoſſibilia; ſed ideo datur præceptum, ut præcipientis quæratur auxilium. 38. 39.
Vocatio Dei eſt ſecundum propoſitum, non ſecundum Dei præſcientiam. pag. 40. 41.
Concurſus concomitans exploditur. 42. 43.
Certus gradus gloriæ ſicut & prædeſtinatorum numerus ex abſolutâ & efficaci præordinatione, non ex antecedente operum præſcientiâ, ab utrâque Cenſurâ ſtatuitur. 45. 46 47.
Doctrinam Scientiæ Mediæ bonitatem Dei obſcurare, multaque alia mala cauſare, aſſerit utraque Cenſura. 48. & 49.

Digitized by Google

ARTICVLVS TERTIVS.

Scientia Media evertit libertatem. pag. 50.

Paragraphus Primus.

TRibus rationibus probatur, Scientiam Mediam evertere libertatem. pag. 50
Potentia peccandi non eſt libertas, nec pars libertatis. 51.
Quomodo impeccabilitas Chriſti non obfuit libertati adimpletionis præcepti. pag. 52.

Paragraphus Secundus.

SOlutio concilians libertatem cum præcepto §. præced. tradita radicitùs explicatur. 53.
Hâc ſolutione perfectè quietatur intellectus, ſi Doctrina Angelica ſuſcipiatur. pag. 55.
Cum unicâ diſtinctione ſatisfit omnibus cavillis Adverſariorum. 55.

Paragraphus Tertius.

EX oppoſito prædeterminatio phyſica ſtabilitur. 57.
In ipſo limine offendunt, qui audientes motionem divinam antecedere cauſalitate actionem creaturæ, ſtatim concipiunt eam ut ab actione ſeparatam. 58.
D. Sylvius *in nullo verbis noſtris perſtringitur, ut contendit* Iunior Moliniſta, *de quo* Amicus Philalethis *cap. ultimo.* 58.
Clarè explicatur quid ſit movere ad agendum, ſivè applicare aliquam cauſam ad actum. 59.
Qui negant prædeterminationem phyſicam fuiſſe aſſertam à D. THOMA, *quia prædictæ voces ſimul junctæ non leguntur in ſuis ſcriptis, imitantur illos, qui negant tranſubſtantiationem, aſſertam eſſe à S. ſcripturâ, eo quòd in eâ prædictum verbum non reperiatur.* 60.

Paragraphus Quartus.

VEritas prędeterminationis phyſicæ corroboratur ex teſtimonio D. THOMÆ, extendentis illam ad materiale peccati; quam doctrinam ex S. AVGVSTINO hauſit Angelicus Præceptor. 61.
Solutionem Moliniſtarum *dudum præoccupavit ſol Angelicus.* 61.
D. THOMAS *requirit influentiam cauſæ primò agentis: ergo excludit influentiam cauſæ ſimul tantùm agentis.* 62.
Adducitur S. AVGVSTINI *teſtimonium pro prædeterminatione ad materiale peccati.* 63.
Reſponſio P. Suarez *eliditur.* 63.
Vnicâ diſtinctione ſoluuntur omnes Adverſariorum cavilli. 64.

Paragraphus Quintus.

SUavitas Prædeterminationis Phyſicæ proponitur. 64.
Aliud eſt motionem primi moventis modi-

ficari, à virtute creaturæ, aliud verò modificari per actionem creaturæ. 65.
Prædeterminatio phyſica cuilibet virtuti, in quâ recipitur attemperatur: & ideo facit quòd agens agat ſecundum modum ſuæ virtutis 65.
P. Annatus *propriis laqueis involuitur.* pag. 66.

Paragraphus Sextus.

CONcurſus prævius & ſimultaneus comparantur inter ſe. 67.
Falſum oſtenditur quod ait P. Annatus, *nempe, difficillimum eſſe ſeclusâ Scientiâ Mediâ conciliare libertatem actus prædiffiniti cum divinâ prædiffinitione.* 68.
Admiſsâ Scientiâ Mediâ impoſſibile eſt defendere gratiam Chriſti quâ boni diſcernuntur à malis. 70.

ARTICVLVS QVARTVS.

Eaſdem, & majores patitur Scientia Media difficultates, quas pati videtur ſententia S. AUGUSTINI. 70.

Paragraphus Primus.

EAſdem ex parte gratiæ patitur Scientia Media difficultates, ac ſententia S. AVGVSTINI. 71.
Non minùs quàm nos urgentur Moliniſtæ iſtis Chriſti verbis; ſi in Tyro & ſidone factę eſſent virtutes&c. 71. 72.
Pulchro ſchemate idipſum oſtenditur. 73.

Paragraphus Secundus.

MAjorem ex parte gratiæ patitur Scientia Media difficultatem. 73.

Paragraphus Tertius.

EX parte libertatis eamdem, & majorem patitur difficultatem Scientia Media à P. Suarez explicata, quàm pati videtur ſententia S. AVGVSTINI. 76.

Paragraphus Quartus.

CÆteri Moliniſtæ in eamdem libertatis difficultatem profundiùs immerguntur. 78.
Fortiùs ſalvat libertatem GRATIA PRÆDETERMINANS, *quàm poſitio in circumſtantiis congruis.* 79.

Paragraphus Quintus.

EAſdem ex parte actus peccati patitur difficultates Scientia Media, quas pati videtur ſententia S. AVGVSTINI.
Si voluntas creaturæ poſſit determinare ſuum Creatorem ad cauſandum phyſicè actionem peccati, non determinando eum ad malitiam; cur creator non poterit voluntatem ſuæ creaturæ determinare ad actionem peccati, non determinando eam ad malitiam? 82.

Paragraphus

Digitized by Google

Paragraphus Sextus.

Majores patitur Difficultates ex parte actus peccati. 82.

SPECVLVM SCIENTIÆ MEDIÆ In quo clarè inſpicitur, Scientiam Mediam eaſdem, & majores pati difficultates, quas pati videtur ſententia S. AVGVSTINI. 86.

ARTICULUS QUINTUS.

Et in naturâ ſanâ Scientia Media probatur SS. AUGUSTINO & THOMÆ *contraria. pag.* 91.

Paragraphus Primus.

Principiis communibus S. AUGUSTINI Scientia Media in naturâ ſanâ repugnat. 91.
Primum principium S. AUGUSTINI, *cui Scientia Media repugnat, eſt efficacia divinæ voluntatis, à quâ omnia, ſolo peccato excepto, effectivè procedunt.* 92.
Secundum eſt cauſalitas divinæ Scientiæ, pag. 93.
Caligant Adverſarii, quòd futurum conditionatum non diſtinguant à poſſibili. 95.
Tertium principium petitur ex defectibilitate arbitrii. 95.
Qui ſe putant in S. AUGUSTINO *oculatiſſimos, eodem urgentur argumento, quo urgent inimicos gratiæ.* 96.

Paragraphus Secundus.

Confirmatur præcedens argumentum verbis S. AUGUSTINI ſubſequentibus, quæ nequeunt intelligi de adjutorio beatitudinis. 97.
Concordat locus de corrept. & grat. c. 10. *ſimiliter & canon* 19. *Concilii Arauſicani.* pag. 98.
Ita Magiſtrum ſuum intellexerunt fideliſſimi diſcipuli S. Fulgentius, & S. THOMAS *Magiſter noſter.* 99.

Paragraphus Tertius.

Redditur ratio, cur non obſtantibus tribus illis clariſſimis necnon ſolidiſſimis utriuſqne Solis principiis, quidam THOMAM ab AUGUSTINO ſeparaverint, & ad Scientiam Mediam confugerint. 99.
Hæc ratio ex lib. de correptione & gratiâ petitur, ubi dat S. AUGUSTINUS *tria gratiæ principia.* 99.
Primum gratiæ principium. 99.
Secundum gratiæ principium. 100.
Tertium gratiæ principium. 101.

Paragraphus Qartus.

Sine diſtinctione duplicis auxilij prædeterminantis non poſſunt ſalvari tria aſſignata gratiæ principia, quæ docet S. AUGUSTINUS. 102.
Nihil hìc nobis cum Moliniſtis, quorum contra S. AUGUSTINUM *irreverenter dicta ſatis manifeſtant eos à S.* AUGUSTINO *recedere.* 102. 103.
Indigentia auxilii prędeterminantis,

Digitized by Google

cùm ſit omni agenti communis, non poteſt diſtinguere ſanos ab infirmis. pag. 104.

Paragraphus Quintus.

DIſtinguendo auxilium prædeterminans in univerſale & ſpeciale tota S. AUGUSTINI doctrina optimè ſalvatur. 105.
Auxilium univerſale eſt illud quo voluntas prædeterminatur ad actum ex aliquo præcedente conſilio & volitione. Auxilium ſpeciale eſt illud quo voluntas prædeterminatur ad actum independenter ab aliquo conſilio & volitione præcedente. pag. 106.
Natura ſana ſolùm indiget auxilio univerſaliter prædeterminante: Natura infirma indiget auxilio ſpecialiter prædeterminante. 106.
Auxilium univerſale in materiâ gratiæ convenienter dicitur auxilium FIDUCIÆ.
Auxilium ſpeciale eſt auxilium ORATIONIS. 107.
Auxilium FIDUCIÆ, *eſt propriè auxilium ſanitatis: Auxilium* ORATIONIS *eſt verè auxilium infirmitatis.* 108.

CAPUT SECUNDUM

VANITAS PIGMENTORUM SCIENTIÆ MEDIÆ.

ARTICULUS PRIMUS.

Secluſâ Scientiâ Mediâ Deus non præcipit impoſſibilia. pag. 110.

Paragraphus Primus.

QUæ diverſa fuerit ratio ſcribendi S. AUGUSTINO & S. THOMÆ. Principiis Ariſtotelis utitur S. THO. non ut probet, ſed ut oſtendat, non eſſe impoſſibile, quod fides prædicat. 111.
Nullus Scholaſticorum eſt poſitivè ab Eccleſiâ approbatus ſicut D. THOMAS. pag. 111.
THOMAS *legendus in* AUGUSTINO, & AUGUSTINUS *legendus in* THOMÂ. pag. 112.

Paragraphus Secundus.

PRimum principium, ad conciliandum utriuſque Solis diſcipulos circa differentiam naturę ſanę, & lapſæ. 112.
Duo principia actus liberi, voluntas ſivè volitio faciendi, & poteſtas. 113.
voluntas rectè vivendi eſt amor iuſtitiæ.

Digitized by Google

ſine quo præceptum non impletur. 113.
Poteſtas rectè vivendi eſt duplex; prima eſt ipſa cognitio agendorum: ſecunda ex amore juſtitiæ oritur prout ex tali amore fit aliquis potens applicandi ſe ad implendum ea quæ hic & nunc præcipiuntur. pag. 114.
Datur impotentia voluntaria & ex amore orta. 115.
GRATIA PRÆDETERMINANS *in uno eſt victrix, in alio non: idemque habet in eodem ſecundùm diverſa tempora.* 116.

Paragraphus Tertius.

SEcundum Principium ex doctrinâ Angelicâ deſumptum pro concordiâ intentatâ. 116.
Traditur doctrina duplicis prædeterminationis, univerſalis ſcilicet, & ſpecialis. pag. 116. 117.
Prædicta distinctio non petitur ex objecto, ſed ex modo tendendi 117.
Ex gemino Eccleſiæ Sole duplex illa prædeterminatio comprobatur. 118.
Item ex Eminentiſſimo Domino D. CAJETANO, *Eximio D.* SYLVIO, *aliiſq. S.* THOMÆ *diſcipulis.* 119.
Ex ignorantiâ duplicis prædeterminationis hallucinati ſunt Moliniſtæ *in illis locis, in quibus Sol Angelicus docet, voluntatem non à Deo determinante ſe movere.* pag. 119 120.

Paragraphus Quartus.

COncordia diſcipulorum utriuſque Solis quoad naturæ ſanitatem. 121.
Rectitudo primi hominis declaratur. pag 121.
Tantum habebat in vires inferiores dominium, ut non poſſet peccare venialiter, quin priùs peccaſſet mortaliter. 121.
Ex eodem dominio gaudebat duplici poteſtate rectè vivendi. 122.
Adjutorium primi hominis dicitur à S. AUGUSTINO *eſſe tale, ut in eo maneret ſi vellet, & deſereret ſi vellet; quod nihil eſt aliud, quàm primum hominem propter perfectam virium inferiorum ſubjectionem potuiſſe ex amore juſtitiæ quem habebat ſe applicare ad illum continuandum.* pag. 123.
Quo ſenſu merita ſtatus innocentiæ dicuntur dona Dei. 123.

Paragraphus Quintus.

COncordia diſcipulorum utriuſque Solis quoad naturæ infirmitatem. 124.
Ex ignorantiâ agendorum caremus arte rectè vivendi; ex rebellione concupiſcentiæ non poſſumus nobis dare in particulari operabili amorem juſtitiæ; & hæc eſt hominis infirmitas. 124.
Voluntas abstracta à concupiſcentiâ ſuâ infallibiliter peccabit, ſi gratiâ victrice non adjuvetur. 124.
Quod facit præveniens inſpiratio effectivè ex parte objecti, hoc facit abstractio concupiſcentiæ moraliter ex parte objecti. pag 124.
Quid per neceſſitatem peccandi in homine infirmo intellexerit S. AUGUSTINUS *ritè explicatur.* 125.
Indigentia ſpecialis prædeterminationis in homine infirmo clarè a D. THOMÂ *exprimitur.* 126. 127.

Digitized by Google

Paragraphus Sextus.

BReviter colligitur differentia naturæ ſanæ à naturâ infirmâ ſecundùm utriuſque Solis diſcipulos. pag. 127.

Gratia hominis ſani conſtituebat eum juſtitiæ dominum. Gratia hominis infirmi facit eum juſtitiæ ſervum. 128.

Ex ipsâ diſtinctione auxilii ſine quo non, & auxilii quo oſtenditur unam eſſe diſcipuli ac Magiſtri doctrinam. 128.

Præcipua naturæ ſanæ differentia à naturâ infirmâ eſt, quòd naturæ ſanæ nihil deerat ex parte poſſe; ſecùs naturæ infirmæ. 129.

Doctrina cap. 11. *&* 12. *de correp. & grat. tradita à* S. AUGUSTINO *clariſſimè explicatur.* 129. 130. 131.

Paragraphus Septimus.

EAdem concordia pro phyſicâ prædeterminatione. 132.

Septem contrarietatis capita amputantur. pag. 133. & ſeq.

Elegans S. AUGUSTINI *teſtimonium pro phyſicâ prædeterminatione expenditur ex lib. de correpṫ. & grat.* 135.

Impotentia hominis infirmi non excuſat eum à peccato, ſicut nec carentia GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS *&* VICTRICIS. pag. 137.

Concipienda eſt differentia hominis ſani ab infirmo quodammodo ſicut differentia religioſi à ſæculari qui ex propriâ voluntate eaſdem faceret actiones ac religioſus pag. 138.

Non ſufficit actum phyſicè à Deo prædeterminari ut dicatur ſpeciale donum Dei. pag. 139.

Si ſemel unum actum bonum liberi arbitrii poteſt Deus decernere decreto de ſe efficaci, cur non, & omnes? ſi poteſt omnes, ſine dubio fecit, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ. 140.

Paragraphus Octavus.

SImilis concordia contra gratiam ſufficientem Moliniſticam. 140.

Homo quantumcumque juſtificatus, & quâcumque gratiâ datâ per modum actus primi indiget auxilio efficaci adjuvante poſſe. 140.

Idipſum tribus rationibus probatur. 140. & ſeq.

Pro infirmitate hominis non eſt recurrendum ad ſupernaturalitatem actus, ſed ad abſtractionem concupiſcentiæ & ignorantiam actualem agendorum hìc, & nunc. pag. 141.

Prima ratio ex infirmitate hominis petita traditur à S. AUGUSTINO. 141.

Secunda ratio ex naturâ auxilii ſpecialis petitur. 142.

Confirmatur exemplo ſenſibili. 142.

Iterum oſtenditur, differentiam duplicis auxilii non ex ſupernaturalitate eſſe petendam. 143. 144.

Tertia ratio ex precibus Eccleſiæ deducitur. 144.

Indigentia concurſus generalis, ſivè gratiæ univerſaliter prædeterminantis, non inducit neceſſitatem orationis. 145.

Hac ratione mirum in modum anguſtiatur gratia ſufficiens Moliniſtica. 145.

Facetum P. Annati *dictum.* 146.

Digitized by Google

DIGRESSIO.

IN quâ refutatur reſponſio Junioris Moliniſtæ de quo Amicus Philalethis capite ultimo. 146. & ſeq.

Ipſius diſtinctio non niſi verba ſunt & voces, quibus ſcholaribus illudi poteſt, non verò Cordatis. 148.

Imponit nobis, dum ait nos admittere, actum malum eſſe, & non eſſe à Deo prædeterminante. 158.

REGRESSIO.

IN quâ continuatur doctrina præſentis paragraphi octavi. 149.

Occurritur objectioni, quæ ex precibus Eccleſiæ neceſſitatem gratiæ ad facilitatem actus reducit. 149.

Doctrinam iſtius objectionis fuiſſe Pelagii teſtatur S. AUGUSTINUS. pag. 149.

Paragraphus Nonus.

ALtera pars concordiæ contra gratiam ſufficientem Moliniſticam. 150.

Cùm in omnibus juſtis non vincatur concupiſcentia, nec tollatur ignorantia, concludendum eſt, non omnibus juſtis auxilium ſufficiens dari. 151.

Non omnibus datur auxilium quod precibus impetratur. 151.

Deus multos tentari permittit & cadere, ut virium ſuæ voluntatis capiant experimentum. 152.

Qui credit ſe potentem impotens eſt ad orandum. 152.

Non exigua Moliniſtarum *hallucinatio eſt, quâ putant ſemper adeſſe homini gratiam ut petat, & tam ardenter petat, ut infallibiliter impetret id quod petit.* 152.

Ex diverſis ſtatibus quos S. AVGVSTINVS *diſtinguit, oſtenditur non ſolùm non dari omnibus gratiam ſufficientem Moliniſticam, ſed nec in aliquo ſtatu eam agnoviſſe.* 153. 154.

Apertiſſimo S. AVGVSTINI *teſtimonio evacuatur ſufficientia gratiæ verſatilis.* pag. 154

Convictus fuit Vaſquez *hoc teſtimonio.* pag. 155.

Gratia ſufficiens oblata eſt communis Thomiſtarum doctrina. pag. 156.

Deus eſt paratus nobis conferre gratiam, dum habet ſinceram voluntatem conferendi homini gratiam ſi homo non poſuerit impedimentum. 156.

Gratia ſufficiens omnibus oblata eſt, auxilium eminenter ſufficiens ſimul & efficax. pag 157.

APPENDIX.

IN quâ ſatisfit interrogationi Junioris Moliniſtæ. 158.

Gratia efficax non exigit ad ſui receptionem alium actum ab illo actu propter quem proximè datur. 159.

Poteſtas recipiendi gratiam efficacem eſt poteſtas implendi præceptum non quomodocumque ſed ex determinatione gratiæ. 160.

Paragraphus Vltimus.

DEclaratur poſſibilitas mandatorum Dei. 161.

Digitized by Google

Homo infirmus poteſt implere præceptum, & non implere: ſed unum ex ſe & propriâ applicatione, ſcilicet non implere; alterum, ſcilicet implere, ſolùm poteſt ex auxilio GRATIÆ VICTRICIS ET PRÆDETERMINANTIS. 162.
Refutatur Junior Moliniſta *cui non placet iſta doctrina.* 164.
Carens auxilio adjuvante poſſe non ſit ex carentiâ auxilii ſimpliciter impotens niſi fiat incapax recipiendi auxilium. 165.
Poteſtas quam habet carens gratiâ prædeterminante eſt poteſtas ad implendum præceptum ex applicatione alterius. 165.
GRATIA PRÆDETERMINANS *eſt indirectè in noſtrâ poteſtate.* 164.
Homo infirmus per vires ſibi oblatas efficacius habet poſſe ad ſervandum mandata, quàm homo ſanus per vires ſibi datas. pag. 166.
Elegans S. AVGVSTINI *teſtimonium pro gratiâ oblatâ.* 166.
Aliud S. THOMÆ *teſtimonium pro gratiâ oblatâ.* 166. 167.
Ponere obſtaculum eſt ſe determinare ad amorem creaturæ. Non ponere eſt determinari per gratiam ad amorem Dei. pag. 167.
Juſtiſſimè fuit damnata ab Innocentio X. *hæc propoſitio.*
Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant. pag. 168.
Impotentia orta ex carentiâ gratiæ eſt conſequens. 168.
Homo infirmus eſt ſicuti cæcus paratum ſolummodò habens directorem. 169.
Impotentia conſequens probatur teſtimonio Chriſti. 169.
Occurritur Iuniori Moliniſtæ. 170.
Qui credunt ſe poſſe quod non poſſunt, juſtè urgentur præceptis quæ per vires actu datas nequeunt implere. 170.
Superbia hominis non poteſt ſanari per gratiam Molinæ verſatilem. 171.
Id efficaciſſimo S. AVGVSTINI *teſtimonio probatur.* 171.
Utilitas exhortationum & correptionum declaratur. 172.

ARTICVLVS SECVNDVS

Secluſâ Scientiâ Mediâ Deus non neceſſitat liberum arbitrium. 173.

Paragraphus Primus.

QUædam præmittuntur ad dictorum & dicendorum concordiam. 174.

Paragraphus Secundus.

COnditio P. Annati ad libertatem requiſita exploditur. 175.
Parallelum in quo evidenter oſtenditur, conditionem libertatis à Moliniſtis *requiſitam, adverſari Doctrinæ Angelici Solis.* 176.
Aliud parallelum in quo clarè videtur

Digitized by Google

prædictam libertatis conditionem omnibus Theologis adverſari. 177.
Quidquid non tollit indifferentiam judicij non poteſt tollere libertatem. 177. 178.

Paragraphus Tertius.

AFferuntur plura abſurda, quę ex ſupradictâ conditione P. Annati ſequuntur. 178.
1. *Sequitur efficacitatem gratiæ è diametro repugnare libertati.* 178.
2. *Efficacem voluntatis determinationem tollere libertatem.* 178.
3. *Deum nihil poſſe præcipere Chriſto & beatis.* 179.
4. *Nullum conſilium, ut conſilium à Beatis cum indifferentiâ impleri.* 179.
5. *Beatos nullam prorſus actionem liberam facere.* 180.

Paragraphus Quartus.

SEcundum libertatis pigmentum ex determinatione voluntatis. pag. 180.
Non eſt contra rationem ejus quod ſe determinat ab alio determinari. 181.
Voluntatem accipere à Deo quòd ſe determinet, probatur ex dicto S. AVGVSTINI da quod jubes.
Eodem argumento uſus eſt Clemens VIII. pag. 182.
Eadem eſt Moliniſtarum *& impugnatorum* S. AVGVSTINI *objectio.* 182.
Ex doctiſſimis PP. Salmanticenſibus explicatur, quid ſit movere ſeipſum. 183.
Rectè damnata eſt ab Innocentio X. hæc propoſitio.
Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione. 185.

Paragraphus Quintus.

TErtiũ libertatis pigmentum ex ſuppoſitione antecedente. 185.
DELECTATIO VICTRIX *determinat voluntatem remanente poteſtate ad utrumque; ſimiliter &* PRÆDETERMINATIO PHYSICA. 186.
Adducitur de verbo ad verbum Doctrinæ PP. Salmanticenſium de judicio indifferenti. 187. & ſeq.

Paragraphus Sextus.

SAtisfit quibuſdam objectionibus contra doctrinam de judicio indifferenti traditam §. præced. 189.
Iunior Moliniſta *diſſimulat noſtras ſolutiones.* 191.
Voluntas ſequitur in omnibus ductum intellectus. 192.
Quo ſenſu dicatur, ſit pro ratione voluntas. 193.

Paragraphus Septimus.

COrollarium concilians DELECTATIONEM victricem cum gratiâ phyſicè prædeterminante. 193.
DELECTATIO VICTRIX *eſt fortior amor juſtitiæ, quàm ſit amor delectabilis.* 194.
Eſt effectus PHYSICÆ PRÆDETERMINATIONIS. 195.
Gratia prædeterminans non ſemper eſt victrix. 196.

Digitized by Google

Gratia prædeterminans eſt relativè efficax & inefficax. 196.
Junioris Moliniſtæ *argumentum eliditur.* 197.
Meritò damnatæ ſunt iſtæ duæ propoſitiones ab Innocentio X.
1. Interiori gratię in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.
2. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam eſſe talem, cui poteſt humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare. 197.

Paragraphus Octavus.

QUartum libertatis Pigmentum ex Concilio Trident. Vera quoque ſenſus compoſiti & diviſi intelligentia traditur. 198.
Aperitur mala Moliniſtarum *fides.* pag. 199.
Germana ſenſus compoſiti intelligentia. pag. 200.
Impugnatio Iunioris Moliniſtæ. 201.
Neceſſitas ſenſus compoſiti ex gemino Eccleſiæ Sole illuſtratur. 203.

Paragraphus Nonus.

EAdem Concilii authoritas efficaciùs in Moliniſtas retorquetur. Quid de SS. Ignatio & Xaverio? Mala fides P. Annati, ſuique contradictio. 204.
Efficaciter Probatur, Concilium Tridentinum Anathema dixiſſe iſti propoſitioni; liberum arbitrium phyſicè à Deo prædeterminatum non poteſt diſſentire. 205.
Probatur etiam iſtam propoſitionem eſſe à concilio definitam: liberum arbitrium motum à Deo præmotione phyſicâ poteſt diſſentire. 205.
P. Suarez *fatetur vel admittendam eſſe præmotionem phyſicam, vel Scientiam Mediam; ſed Concilium Tridentinum non admiſit Scientiam Mediam: ergo admiſit præmotionem Phyſicam. Prob. minor.*
P. Annatus *dicit Scientiam Mediam non fuiſſe è tenebris erutam ante annum* 1566. *Concilium autem Trident. hâc de re egit Anno* 1547. *ergo Concilium Trident. non potuit admittere, Scientiam Mediam quæ ſolum poſt* 19. *annos fuit è tenebris eruta.* 206.
Incredibile videtur, quod ait P. Annatus, *Patres Concilii Trid. admiſiſſe Scientiam Mediam, & tamen nec cogitaſſe quidquam expreſſè de illâ, nec cogitare debuiſſe.* 206.
S. Ignatius & S. Xaverius *admiſerunt præmotionem phyſicam.* 207.
Mala fides P. Annati *per quam idolum quoddam libertatis ſibi effingit quod dicit eſſe Thomiſtarum libertatem.* 208.
Quàm longè diſtet à Calviniſmo Doctrina Angelica oſtenditur. 209.
P. Annatus *ſibi contradicit* 210.

Paragraphus Vltimus.

COrollarium notatu digniſſimum; quia à nullo Moliniſta huc uſquè infirmatum, nec unquam eſt infirmandum. 210.
Neceſſitatem Scientiæ Mediæ, & Patres eâ non fuiſſe uſos ad conciliandam liberta-

tem moraliter

tem moraliter implicat. 211.
Hic areſcit Eloquentia P. Annati. 212.
Eo ipſo quòd P. Annatus *agnoverit Patres non fuiſſe uſos Scientiâ Mediâ ad conciliationem libertatis, nec ipſe, nec alii* Moliniſtæ *debuiſſent eâ uti.* 213.
Inſigne Scientiæ Mediæ elogium. pag. 214.
Iactantiam Molinæ conatur excuſare P. Annatus, *ſed fruſtrà.* 215.
Magiſter Luna *dixit ſe malle cum* S. AVGVSTINO *Scientiam Mediam ignorare, quàm eamdem cum* Molina *tenere.* 216.
Audax Molinę *propoſitio.* 217.

APPENDIX.

IN quâ efficaciter refutatur Junior Moliniſta. 218.
Eo ſolo titulo Scientia Media eſt ab omni Cordato Theologo explodenda, quòd eam adhibeant Adverſarij ad conciliandam libertatem, & certum ſit, fatentibus ipſis Adverſariis, Sanctos Patres ad Prædictam conciliationem eam non adhibuiſſe. Quis Moliniſtarum *hanc concluſionem infirmavit, & infirmabit?* 220.
Acuta & ſubtilis Junioris Moliniſtæ *evaſio.* 221.

ARTICVLVS TERTIVS.

Secluſâ Scientiâ Mediâ Deus non eſt cauſa peccati. pag. 222.

Paragraphus Primus.

NUlla eſt inter Concurſum prævium & pediſſequum quoad cauſandum peccatum differentia. Si quæ eſſet, magis deberet dici cauſa peccati concurſus pediſſequus, quàm prævius. 223.
Diſtinguuntur duæ rationes in peccato, una ad quam ſequitur malitia; alia ad quam non ſequitur malitia. 223. 224.
Clarè explicatur quomodò fieri poſſit, ut ex duabus rationibus inſeparabiliter inter ſe connexis una attingatur, & non alia. pag. 225.

Paragraphus Secundus.

DIlucidè explicatur quæ ſit illa ratio ad quam ſequitur malitia. pag. 226.
Diſtinguitur malum in actionibus à malo quod eſt in rebus. 227.
Habitudo actionis ad principium deficiens eſt ratio ad quam ſequitur malitia actionis. 228.
Habitudo actionis ad voluntatem deficientem eſt iſta ratio ad quam ſequitur malitia moralis. 228. & ſeq.
Nota, *quòd corruptio aquæ ſequatur ad impreſſionem formæ ignis abſolutè; corruptio verò ordinis rationis ſequitur ad impreſſionem delectabilis non abſolutè, ſed ut eſt à voluntate deficiente.* 231.
Quid ſit voluntas deficiens? 231.

Paragraphus Tertius.

DEmonſtratur, motionem Dei phyſicè prædeterminantem

non cauſare in actu peccati illam-rationem, ad quam ſequitur malitia; ac proindè nec peccati moralis, nec peccati naturalis eſſe cauſam. pag. 232.
Voluntas ut deficiens non ſubditur prædeterminationi. 233.
Nullum etiam in naturalibus principium ut deficiens ſubditur prædeterminationi. pag 234.
Nota, *quòd nullus actionis defectus tam in moralibus quàm in naturalibus reduci poteſt in Deum ut prædeterminantem.* pag. 234.
Verùm in naturalibus defectus actionis reducitur in Deum ut cauſantem defectum principii. Secùs in moralibus, eò quòd Deus *non ſit cauſa voluntatis deficientis, ſicuti eſt cauſa curvitatis tibiæ.* 235.

Paragraphus Quartus.

Rejiciuntur Cavillationes P. Annati. 236.
Moliniſtæ *continuè arguunt fallacià accidentis, dum ſemper obtrudunt: Hic actus prædeterminatur, & eſt actus malus: ergo prædeterminatur actus malus.* pag. 237.
Qui ſyllogiſmus eſt prorſus ſimilis iſti; iſte canis eſt tuus, & eſt pater; ergo eſt tuus pater. 237.
In diverſis SS. Patrum teſtimoniis exploditur prædicta P. Annati *fallacia.* 237. 238. 239.

Paragraphus Quintus.

Continuantur cavilli Moliniſtarum. 240.
Multiplicia S. Augustini *teſtimonia defenduntur à cavillationibus* P. Annati. pag. 241. & ſeq.
Proponitur argumentum, cur Deus præcipiens aut conſulens actum peccati ſit cauſa malitiæ; non autem prædeterminans; cui argumento non videtur plenè ſatisfieri à Junioribus. 245. 246.

Paragraphus Vltimus.

P. Annato pulſanti aperitur diſcrimen Calviniſmi 247.
Calvinus docuit nihil eſſe in opere malo quod non cauſat Deus. 247.
Id probatur ex Concilio Tridentino. 247. 248.
Item ex ipsâ Calvini doctrinâ 248. 249.
P. Lemos *ſine ullo veritatis fundamento à* P. Annato *deridetur.* 250.
Refutantur ea quæ ex Calvino adducit P. Annatus 251.
Juſto Dei judicio P. Annatus *nolens Calvinum docuiſſe nihil eſſe in opere malo, quod non cauſetur à Deo, mirabiliter ſeipſum, omneſque* Moliniſtas, *illaqueat.* pag. 252.

ARTICVLVS QVARTVS.

Authoritatibus S. Augustini & S. Thomæ *abutuntur Moliniſtæ ad defenſionem Scientiæ Mediæ.* 252.

Digitized by Google

Paragraphus Primus.

SOlvitur difficultas de vocatione congruâ ex quæſt. 2. ad Simplicianum. 253.

Lucidiſſimè explicatur congruitas motionis divinæ. 253. 254.

Alienum eſt à doctrinâ AUGUSTINIANÂ, *& gratiæ contrarium, vocationem dici congruam, quòd illam efficatem reddat voluntas ex propriâ determinatione*. 255.

Regula generalis *eſt apud* S. AUG. *cæteroſque Patres, Deum vocare quos præſcivit credituros, idem eſſe, ac Deum vocare quos prævoluit eſſe credituros*. 256.

Similiter *illi ſequuntur vocationem qui ſunt idonei, idem eſt ac ſi diceretur; illi ſequuntur vocationem quos vult eſſe idoneos, non idoneitate præcedente gratiam, ſed gratiâ faciente idoneos*. 256.

Paragraphus Secundus.

ALia difficultas tollitur de duobus æqualiter tentatis ex lib. 52. de civitate Dei; quo loco abutitur P. Annatus. 247.

Diſcretio in bonis in voluntatem reducitur ſicut in cauſam proximam: ſed in divinam conſtitutionem ſicut in cauſam primam. pag. 258.

Diſcretio in malis in voluntatem reducitur ſicut in cauſam tam proximam quàm primam. 259.

Nullus eſt homo qui non comediſſet ex pomo uetito, ſi loco Adami poſitus fuiſſet, & ſibi relictus. 260.

Paragraphus Tertius.

EXplicatur locus S. AUGUSTINI, quo dicit, quòd *anima non deſerta eſt, ut deſereret, ſed ut deſereretur deſeruit*: Quem locum aſtutè truncat P. Annatus. 261.

Deum nemo amittit niſi qui dimittit. 264.

Paragraphus Quartus.

INterponitur quædam quæſtio multùm obſervanda; & ex eâ conciliantur utriuſque Solis diſcipuli quoad ſtatum naturæ puræ. 264.

Hæc cauſalis eſt vera: Ideò voluntas non applicatur ad actum bonum, quia ſe applicat ad actum malum. 265.

Prędeterminatio phyſica *negativè ſumpta eſt in poteſtate voluntatis. Id eſt voluntas non eſt cauſa quòd prædetermínetur ad bonum, eſt tamen cauſa quòd non prædeterminetur ad bonum*. 265.

Probatur, *in peccato quod non eſt pœna peccati priùs voluntatem deſerere Deum quàm denegetur ei gratia prædeterminans*. 266.

In peccato quod eſt pœna peccati ſub aliquâ ratione priùs Deus deſerit hominem, quàm ab homine deſeratur. 267. 268.

In ſtatu naturæ purę *poſſunt conciliari gemini Solis diſcipuli*. 269.

Paragraphus Quintus.

AUctoritatibus Angelici Doctoris abutuntur Molinæ diſcipuli. 269.

Quo modo Secundùm D. THOMAM *prædeſtinatio dicatur præſupponere præſcientiam futurorum?* 269.

Digitized by Google

Quâ ratione dixerit D. Thomas *motus exteriores à divinâ providentiâ gubernari ſecundùm quòd judicat aliquem eſſe excitandum ad bonum his, vel illis actionibus?* 270.

Quo ſenſu docet D. Thomas, *media quæ præparat prædeſtinatio eſſe defectibilia?* 272. 273.

Paragraphus Sextus.

QUinta objectio de voluntate antecedente; in quâ conciliantur utriuſque Solis diſcipuli: cum replicâ de cauſâ reprobationis. 274.

Meritò damnavit Innocentius X. iſtam propoſitionem.

Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe. 274.

Ad ſinceram Dei voluntatem ſaluandi omnes, ſufficit, quòd Deus reverà ſalvaret omnes ſi nullus ſuæ ſaluti poneret obicem. 274.

Alienum eſt prorſus à mente D. Thomæ *excludere auxilia efficacia à voluntate antecedente.* 275.

Chriſtus, ait D. Thomas, *mortuus eſt pro aliquibus efficaciter, pro omnibus ſufficienter.* 275.

Peccatum originis ut eſt infectio naturæ eſt prima cauſa reprobationis: ſecùs ut eſt infectio perſonæ. 276.

Hâc diſtinctione conciliantur interre Angelici diſcipuli. 276. & ſeq.

Ad majorem iſtius diſtinctionis, & doctrinæ in eâ contentæ elucidationem addita eſt ſequens appendix.

APPENDIX AD §. VI.

De cauſâ Prædeſtinationis & reprobationis. 278.

SECTIO PRIMA.

DEclaratur, quid nomine Prędeſtinationis & reprobationis intelligamus; & quâ ratione earum cauſa ſit inveſtiganda? 279.

In ordine ad aſſignandum cauſam Prædeſtinationis & reprobationis non attenditur actus intellectus, ſed voluntas quam includunt. 279.

Prædeſtinatio includit voluntatem conferendi gratiam & gloriam 279.

Reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpâ. 279.

Primus prædeſtinationis & reprobationis effectus debet habere cauſam, ut prædeſtinatio & reprobatio dicantur habere cauſam. 280.

Auxilium ſufficiens ſi non ſit efficax, aut cum efficaci conjungatur, non eſt effectus prædeſtinationis. 281.

SECTIO SECUNDA.

VOluntas conferendi coronam gloriæ poteſt eſſe ſine prævisione meritorum; ſecùs voluntas inferendi pœnam. 281.

Ratio coronæ poteſt eſſe quidam modus excellentior habendi bonum; Undè ſi bonum ſit indebitum, & modus habendi illud per modum coronæ erit indebitus. pag. 282.

Voluntas inferendi pœnam abſtrahendo à demeritis non eſt juſta, nec laudabilis. pag. 282. 283.

SECTIO TERTIA.

Nullam fuiſſe cauſam prædeſtinationis Angelorum demonſtratur. 283.

Prima conclusio: *Prædeſtinatio Angelorum facta fuit ſine prævisione meritorum.* 283.

Iſta concluſio probari poteſt omnibus illis argumentis, quibus Scientia Media demonſtratur impoſſibilis. 284.

Sed argumento ad hominem facto in præſenti probatur. 284

Futile eſt argumentum: Angelus ſtetit per liberum arbitrium: ergo non fuit prædeſtinatus ad ſtandum. 285.

Futilitas argumenti oſtenditur in Chriſto Domino. 285.

SECTIO QVARTA.

Reprobatio Angelorum fuit etiam ſine præviſione meritorum: ortum tamen, ſeu occaſionem, accepit ex defectibilitate arbitrii. pag. 286.

Secunda conclusio: *Reprobatio Angelorum adæquatè ſumpta fuit ſine præviſione meritorum: occaſionem tamen accepit ex defectibilitate arbitrii, quæ fuit quoddam quaſi obſtaculum ſalutis omnium Angelorum.* 286.

Hæc conditionalis eſt vera: nullum Angelum reprobaſſet Deus, ſi non obſtitiſſet defectibilitas arbitrii. 286.

Defectibilitas arbitrii non eſt ex Deo. pag. 282.

Permiſſio peccati eſt ſolùm de ſecundariâ Dei intentione. 287.

Nomine reprobationis duas voluntates includit S. Thomas, *unam ſolùm* S. Augustinus; *cujus diverſitatis ratio deſumitur ex diverſo ſcribendi ſcopo, ad quem ſinguli deſtinati ſunt.* 288.

SECTIO QVINTA.

Prædeſtinatio hominum & adæquatè & inadæquatè ſumpta fuit ſine præviſione meritorum; non tamen ſine præviſione peccati originalis. 289.

Tertia conclusio: *Prædeſtinatio hominum adæquatè ſumpta fuit ſine præviſione meritorum.* Eſt de fide. 289.

Quarta conclusio: *Prædeſtinatio hominum inadæquatè ſumpta, id eſt, intentio efficax dandi gloriam ut coronam fuit ſine præviſione meritorum.* 289.

Iſta aſſertio non eſt de fide, nec tanquam fidei ex profeſſo à S. Augustino *tradita; ſed tanquam quid ex lumine naturæ, gratiæ quam defendit* S. Aug. *conſentaneum.* 289.

Probatur iis argumentis, quibus gratia S. Augustini *defenditur, & Scientia Media deſtruitur.* 291.

Solvitur iſtud argumentum: corona neceſſariam habet connexionem cum meritis: ergo quod eſt volitum per modum coronę dependet eſſentialiter à meritis. 291.

Quinta conclusio: *Prædeſtinatio hominum fuit poſt præviſionem peccati originalis.* 291.

Angeli ſunt prædeſtinati ex meritis Chriſti. 291.

Digitized by Google

SECTIO SEXTA.

CAuſa reprobationis hominum non eſt peccatum originale, quo omnes naſcendo inficimur. pag. 293.

Peccatum originale ut eſt infectio naturæ eſt illud quo omnes in Adam peccavimus; peccatum originale ut eſt infectio perſonæ eſt illud quo naſcendo inficimur. 294.

Immaculata Beatiſſimæ Virginis Matris conceptio manifeſtat iſtam diſtinctionem. pag. 294.

Eſtque aperta S. AUGUSTINI. *doctrina.* pag. 294.

SEXTA CONCLUSIO: *peccatum originale, quo omnes naſcendo inficimur, non eſt cauſa reprobationis hominum.* 295.

Inconceptibilis aliquorum ſubtilitas retunditur. 296.

Majoris eſt liberalitatis & benevolentiæ, quòd Deus velit dare gloriam ut coronam, quàm quòd velit dare illam ſine meritis. pag. 297.

SECTIO SEPTIMA.

CAuſa reprobationis hominum eſt peccatum originale quo omnes in Adam peccavimus. 298.

ULTIMA CONCLUSIO: *Peccatum originale, quo omnes in Adam peccavimus eſt cauſa reprobationis hominum adæquatè ſumptæ.* 298.

Probatur iſta concluſio apertiſſimis S. AUGUSTINI *teſtimoniis.* 298.

Item ex eo quòd juxta S. AUGUSTINUM *effectus prædeſtinationis eſt gratuita indulgentia, quæ non habet locum, niſi ubi juſta poteſt exercerie vindicta.* 300.

SECTIO OCTAVA

EAdem aſſertio Angelici Solis teſtimoniis firmatur. 301.

SECTIO NONA.

RAtione ex principiis utriuſque Solis petitâ probatur aſſertio. pag 304.

Permiſſio primi peccati in hominibus eſt pœna peccati. 305.

Omne peccatum hominis infirmi procedit ex cæcâ & indomitâ concupiſcentiâ. 305.

Differentia reprobationis Angelorum à reprobatione hominum. 306.

Effectus adæquatus reprobationis eſt derelictio in maſſâ damnationis. 307.

Juſtum Dei judicium diſcernit reprobos. 307.

SECTIO VLTIMA.

EX S. AUGUSTINO oſtenditur, prædeſtinationem prævenientem omnia merita, non plus habere difficultatis, quàm Simplicem Dei pręſcientiam. 308.

Efficacia decreti prævenientis non fortiori impugnatur argumento, quàm certitudo præſcientiæ à mulierculis impugnari ſolet. 308.

In bonis loco ly præſcivit, *poteſt ſemper poni ly* prędeſtinavit. 311.

Tutiùs ſe committit homo voluntati divinæ quàm ſuæ. 312.

Digitized by Google

Paragraphus Septimus.

PLurimùm hallucinantur Moliniſtæ circa Angelicam doctrinam de modo cognoſcendi futura contingentia. 312.

Aliquid cognoſci in cauſâ, contingit dupliciter, ut medio cognitionis, & ut termino ultimo cognitionis. 313.

Eſſentia divina eſt medium priùs cognitum quo Deus alia à ſe cognoſcit 313.

Ignorantia hujus principii mater fuit Scientiæ Mediæ. 313.

Nullum futurum cognoſcit Deus in ſuâ eſſentiâ ſicut termino ultimo cognitionis. pag. 314.

Dupliciter aliquid cognoſcitur in decreto. pag. 314.

Ratio cur Angelicus Præceptor ſæpè non meminerit decreti, dum loquitur de cognoſcibilitate futurorum contingentium. 315.

COLLATIONES ALPHABETICÆ.

Cum triplici Scientiæ Mediæ funiculo. 317.

HÆ collationes cum ſuis funiculis in gratiam poſitæ ſunt NUPERI CONTROVERSIÆ PROPOSITORIS. 317.

Collatio prima, & primus Scientiæ Mediæ funiculus. 318.

Refutatio Junioris Moliniſtæ. 319.

Collatio ſecunda, & ſecundus Scientiæ Mediæ funiculus. 321.

Refutatio Junioris Moliniſtæ. 322.

Collatio tertia, & tertius Scientiæ Mediæ funiculus. 323.

Refutatio Junioris Moliniſtæ. 324.

COROLLARIUM.

TOtius opuſculi, & confictà propoſitionum Leſſii approbatio. pag. 327.

Non præſumptuosè, ſed Cordatè concluditur, SCIENTIAM MEDIAM ESSE AB OMNI CORDATO THEOLOGO EXPLODENDAM. 327.

Falſiſſimum eſt propoſitiones Leſſii à Sixto V. fuiſſe approbatas ut ſanæ doctrinæ articulos. 328.

Sixtus V. Leſſium improbavit. 329.

Ad hæc Junior Moliniſta *obmutuit.* pag. 330.

Mendacii, quo PHILALETHEM *arguit, vanitas.* 330.

PHILALETHIS *proteſtatio.* 330.

Devotiſſimaque ipſius ex S. AUGUSTINO *contra* gratiam ſufficientem Moliniſticam *deprecatio.* 330.

Epilogus ad Candidum & Cordatum Lectorem. 331. 332.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

SCIENTIA MEDIA AD EXAMEN REVOCATA. OPUSCULUM PRIMUM.

Proëmium.

J. HABET Scientia Media multa fucis illita, quæ luce debent purgari novâ: ut ſi ſine fuco videretur, etiam à ſuis Defenſoribus deſpiceretur. Amore igitur ſolius veritatis ſuccenſus, duo de hàc Scientiâ fucatâ propono examinanda. Primum, quæ ſit illius ſine fuco deformitas? ut impleti confuſione Defenſores ejus, Chriſti gratiam invocent, juxta illud Pſalm. 82. *Imple facies eorum ignominiâ* (confuſione) *& quærent Nomen tuum Domine.* Secundum, quæ ſit ſuorum pigmentorum vanitas, quibus, ut vera appareret, ſe ornavit; ei enim poteſt appropriari illud Iſai. 57. *Ornaſti tè Regi unguento, & multiplicaſti pigmenta tua, miſiſti Legatos tuos procul, & humiliata es.* Ad radicem ſecurim poſui: quamvis enim pluribus alijs principijs Scientia Media ſuccidatur; hoc tamen unico eradicatur, videlicet Deum decernere ex plenitudine poteſtatis non ex præſcientiâ, Deum ſe habere ut regem voluntatis non ut ejus pediſſequum: ſive in terminis Proſperi, præſcientiam quodam ordine eſſe ſubnixam propoſito, non verò è contra per præſcientiam poſſe ſtare propoſitum.

IJ. Quare Scientia Media ſummè mihi diſplicet, ejuſque deformitatem odio habeo: illius tamen Defenſores, quoad Perſonas, ſummè veneror, eoſque ſolo veritatis amore nihil cenſurans, impugno. Ideò non approbo dictum cujuſdam Junioris, Molinæ diſcipulis acriori lixivio capita eſſe lavanda, quia eos durioris & craſſioris corij eſſe, aiebat, & ubi non inſigniter perfricantur, putant ſe palpari & laudari. Magis placet temperatus zelus P. Annati, quem imitari conabor, non in fucato eloquentiæ ſuæ ſtylo, ſed in ſpiritu veritatis, & claritate doctrinæ, à quibus in ſuis libris de Scientiâ Mediâ compoſitis prædictus Pater ſæpiùs diſceſſit. *Si quis eſt Domini jungatur mihi*, Exodi 32.

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

DEFORMITAS SCIENTIÆ MEDIÆ.

IIJ. Deformitas eſt carentia pulchritudinis. Pulchritudo animæ eſt gratia, quia candor animæ ſanctificatæ, teſte D. Thomâ ſuper Pſalm. 50. excedit omnem pulchritudinem corporalem. Pulchritudo Cordati Theologi & præcipuè in hâc materiâ, eſt authoritas SS. Augustini et Thomæ; *Hi ſunt duæ olivæ, & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes*, Apoc. 11. quorum doctrina fulget Eccleſia, ut Sole Luna; ſicut lux Solis tribuit Lunæ ſuam pulchritudinem, ita authoritas utriuſque Solis Eccleſiæ, ingeminat decorem Cordati Theologi. Pulchritudo libertatis creatæ eſt perfecta ad Deum ſubjectio, de quâ poteſt intelligi illud Cantic. 7. *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis. Greſſus* ſunt actus voluntatis; *greſſus tui* ſunt actus liberi propter dominium arbitrij; hi greſſus in calceamentis Gratiæ victricis, et prædeterminantis pulchri ſunt, quia procedunt à filiâ Principis, id eſt, à voluntate ſubditâ Chriſto qui eſt Princeps Regum terræ, & ait, *Si ergo vos Filius liberaverit, verè liberi eritis*, Joan. 8. Hoc triplici decore carere Scientiam Med. probare intendo. Videtur enim gratiæ inimica, SS. Augustino et Thomæ contraria, libertatiſque everſiva, eam Liberatori ſuo non ſubjiciendo. Hæc tria in hoc Capite ad examen Cordati Theologi revocamus, nihil cenſurantes. Quibus duos alios articulos in hac ſecunda impreſſione addimus: quartum, ſcilicet, in quo eaſdem & majores pati difficultates, & quintum in quo eam repugnare in Angelis utroque Soli demonſtramus.

ARTICULUS J.

Scientia media probatur eſſe gratiæ inimica.

IV. Scientiam Mediam eſſe gratiæ inimicam hoc enthymemate demonſtro. Scientia media affirmat aliquid eſſe à libero arbitrio quod non eſt effectivè ab auxilio gratiæ: ergo Scientia media eſt gratiæ inimica. Antecedens, & Conſequentia probantur ſequentibus paragraphis.

§. I. *Scientia media affirmat aliquid eſſe à libero arbitrio, quod non eſt effectivè ab auxilio gratiæ.*

Hæc propoſitio ſic demonſtratur: Petrus non accipit effectivè ab auxilio gratiæ, quod ſe determinet ad amandum: ſed Petrus accipit à libero ar-

Digitized by Google

bitrio quod ſe determinet ad amandum; ergo Petrus accipit aliquid à libero arbitrio, quod non accipit effectivè ab auxilio gratiæ.

* Quidam Dialecticus Molinæ Diſcipulus hujus ſyllogiſmi concluſionem propalavit non eſſe legitimam, putans quatuor conſtare terminis, mediumque intrare concluſionem. Si Theologus foret, non alios advertiſſet terminos quam hos tres, Medium, videlicet, *determinatio ſui ad amandum*; Majus extrèmum, *acceptum effectivè à Petro per auxilium gratiæ*; Minus extrèmum, *acceptum effectivè à Petrò per liberum arbitrium*. Quibus terminis in tertiâ figurâ optime in hunc modum concluditur: *Determinatio ſui ad amandum non eſt accepta à Petro effectivè per auxilium gratiæ: ſed Determinatio ſui ad amandum eſt accepta a Petro effectivè per liberum arbitrium: ergo aliquid acceptum à Petro effectivè per liberum arbitrium, non eſt acceptum à Petro effectivè per auxilium gratiæ.* Iſte Syllogiſmus eſt legitimus, nec alicujus vitij argui poteſt à Dialectico: ergo & ſequens æquivalens iſti: *Determinationem ſui ad amandum non accipit Petrus effectivè ab auxilio gratiæ; Determinationem ſui ad amandum accipit Petrus a libero arbitrio: ergo aliquid, quod accipit Petrus a libero arbitrio, non accipit effectivè ab auxilio gratiæ.* Hallucinatus eſt prædictus dialecticus primò ignorans propoſitiones doctrinales apud Theologos æquiualere univerſalibus, nec variari terminos quoad efficaciam concluſionis propter mutationem caſus; ſecundò videtur accepiſſe Petrum pro medio, cum ſit tantum ſubjectum de quo totus ſyllogiſmus verificatur; ſicut dum dico, *Homo non habet ab animali quod ſit riſibilis, Homo habet a rationali quod ſit riſibilis, ergo Homo aliquid, quod habet a rationali, non habet ab animali.* Ly Homo non reputatur inter tres terminos ut quid condiſtinctum ab illis, ſed magis ſe habet ut materia in quâ vis ſyllogiſmi explicatur, quæ quaſi in abſtracto poneretur, ſi diceretur, *riſibile non eſt ab animali: riſibile eſt a rationali: ergo aliquid quod eſt a rationali non eſt ab animali.* Quare merito ſuum facere poterit dialecticus iſte dictum vulgare; *Ne ſutor ultra crepidam.* *.

Interim probemus utramque præmiſſam. Minor, *Petrus accipit a libero arbitrio quod ſe determinet ad amandum*, ultro conceditur ab adverſarijs. Nec major, *Petrus non accipit effectivè ab auxilio gratiæ quod ſe determinet ad amandum*, in eorum doctrinâ negari poteſt: quia auxilium gratiæ determinatur à libero arbitrio ad amorem; cùm enim auxilium gratiæ de ſe ſit indifferens ad amorem, & ad odium, liberum arbitrium ſuâ determinatione facit, quod ſit ad amorem. Implicat autem, quod aliquid effectivè determinet illud, à quo effectivè determinatur. Eſt ergo Major illa vera, quod Petrus non accipit ab auxilio gratiæ, quod ſe determinet ad amorem, ac proinde ſi Petrus accipiat hoc à libero arbitrio, oportet ut aliquid habeat ex ſuo libero arbitrio, quod non habeat ex auxilio gratiæ.

V. Nec opus eſſet in hoc amplius immorari, cùm Molinæ diſcipuli hoc ipſum non diffiteantur. Leſſius enim apertè fatetur lib. de grat. c. 11. n. 8.

Digitized by Google

& 11. *Liberum arbitrium directè eſſe cauſam cur hîc & nunc Deus influat in opus, tum per ſua dona, tum per ſeipſum; non autem donum & gratiam, cur liberum arbitrium hîc & nunc influat.* Ita & omnes alij, qui non poſſunt concipere, quomodo amor ut eſt à libero arbitrio, poſſit eſſe à Deo ſub iſtâ preciſâ ratione; & tamen in Scholis clamant, quod Deus faciat liberum arbitrium agere. Quid eſt, quæſo, agere, niſi actionem egredi ab agente: vel potiùs eſſe ipſam egreſſionem? ſi ergo Deus facit quod liberum arbitrium amet, facit etiam quod amor egrediatur à libero arbitrio; ac proinde amor, ut egreditur à libero arbitrio, erit à Deo. Non minus ac actio inſtrumentalis, quæ ſub iſtâ ratione præciſâ, ſub quâ eſt ab inſtrumento, eſt etiam à causâ principali. Sed cùm Molinæ diſcipuli non habeant in mente, niſi ſuum concurſum ſimultaneum; in quo actio, ut eſt ab uno agente, non eſt ab alio; oportet ut dum urgentur teſtimonijs S. Scripturæ, & SS. Patrum, quod Deus faciat nos credere, amare, ambulare in præceptis ſuis &c. verbis dicant Deum facere quod liberum arbitrium agat; mente verò non poſſint illud concipere; ac proinde patiantur ſpiritûs contradictionem.

VJ. Verumtamen cùm ex hoc principio totaliter in ſua radice denudetur Scientia media, quantumvis ultrò donetur ab adverſarijs, expedit illud radicitus explicare. Ideò ſciendum eſt quod hæc propoſito: *Voluntas mota ab auxilio gratiæ amabit*, eſt ſimilis iſti: *planta mota ab influentiâ Solis germinabit.* Neutra enim apud Molinæ diſcipulos habet abſolutam veritatem, ſed ſolùm conditionatam. Quia non eſt verum infallibiliter, quod planta mota à Sole germinabit, niſi ſub hâc conditione, ſi planta fuerit benè diſpoſita. Sicut nec eſt infallibiter verum apud Moliniſtas, quod voluntas mota ab auxilio gratiæ amabit, niſi ſub hâc conditione, ſi voluntas ſe determinet ad amorem. Ex quo apparet, quod ſicut influentia Solis non cauſat diſpoſitionem plantæ, & ideò præſupponit illam: ita & auxilium gratiæ non cauſat determinationem liberi arbitrij, ſed præſupponit illam.

Vnde ſequitur, quod Angelus movens Solem debet prævidere diſpoſitionem plantæ, antequam poſſit decernere efficaciter germinationem plantæ per influentiam Solis; ſimiliter Deus debet prævidere determinationem liberi arbitrij antequam decernat efficaciter amorem liberi arbitrij per auxilium gratiæ. E contra ſi diſpoſitio plantæ eſſet effectivè ab influentiâ Solis, tunc Angelus movens Solem, abſque aliâ prævſione diſpoſitionis plantæ, poſſet efficaciter decernere illius germinationem. Similiter ſi determinatio liberi arbitrij eſſet effectivè ab auxilio gratiæ, tunc Deus abſque ullâ prævſione prædictæ determinationis poſſet efficaciter decernere amorem liberi arbitrij. Pluſquam igitur manifeſtum eſt, radicem Scientiæ mediæ eſſe, quod aliquid ſit à libero arbitrio procedens, quod non ſubditur cauſalitati gratiæ. In quo credimus Scientiam Mediam eſſe gratiæ inimicam.

Digitized by Google

VIJ. Tota hæc doctrina deſumitur ex Doctore Angelico de verit. q. 6. a. 3. ad 4. ubi ſic ſibi objicit: *Omnis certitudo quæ eſt cum ſuppoſitione alicujus, non eſt certitudo abſoluta, ſed conditionalis; ſicut non eſt certum ſi Sol cauſet fructum in plantâ, niſi cum hâc conditione, ſi virtus generativa in plantâ fuerit bene diſpoſita propter hoc quod diſpoſitio Solis ad effectum prædictum præſupponit virtutem plantæ, quaſi cauſam ſecundam. Si igitur certitudo prædeſtinationis ſit cum præſuppoſitione ſecundæ cauſæ, non eſt certitudo abſoluta, ſed conditionalis tantum.* &c.

Ad hoc argumentum ſic reſpondet Angelicus Doctor: *Dicendum quod cauſa ſecunda, quam oportet ſupponere ad inducendum prædeſtinationis effectum, etiam ordini prædeſtinationis ſubjacet; non autem eſt ita in virtutibus inferioribus reſpectu alicujus ſuperioris virtutis agentis. Et ideò ordo divinæ prædeſtinationis, quamvis ſit cum ſuppoſitione voluntatis humanæ, nihilominùs tamen abſolutam habet certitudinem*, &c.

Quaſi diceret: determinatio liberi arbitrij quam oportet ſupponere ad amorem, etiam cauſalitati gratiæ ſubjacet, & ideò motio divinæ gratiæ ad amorem, quamvis ad illum ſe determinet liberum arbitrium, nihilominùs tamen abſolutam habet certitudinem.

VIIJ. Confirmatur hoc ipſum ex moralibus. Quando Prælatus ſcit aliquem Religioſum in omnibus ſibi eſſe ſubjectum, nec ſe movere ad aliquid agendum niſi ex imperio ſui Prælati; tunc poteſt Prælatus decernere aliquid efficiendum per prædictum Religioſum, abſque eo quod prævideat diſpoſitionem ſui ſubditi. Undè non indiget hujuſmodi cognitione conditionatâ, ſi in tali occaſione imperavero huic Religioſo, ipſe efficiet actionem imperatam; vel, ut imperem illi efficaciter, debeo in iſtis circumſtantijs illi declarare meam voluntatem, alioqui non eſſet diſpoſitus ad mihi obediendum. E contra quando ſcit Prælatus Religioſum non ſemper moveri ex imperio ſuo, ſed multa facere pro ſuâ voluntate, tunc ut decernat efficaciter, & imperet efficaciter aliquid tali Religioſo, debet per ſcientiam ſuam prius explorare diſpoſitionem ſui ſubditi, & uti ſupradictâ cognitione conditionatâ.

Ecce quomodo Prælatus ad imperandum aliquid efficaciter, illudque decernendum non indiget aliquâ ſcientiâ explorante diſpoſitionem Religioſi, niſi quando in actione Religioſi eſt aliquid quod non procedit ex imperio Prælati. Ubi autem Religioſus nihil agit niſi ex imperio Prælati, non eſt opus ut prius præſcientiâ exploret, antequam ſuo imperio decernat. Unde in Evangelio de Centurione legimus, quod homo erat ſub poteſtate conſtitutus dicens huic: *Vade, & vadit; & alij veni, & venit; & ſervo ſuo, fac hoc & facit*, Matth. 8. Prædictus Centurio ob plenam ſuorum militum ſubjectionem, abſque ullâ præviâ ſcientiâ, decernit efficaciter actiones liberas ſibi ſubditorum; & Creator habens potentiſſimam poteſtatem ſupra liberum ſuæ creaturæ arbitrium non poterit abſque ſcientiâ aliquâ exploratrice decernere efficaciter actiones ſuæ creaturæ? Judicet cordatus Theologus.

Digitized by Google

IX. Evidens ergo eſt, radicem Scientiæ mediæ, eſſe quod aliquid ſit à libero arbitrio, quod non ſit à gratiâ, & liberum arbitrium non accipere à gratiæ motione quod ſe determinet ad ſuum actum. Ideò impugnantes Auguſtinum, qui non totum tribuebant prædeſtinationi, ſed aliquid libero arbitrio, exiſtimantes initium fidei non eſſe effectum prædeſtinationis, debuerunt recurrere ad Scientiam mediam, & exploratricem liberi arbitrij. Vox enim eorum erat, *Prædeſtinationem inniti Scientiæ*, & quod *prædeſtinatio nihil decernit, niſi præſcientia exploraverit*, ita Fauſtus Regienſis lib. 2. de gratiâ, & libero arbitrio, c. 2. 6. & 7.

§. II. *Ex probato Antecedente deducitur Scientiam Mediam eſſe gratiæ inimicam.*

X. Firmiter ſtabilitâ veritate noſtri antecedentis, probatur efficaciter illius Conſequentia. Hoc ipſo quod Petrus non habeat effectivè ab auxilio gratiæ, quod ſe determinet ad amandum, gratia debet dari ex operibus: ergo Scientia media, quæ hoc affirmat, erit inimica gratiæ. Patet Conſeq. ex illo Apoſtoli Rom. 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non eſt gratia.* Prob. Antec. Gratiam dari ex operibus, eſt gratiam dari dependenter ab aliquo opere præſuppoſito ad gratiam: ſed hoc ipſo quod Petrus non habeat ex auxilio gratiæ ſe determinare ad amandum, gratia datur dependenter à determinatione liberi arbitrij, quæ præſupponitur ad gratiam: ergo, &c.

XI. Reſpondent primò Molinæ diſcipuli, Apoſtolum non excludere dependentiam gratiæ ab operibus ſub conditione prævisis; ſed ſolùm ab operibus præſentibus, aut ſaltem abſolutè futuris.

Contra. Gratia non datur ex operibus: ergo ſecundùm Apoſtolum non datur etiam ex operibus ſub conditione prævisis. Prob. Conſeq. Hoc argumentum eſt efficax apud S. AUGUSTINUM: *Gratia non datur ex operibus: ergo non datur ex operibus futuris.* Iſtud ergo argumentum erit etiam efficax: *Gratia non datur ex operibus: ergo non datur ex operibus ſub conditione prævisis.* Sicut enim S. AUGUSTINUS ex eo quod Apoſtolus dixit abſolutè gratiam non dari ex operibus, excludit opera futura, ita etiam debent excludi opera ſub conditione prævisa, cùm nihil ſit determinans magis ad futura conditionatè prævisa, quàm ad futura abſolutè prævisa.

Hoc autem argumentum habet S. AUGUSTINUS lib. 2. contra 2. epiſt. Pel. c. 7. his verbis: *Propter quod profectò deſipitis, qui dicente veritate non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, vos dicitis ex futuris operibus, quæ Deus illum facturum eſſe præſciebat, Iacob fuiſſe dilectum: atque ita contradicitis Apoſtolo dicenti, non ex operibus: quaſi non poſſet dicere, non ex præſentibus, ſed ex futuris operibus: ſed ait, non ex operibus, ut*

Digitized by Google

gratiam commendaret. Vos ergo ſimiliter, qui dicitis ex operibus ſub conditione prævisis dari gratiam, contradicitis Apoſtolo dicenti; non ex operibus; quaſi non poſſet dicere, non ex præſentibus, ſed ex futuris conditionatè: ſed ait, non ex operibus, ut gratiam commendaret.

XIJ. Reſpondent ſecundò Mol. diſcipuli, Apoſtolum excludere ſolùm illa opera, quæ habent rationem meriti; opera autem ſub conditione prævisa non habent rationem meriti. Non enim videtur eſſe contra Apoſtolum, aſſerere, determinationem liberi arbitrij præcedere influxum gratiæ, dummodo non præcedat per modum meriti. Hac fucatâ ſolutione cogitant Molinæ diſcipuli ſe longè recedere ab ijs qui impugnant AUGUSTINUM, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis.

Contra. Illa opera excludit Apoſtolus quæ detrahunt gratiæ: ſiquidem ait: *Non ex operibus, ut gratiam commendaret*, ſecundùm S. AUGUSTINUM: ſed determinatio liberi arbitrij præcedens influxum gratiæ detrahit gratiæ: ergo prædictam determinationem excludit Apoſtolus. Prob. Minor. Illud detrahit gratiæ, quod tollit ab auxilio gratiæ diſcretionem credentis à non credente: juxta illud 1. Cor. 4. *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti?* Sed determinatio liberi arbitrij præcedens influxum gratiæ, tollit prædictam diſcretionem: nam hoc ipſo quod Petrus ſe determinat ad credendum antecedenter ad influxum auxilij, jam ſe diſcernit à non credente; ergo prædictum auxilium influit factâ jam diſcretione.

Confirmatur: Illud gratiæ detrahit, quod tribuit libero arbitrio aliquid in quo glorietur: *Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* ait Apoſtolus 1. Cor. 4. ſed determinatio liberi arbitrij præcedens influxum gratiæ tribuit libero arbitrio aliquid in quo glorietur, ergo &c. Prob. Minor. prædicta determinatio non accipitur ab auxilio gratiæ; ergo liberum arbitrium in illâ poterit gloriari; & conſequenter detrahit gratiæ.

XIIJ. Hoc pulchrè deridet S. AUGUSTINUS in ſuis Impugnatoribus lib. de Prædeſt. SS. c. 2. ubi ſic ait: *Volens à ſeipſo ſibi eſſe quod credit, quaſi componit cum Deo, ut partem fidei ſibi vendicet, atque illi partem relinquat; & quod eſt clarius, primam tollit ipſe, ſequentem dat illi, & in eo quod dicit eſſe amborum, priorem ſe facit, Poſteriorem Deum. Non ſic pius & humilis Doctor Cyprianus, qui dicit*, IN NULLO GLORIANDUM ESSE, CÙM NOSTRUM NIHIL SIT. Si noſtrum nihil ſit, peto, Quomodo determinatio liberi arbitrij poſſit antecedere influxum gratię, quia quidquid non eſt ex influxu gratię, noſtrum eſt. Et ſi determinatio liberi arbitrij antecedat influxum gratię, peto, Quomodo auxilium gratię pręveniat liberum arbitrium ut ſe determinet: Reſpondeat Molinę diſcipulus, & ſemper meminerit ejus, quod ait AUGUSTINUS in opere imp. contra Julianum, c. 95. *Si non prævenit ut operetur eam* (volitionem) *ſed prius exiſtenti voluntati* (volitioni, ſivè determinationi) *gratia cooperatur; quomodo*

Digitized by Google

verum eſt; *Deus in nobis operatur & velle, quomodo voluntas præparatur à Domino*? Et illius, quod dicitur epiſt Syn. Afror. Epiſc. in Sardiniâ exulum, cap. 14. *In vivificandis nullum initium humanæ voluntatis expectat*; *ſed ipſam voluntatem bona faciendo vivificat.*

* §. III. *Radix noſtræ impugnationis detegitur.*

VT vis noſtræ impugnationis cum ſuâ confirmatione clariſſimè, & radicitus percipiatur, conſiderandum eſt, quod ipſe actus fidei eſt illud quo formaliter diſcernitur credens à non credente, ſicut albedo diſcernit formaliter album à non albo. Cum ergo in omni ſententiâ actus fidei cauſetur & a voluntate, & ab auxilio gratiæ, ſequitur apertè, quod in omni ſententiâ diſcretio credentis à non credente cauſetur, & a voluntate, & ab auxilio gratiæ. Et hîc ſiſtunt Adverſarij, ſed velint, nolint, debent tranſire ulterius ad primam radicem diſcretionis. Nam voluntas & auxilium gratiæ non æqualiter concurrunt ad actum fidei: quia in ſententiâ Adverſariorum voluntas concurrit ut determinans auxilium, in verâ autem utriuſque Solis ſententiâ auxilium concurrit ut determinans voluntatem. Undè apud adverſarios auxilium accipit à voluntate quod influat in actum fidei: ſed apud utrumque Solem, voluntas accipit ab auxilio quod influat in actum fidei.

Si ergo auxilium influendo in actum fidei diſcernat credentem à non credente, & juxta adverſarios accipiat à voluntate ſuum influxum, oportet, ut etiam ab illâ primo habeat, quod diſcernat, & conſequenter ipſa voluntas eſt prima radix diſcretionis. E contra licet voluntas influendo in actum fidei ſe diſcernat à non credente, quia tamen juxta utrumque ſolem accipit ab auxilio quod influat, neceſſe eſt ut etiam ab illo primò habeat, quod ſe diſcernat, & conſequenter ipſum auxilium eſt prima radix diſcretionis.

Quis adeo cæcus modo non videat, Adverſarios è diametro opponi Apoſtolo dicenti, *quis enim te diſcernit? quid autem habes quod non accepiſti?* quibus verbis prima radix diſcretionis ſtatuitur auxilium gratiæ, quam tamen Moliniſtæ dicunt eſſe determinationem arbitrij. Non ſic fulgentiſſimus Eccleſiæ Sol S. Augustinus, qui aliquando ſentiens primam radicem diſcretionis eſſe determinationem arbitrij, fatetur ſe fuiſſe præcipuè convictum hoc Apoſtolico teſtimonio ut ab illâ opinione recederet, cujus contrarium per revelationem didicerat.

Teſtis ſit ipſe de prædeſtinat. Sanct. cap. 4. his verbis: Ecce quare dixi „ ſuperius hoc Apoſtolico præcipuè teſtimonio etiam meipſum fuiſſe convi- „ ctum. cum de hac re aliter ſaperem, quam mihi Deus in hac quæſtione ſol- „ vendi, cum ad Epiſcopum Simplicianum, ſicut dixi ſcriberem, revelavit. „ Hoc igitur Apoſtoli teſtimonium, ubi ad reprimendam hominis inflationem „ dixit;

„ dixit? *Quid enim habes quod non accepiſti?* non ſinit quemquam fidelium dicere, „ habeo fidem quam non accepi? reprimiturque omninò his Apoſtolicis verbis „ tota hujus reſponſionis elatio.

„ Sed ne hoc quidem poteſt dici; Quamvis non habeam perfectam fidem, „ habeo tamen ejus initium quo in Chriſtum primitus credidi; quia & hîc „ reſpondetur; *Quid autem habes quod non accepiſti? ſi autem & accepiſti, quid* „ *gloriaris quaſi non acceperis*: * Pulſo hîc conſcientiam Adverſariorum, ut omiſſis verborum cavillis rem ipſam diligenter attendant. Quid magis initium credendi, quam determinatio arbitrij? voluntas tribuens ſibi initium credendi pugnat cum Apoſtolico teſtimonio,& ſpeciali revelatione factâ S. AUGUSTINO; ergo cum iiſdem ſimiliter pugnabit voluntas tribuens ſibi determinationem arbitrij & non auxilio gratiæ. Quæ in rei veritate poteſt eſſe differentia inter voluntatem tribuentem ſibi initium fidei, & voluntatem conſtituentem ſe primam radicem diſcretionis? non alia certè quam minoris ad majus. Primum pugnat cum Apoſtolico teſtimonio; ergo multo magis & ſecundum. Primum primas partes dat arbitrio; ergo multo magis & ſecundum. A primo receſſit *S.* AUGUSTINUS ſpeciali Dei revelatione, ergo multo magis a ſecundo. Quæ ſi advertiſſet P. Annatus non nobis errorem illum,à quo receſſit S. AUGUSTINUS, obtruderet pro doctrinâ ejuſdem fulgentiſſimi Solis; de quo paragr. ſequenti. *

§. IV. *Solvitur quidam locus* S. AUGUSTINI, *in quo P. Annatus objectionem errantium accepit pro ſolutione* AUGUSTINI.

XIV. OBjicies. *S.* AUGUSTINUS l. 1. ad Simplicianum, qu. 2. ait, quod ipſum *velle* ſit Dei, vocando; noſtrum, ſequendo: ergo non poteſt dici, quod in operatione gratiæ nihil ſit noſtrum. Hanc objectionem proponit P. Annatus diſp. 1. de ſcientiâ mediâ, num. 57. impreſſ. Pariſ. ſub his verbis: *Et ſi quis obmurmuret quod in conſtituendâ divinæ gratiæ congruitate illâ partes eſſe aliquas dicamus creatæ libertatis*; *Auguſtinum appellet, cujus eſt illa vox ad Simplicianum, ut velimus & ſuum eſſe voluit & noſtrum*: *ſuum vocando*; *noſtrum ſequendo.*

Reſpondeo, quod iſte locus ab AUGUSTINO diſputando profertur ſecundùm ſuum errorem, quo ante Epiſcopatum tenebatur; ſed poſtea in eodem loco refutatur.

XV. Sciendum enim eſt, S. AUGUSTINUM aliquando credidiſſe, quod Deo vocanti ad *bene vivendum*, voluntas non ex inſpiratione divinâ, ſed ex propriâ libertate *vellet bene vivere*, quâ voluntate poſitâ Deus dat artem, ſive poteſtatem *bene vivendi.* Sicut enim ars pingendi eſt quædam poteſtas pingendi, quia illâ habitâ poteſt quis rectè pingere, Ita ars & induſtria, quâ bene vivitur, vocatur ab AUGUSTINO poteſtas benè vivendi. Quæ phraſis eſt multùm notanda.

Digitized by Google

Hic error fuit Semipelagianorum, qui dicebant neceſſarium eſſe quidem vocationem Dei, non tamen ex inſpiratione divinâ hominem habere, voluntatem credendi; ſed ex propriâ libertate illam habere, ſicut & voluntatem bene vivendi, cui poſtea Deus præſtaret bonam vitam, artem & induſtriam bene vivendi conferendo. Juxta quem errorem dixit loco citato AUGUSTINUS; *Aliter præstat Deus ut velimus, aliter præſtat quod voluerimus. Ut velimus enim & ſuum eſſe voluit & noſtrum; ſuum vocando; noſtrum ſequendo. Quod autem voluerimus; ſolus præſtat, id eſt? poſſe bene agere, & ſemper beatè vivere.* Quorum verborum germanus ſenſus eſt: aliter præſtat Deus, ut velimus *bene vivere*, aliter præſtat ipſum *bene vivere* quod jam voluimus. Ut velimus *bene vivere*, & ſuum eſſe voluit, & noſtrum; ſuum vocando, noſtrum ſequendo. *Bene* autem *vivere* quod jam voluimus ſolus præſtat, artem & induſtriam bene agendi conferendo. In quo elucet error ſupradictus Semipelagianorum; ſiquidem volitionem *bene vivendi* tribuit tantùm Deo ratione vocationis, non ratione bonę inſpirationis: volitio autem quæ nobis competit ex propriâ libertate & applicatione, & non ratione bonæ inſpirationis noſtra rectiſſimè dicitur.

XVJ. Hunc errorem retractavit S. AUGUSTINUS; Cùm enim dixiſſet: *Quod ergo credimus* (vocanti Deo) *noſtrum eſt; quod autem bonum operamur illius eſt, qui credentibus in ſe dat Spiritum Sanctum* (per quem facultas bene operandi confertur) ſtatim corrigendo ſubjungit: *Hoc profectò non dicerem, ſi jam ſcirem fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem Spiritu.*

Teſtatur etiam S. AUGUSTINUS lib. de prædeſt. SS. c. 4. in fine §. præced. relatus, ſe hunc errorem ex ſpeciali revelatione agnoviſſe: & initio ſuæ revelationis ſcribens ad Simplicianum, ſemetipſum ex profeſſo refellendum ſuſcipit. Vnde notitiam quam ſpeciali revelatione acceperat, ſtatim pro fundamento dicendorum proponit lib. 1. quæſt. 2. ad Simplician. dicens: *Noverit enim* (Deum) *ſibi præſtitiſſe ut crederet, qui miſeretur inſpirando fidem, cujus miſertus eſt, ut adhuc infideli vocationem impertiret. Iam enim diſcernitur fidelis ab impio. Quid enim habes quod non accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Hoc jacto fundamento plura ex primo errore diſputativè profert, quæ tandem refellit dicens, quod & ipſum *velle* ad miſericordiam Dei pertineat. *At illud manifeſtum eſt fruſtra nos velle niſi Deus miſereatur: illud autem neſcio quomodo dicatur; fruſtra Deum miſereri niſi nos velimus. Si enim Deus miſeretur, ergo jam volumus. Ad eandam quippe miſericordiam pertinet ut velimus. Deus enim qui operatur in nobis & velle & operari, &c.* ibid.

XVIJ. Quibus verbis & conſequentibus pleniſſimè docet, etiam ipſum *velle*, quod iſta ſuperior reſponſio homini ſolâ vocatione præcedente errando arrogaverat, Deo miſerenti, & operanti, non tantùm vocanti adſcribendum eſſe: ac proinde non eſſe ſic partiendum cum Deo *velle* & *operari*, ut dicamus *velle* eſſe Dei, & noſtrum; *Dei vocando; noſtrum ſequendo*; id verò quod volu-

-mus, hoc eſt, ipſum bene agere, eſſe ſolius Dei: Sed potiùs ſicut hoc ex profeſſo explicat lib. 1. retrac. cap. 23. *utrumque* (& velle, & bene agere) *noſtrum eſt propter arbitrium voluntatis & utrumque tamen datum eſt per Spiritum fidei, & charitatis*.

Hinc apparet quis ſit modus loquendi SS. Patrum, dum dicunt in nullo gloriandum, cùm nihil ſit noſtrum. Illud enim *noſtrum* ſolummodo excludunt quod non eſt ex ſpeciali inſpiratione Dei ſimul donatum. Juxta quem ſenſum, cùm liberum arbitrium (ut aiunt Moliniſtæ) non habeat ex ſpeciali Dei inſpiratione quod ſe determinet; prædicta determinatio erit noſtra, & in illâ poterimus gloriari.

* Illud etiam *noſtrum* ſolummodo excludunt, quod primas partes tribuit arbitrio. Non enim doctrina Catholica partes negat arbitrio: ſed primas negat. Liberum arbitrium & auxilium gratiæ ſunt duo actus credendi principia; non unum ſine alio, nec unum ante aliud, ſed utrumque ſimul influunt in actum credendi. Nullus hoc negat; verum non ibi ſiſtendum, ut ſuprà diximus. Nam ſi liberum arbitrium influat determinando auxilium primas habet partes; ſi verò auxilium influat determinando voluntatem primas habebit partes. Quid de iſtis duobus ſit ex utroque Eccleſiæ Sole Catholicè ſentiendum, judicet Cordatus. *

§. V. *Breviter explicatur in quo deficiunt Molinæ diſcipuli.*

XVIIJ. IN hoc deficiunt adverſarij, quod non diſtinguant inter principium actûs, & principium movens ad actum. Putant ſufficere ad hoc, ut actio tribuatur gratiæ & Deo, quod actio exeat à libero arbitrio informato gratiâ, & ideò comparant, & non incongruè, actionem ſupernaturalem ad voluntatem informatam gratiâ, ſicut actio naturalis comparatur ad voluntatem informatam habitu; ita ut, ſicut in actione naturali nihil exit à libero arbitrio, quod non ſit etiam ab habitu; ita & in actione ſupernaturali nihil exit à libero arbitrio, quod non ſit etiam à gratiâ.

Mirum eſt Viros adeò doctos exiſtimaſſe per hanc ſolam doctrinam ſe recedere ab impugnantibus S. AUGUSTINUM quibus in mentem non poterat cadere, quod ad actum ſupernaturalem non requireretur aliquod principium ſupernaturale: vox enim eorum erat: *Hominem dicimus in bono opere à Dei gratiâ ſemper adjuvari*, teſte S. AUGUSTINO lib. 1. ad Bonif. c. 18.

Sciendum igitur eſt, quod principium actûs eſt virtus agentis; & omne illud ſine quo non fit actus, præter applicationem, quæ conjungit actum principio, poteſt dici, quoad præſens, principium actûs. Vnde oculus v. g. omnis diſpoſitio ad temperiem illius requiſita, lumen, aër, &c. poſſunt dici principium viſionis. Movens verò ad actum eſt illud, quod eſt cauſa, ut actio fiat,

Digitized by Google

quæ ante non fiebat; & ut hæc actio fiat, & non illa.

Certum & indubitatum eſt in doctrinâ D. Thomæ, quod principium actûs quandoque agens, quandoque non agens, non poſſit ſibi eſſe cauſa, quod actio fiat: quia idem non poteſt de potentia effectivè ſe reducere ad actum, ut communiter Thomiſtæ docent 8. Phyſic. Quæ doctrina non ſolùm habet locum in naturalibus, ſed in omni etiam principio ſupernaturali. Nam gratia non eſt cauſa, quod actio fiat, quamvis ſit cauſa, quod actio quæ fit, ſit ſupernaturalis. Iſta ſunt valdè diſtinguenda, hæc actio quæ fit, eſt ſupernaturalis, & hæc actio ſupernaturalis fit: a gratiâ habetur quod actio, quæ fit à libero arbitrio, ſit ſupernaturalis; ſed non habetur à gratiâ, quod actio ſupernaturalis fiat à libero arbitrio; nec etiam habetur à gratiâ, quod hæc actio ſupernaturalis fiat à libero arbitrio, & non iſta.

XIX. Remanet igitur difficultas de libero arbitrio non ſolùm nudè ſumpto, ſed etiam de libero arbitrio informato gratiâ. Cùm enim gratia, & quodlibet principium ſupernaturale tenens ſe ex parte virtutis non dent libero arbitrio, quod agat; Quæritur à quo liberum arbitrium informatum gratiâ habet, quod agat? Si dicas, à libero arbitrio determinante ſeipſum, contradicis Apoſtolo dicenti 1. Cor. 4. *Quis te diſcernit?* &c. Illud enim quod eſt ſibi cauſa quod agat, ſe diſcernit à non agente. *Si dicas*, à Deo ſpecialiter applicante, conſentis Apoſtolo dicenti: *Quid autem habes, quod non accepiſti*? Primum Molinæ diſcipuli aſſerunt: Secundum S. Augustini, & D. Thomæ diſcipuli unanimiter tuentur. Qui prævaleant? judicet Cordatus Theologus.

Ecce lapis offenſionis, in quo offenderunt omnes Scientiæ mediæ defenſores. Vt Catholicæ fidei doctrina clariùs elucescat, & ad terminos Scholæ reducatur; obſervandum eſt, quod voluntas eſt illa potentia quæ movet ad actum, hoc tamen non facit voluntas, niſi ex prævio conſilio, & præcedente aliquâ volitione: Vnde volitio, quam non præcedit conſilium, & alia volitio, non eſt actio voluntatis, ut moventis ad actum, ſed voluntatis, ut ab alio motæ. Similiter omnis alia actio, ad quam voluntas non applicat potentiam mediante conſilio, & volitione finis, non tribuitur voluntati, ut moventi, & dirigenti ſe, ſed ut ab alio motæ & directæ; ita Thomiſtæ.

Hæc diſtinctio voluntatis, ut moventis ad actum, & voluntatis, ut ab alio motæ æqualiter reperitur tam in naturalibus, quàm in ſupernaturalibus: quia non petitur ex objecto, ſed ex modo tendendi in illud; ſicut diſtinctio cognitionis in diſcurſivam, & intellectivam non variatur ratione ſupernaturalitatis, quia non procedit ex objecto, ſed ex modo tendendi in objectum. Omnis ergo actio naturalis, quæ procedit à voluntate præviâ deliberatione, eſt actio voluntatis ut moventis ſe; ſimiliter omnis actio ſupernaturalis, quæ procedit à voluntate mediâ deliberatione, eſt actio voluntatis ut moventis ſe, & tribuitur voluntati, non principio ſupernaturali à quo elicitur; quia tale principium

Digitized by Google

non ſe habet ut movens, ſed ut motum; actio autem ſemper tribuitur moventi, ut ait D. Thomas 1. 2. q. 111. a. 2. Vnde prædicta actio quantumvis ſupernaturalis propriè dicitur eſſe noſtra, & in propriâ poteſtate. Omnis verò actio ſive naturalis, ſive ſupernaturalis, quæ ſine prævio conſilio, & præcedente aliquâ volitione procedit à voluntate, eſt actio voluntatis, ut ab alio motæ; nec tribuitur voluntati, nec dicitur eſſe noſtra, aut in propriâ poteſtate.

XX. Caveat Novitius Thomiſta hinc inferre omnem actionem liberam & humanam eſſe voluntatis ut moventis ſe. Nam ad actionem voluntatis liberam ſufficit quod procedat ex judicio indifferenti: ſi ad hoc judicium indifferens moveat ſe voluntas mediante conſilio & præviâ volitione, actio libera erit actio voluntatis, ut moventis ſe; ſi verò prædictum judicium indifferens non ſit ex deliberatione præviâ, actio libera non erit voluntatis, ut moventis ſe, ſed ut ab alio motæ.

* Nota, doctrinam iſtam in nullo contrariari libertati, quam poſtmodum proprio opuſculo (quod eſt hic tertium in ordine) explicui. Agitur hic de libertate tam actus, quam objecti, id eſt de libertate quoad exercitium, & ſimul quoad ſpeciem. Ad hanc libertatem exigitur judicium particulariter indifferens, id eſt, judicium quo bonitas objecti cum aliquo bonitatis defectu apprehendatur. Ad quod judicium particulariter indifferens, ſi voluntas ex præcedente actu ſe moverit actio libera erit voluntatis, ut moventis ſe tam quoad ſpeciem, quam quoad exercitium: ſi vero prædictum judicium particulariter indifferens non ſit ex actu præcedente, actio libera non erit voluntatis ut moventis ſe, ſed ut ab alio motæ. Vide infra opuſc. 3. cap. 11. §. 2. & 3. ubi etiam quæ hic dicimus de duplici actus principio non parum elucidantur. *

XXI. Breviter ex prædictâ diſtinctione declaratur Doctrina S. Augustini. Nullus eſt tantillum habens ingenij, qui ſi legerit S Augustinum (niſi fuerit Scientiâ mediâ præventus) apertè non videat, nullam, vel modicam fuiſſe difficultatem inter ipſum, & Pelagianos, ac Semipelagianos, de principio actûs boni; ſed præcipuam fuiſſe difficultatem de principio movente ad actum. S. Augustinus conſtanter & invictè aſſerebat hominem infirmum; nec ad ipſum velle, nec ad ipſum operari ex propriâ deliberatione & libertate ſe determinare, ſed utrumque procedere à voluntate, ut mota ab auxilio gratiæ. *Nos*, inquit; *volumus, ſed Deus in nobis operatur & velle. Nos operamur, ſed Deus in nobis operatur, & operari pro bonâ voluntate. Hoc nobis expedit & credere, & dicere: hoc eſt pium, hoc eſt verum ut ſit humilis & ſubmiſſa confeſſio, & detur totum Deo*, August. de don. perſev. c. 13.

E contra Pelagiani contendebant tam ad velle, quàm ad operari voluntatem ex propriâ libertate ſe determinare; quamvis non diffiterentur gratiam vocationis, & aliquam gratiam, quæ eſſet principium actûs. Semipelagiani volèbant quidem ipſum velle procedere ex propriâ determinatione voluntatis;

Digitized by Google

at ipſum operari in ſolam operationem Dei referebant. Et ſic de duobus quæ Pelagiani affirmabant, ipſi unum aſſerentes, & alterum negantes; dicti ſunt Semipelagiani.

Ab utriuſque longè recedunt utriuſque Solis Eccleſiæ diſcipuli, agnoſcentes cum ſuis Magiſtris, hominem infirmum ex propriâ determinatione non ſe agere ad volitionem boni, & operationem boni, ſed agi ad utrumque, juxta illud Apoſtoli Rom. 8. *Quicumque ſpiritu Dei aguntur, hi filij Dei ſunt.* Hominis ſiquidem ſani eſt, ſe tam in bono, quàm in malo regere, & gubernare; ſed hominis infirmi eſt, ſe in malis regere, & gubernare; in bonis autem à S. Spiritu regi, & gubernari. *Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, ſi vult non ſolùm vocari, verum etiam eſſe Chriſtianus,* ait S. Augustinus lib. de grat. Chriſt. cap. 10. Quapropter in Domino confidimus, Patres Societatis hanc gratiam quoque confeſſuros, ſuumque Bellarminum imitaturos; qui poſt mortem laudatur, quod patienter tulit mutationem quarumdam ſuarum opinionum, ita dico ſperamus, ut ſi imago primi ſæculi gloriam & ſplendorem Societatis Mundo enarravit; imago ſecundi ſæculi ejus humilitatem cœlo annuntiabit, quâ, ut purioris Doctrinæ Antiſtites veneraretur, deſerverit *heſterna Ludovici Molinæ commenta.* Sic Mariana celeberrimus Societatis ſcriptor doctrinam Molinæ decorat lib. 4. de regim. Societ. cap. 4.

* §. VI. *Ex illo principio, in quo Moliniſtæ deficiunt, invictè concluditur*, ſcientiam Mediam eſſe gratiæ inimicam.

Deficiunt, ut vidimus, Adverſarij, quod non ſufficienter diſtinguant principium elicitivum à principio applicante in materia gratiæ: Solum enim agnoſcunt indigentiam gratiæ ex parte principij elicitivi, non verò agnoſcunt indigentiam gratiæ ex parte principij applicantis: ſi quidem exiſtimant perire libertatem, ſi liberum arbitrium ab alio applicetur ad agendum. Undè omnem gratiam ſive habitualem, ſive actualem, ſubdunt libero arbitrio quoad uſum & applicationem: ita ut omnis gratia apud eos ſit *auxilium ſine quo* non fit actus, nulla autem ſit *auxilium quo* fit actus.

Quâ doctrinâ ſemel poſitâ opportuit eos recurrere ad ſcientiam Mediam ut ſalvarent efficaciam divinæ providentiæ circa actus liberos; etenim eo ipſo quod gratia non applicet voluntatem ad iſtos actus, ſed voluntas applicet gratiam ex propria determinatione; non poteſt ſcire Deus gratiam habituram effectum, niſi priùs exploret per ſcientiam Mediam certas occaſiones, & circumſtantias in quibus gratia data applicabitur à libero arbitrio ad ſuum effectum.

Neceſſarium omninò eſt, Larvam inſignem quâ Scientiæ Mediæ cooperitur deformitas hic revelare. Pigmenta de quibus cap. ſequenti, ſumuntur ab

extrinſeco, videlicet, a pluribus inconvenientibus quæ ſecluſâ ſcientiâ Mediâ opportet, inquiunt, deglutire. Larvâ, de qua intendimus hic agere, ſumitur ab intimis ſcientiæ Mediæ, & eſt quaſi color quidam intrinſecus quò ſe acutè diſcernunt Moliniſtæ ab Impugnatoribus S. AUGUSTINI. Fatentur, Impugnatores S. AUGUSTINI admiſiſſe ſcientiam Mediam, ſed eâ fuiſſe abuſos. Qui abuſus in hoc conſiſtit, quod aſſererent, *Fidem dari illis quos prævidit Deus credituros ex viribus naturæ.* Hunc abuſum adverſarij tollere ſe putant dicentes, *Fidem dari illis quos prævidit Deus credituros ex viribus gratiæ.* Et certe quis prima facie non agnoſceret, in iſtis verbis magnum inter utroſque diſcrimen? ſed Cordate Lector, credito mihi, Larva eſt ſub quâ eorum defenditur aſſertio; acumen vitreum eſt, de quo dicere poſſumus quod S. AUGUSTINUS impugnatori ſuo aſſerenti ſe non diſputare contra gratiam Dei: *Non inquit, contra gratiam Dei diſputo. Undè probas? eo ipſo, inquit, quod liberum arbitrium defendo. Videte acumen, ſed vitreum, Quaſi lucet vanitate, ſed Frangitur veritate.* Verba ſunt S. AUGUSTINI ſerm. 11. de verbis Apoſt. cap. 7.

Ita adverſarius dicet nobis, longè ſum ab impugnatoribus S. AUGUST. Vndè probas? Eo ipſo, inquiet, longè ſum ab eis quod conſenſuros ex viribus gratiæ prævideri aſſero. Videte acumen, ſed vitreum, quaſi lucet vanitate, ſed frangitur veritate.

Vt ergo invictè demonſtretur, diſcretionem iſtam adverſariorum lucere vanitate & frangi veritate, (nihil tamen cenſurando) ſciendum eſt, iſtam propoſitionem quæ eſt objectum ſcientiæ Mediæ, videlicet, *ſi fides detur in iſtis circumſtantiis voluntas credet*, habere duplicem ſenſum; poteſt enim primò intelligi, *ſi fides detur in iſtis circumſtantiis voluntas credet, voluntate determinante & applicante fidem ad credendum.* Poteſt ſecundo intelligi *ſi fides detur in iſtis circumſtantiis voluntas credet, fide determinante & applicante voluntatem ad credendum.* Eadem diſtinctio poteſt fieri de ipsâ gratiâ & concurſu Dei, ut dum dicitur, *ſi gratia & concurſus Dei dentur in iſtis circumſtantiis voluntas credet*, poteſt intelligi quod voluntas ſit creditura, vel ipſâ voluntate determinante & applicante tam gratiam quam concurſum ad actum fidei; vel ipsâ gratiâ & concurſu Dei determinantibus & applicantibus voluntatem ad credendum. Verum, claritatis gratia, agitabimus iſtam diſtinctionem ſub nomine auxilii gratiæ, & voluntatis; per auxilium gratiæ intelligentes quidquid requiritur ex parte Dei, tam ex parte actus primi, quam ex parte actus ſecundi; per voluntatem intelligentes quidquid ſimiliter requiritur ex parte liberi arbitrij. Sic enim S. AUGUSTINUS ſumpſit gratiam contra voluntatem ut per eam intelligeret quidquid eſt ex parte Dei, per voluntatem quidquid eſt ex parte liberi arbitrij. Dupliciter ergo poteſt prævidere Deus, quod dato auxilio gratię in iſtis circumſtantijs voluntas ſit creditura; Primò quod voluntas ſit creditura determinando & applicando auxilium; ſecundo quod voluntas ſit creditura auxilio determinante

Digitized by Google

& applicante voluntatem. Similiter ex parte gratiæ poteſt prævidere Deus quod datum auxilium in iſtis circumſtantijs conſequetur effectum ; Primò , quod conſequetur effectum voluntate determinante & applicante auxilium ; Secundò, quod conſequetur effectum auxilio determinante & applicante voluntatem.

Ecce Cordate Lector, planiſſimus quæſtionis præſentis ſtatus ab omnibus argutijs & cavillis ſcholarum præciſus. Si igitur volueris cordatè intelligere diſcretionem Moliniſtarum ab Impugnatoribus *S.* Augustini, opportet te ſolum attendere quem ex iſtis duobus ſenſibus tenuit S. Augustinus, & agnoſces clariſſimè diſcretionem Adverſariorum ab impugnatoribus S. Augustini ſolâ lucere vanitate, & frangi veritate. Nam ſi fulgentiſſimus Eccleſiæ Sol tenuerit eos prævideri credituros qui ex auxilio determinante voluntatem credunt, non qui ex voluntate determinante & applicante auxilium, opportet ut Impugnatores ejus tennerint eos prævideri credituros qui ex voluntate applicante auxilium, non verò qui ex auxilio applicante voluntatem credunt: ſimiliter ſi fulgentiſſimus Eccleſiæ Sol docuerit gratiam conſequi effectum ex applicatione gratiæ, non ex applicatione arbitrij, opportet ut ejus impugnatores defenderint gratiam conſequi effectum, ex applicatione voluntatis, non ex applicatione auxilij.

Quamcumque igitur gratiam fateantur adverſarij nunquam reipſa ab impugnatoribus S. Augustini recedent ſi eam determinantem & applicantem voluntatem non agnoſcant, ſed magis à voluntate determinari & applicari. Non datur medium in actu qui a voluntate & auxilio gratię procedit, vel procedit gratiâ determinante & applicante voluntatem, vel voluntate determinante & applicante gratiam; ſi primum dicis, Sancto Augustino conſentis, ſi ſecundum ejus impugnatoribus adhæres. Si primum dicis, gratiam Dominam fateris & voluntatem ejus pediſſequam; ſi ſecundum, voluntatem Dominam reputas, & gratiam ejus pediſſequam. Hujus probationem Paragrapho ſequenti remittimus ne hîc longior evadat. *

* §. VII. *In actu, qui a voluntate & gratiâ procedit, conſtanter docuit* S. Augustinus, *gratiam determinare & applicare voluntatem: agere ut voluntatis Dominam, non ut ejus pediſſequam.*

QUis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? & plorabo die ac nocte Impugnatorum S. Augustini in adverſarijs noſtris victoriam. ingemiſcit orbis terrarum videre ſe in adverſariis noſtris S. Augustini Impugnatorem. Quid cariùs Chriſtiano eſſe debet quam gratia Chriſti? quis igitur die ac nocte non ploret eam peſſumdari poſt tot glorioſos

S. Augustini

Digitized by Google

S. Augustini de ſuis impugnatoribus triumphos? Peſſumdatur gratia Chriſti dum fit voluntatis Pediſſequa, dum voluntati quoad nutum ſubjicitur dum non agit niſi voluntatis determinatione applicata. Refugit animus audire in actu qui amborum eſt, Dei ſcilicet & creaturæ, id quod eſt ex parte Dei ſervire ei quod eſt ex parte creaturæ, nec creaturam aliter agere poſſe quam Dominando creatori.

Si hanc gratiam faſſus fuiſſet S. Augustinus veriſſimum eſſet quod dixit Molina num. 32. referendus, *nunquam eâ* Augustini *opinione, concertationibuſque cum Pelagianis, tot fideles fuiſſent turbati, ad Pelagianoſque defeciſſent; facileque reliquiæ illæ Pelagianorum in Galliâ quarum in litteris Proſperi & Hilarij fit mentio fuiſſent extinctæ.* Verum cum contrarium acciderit, & fideles (teſte Molinâ) fuêre turbati ad Pelagianoſque defecerint, nec Pelagianorum reliquię in Galliâ fuerint extinctæ, opportet concludere, talem gratiam nunquam S. Augustinum defendiſſe contra ſuos Impugnatores: & conſequenter non aliam defendiſſe Chriſti gratiam quam illam, quæ omnem determinationem voluntatis præveniendo voluntatem ad omnem ſalutarem actum determinaret & applicaret. Vide infrà cenſuras aſſertionum. 1. 2. & 10.

Hoc luce meridianâ clariùs eſt, & qui hoc non videt cæcum eſſe, in doctrinâ S. Augustini ſine dubio ab omnibus cordatis credendum eſt.

Quis enim unquam vel ſapiens dixit, vel inſipiens cogitavit, vel vigilans ſuſpicatus eſt, vel dormiens ſomniando deliravit, gratiam quæ non agit niſi ex determinatione & applicatione liberi arbitrij libertati repugnare? & tamen gratiam quam defendit S. Augustinus libertatem tollere ita exprobrabant Augustino ut eum *eſſe præcipuum liberi arbitrij negatorem* aſſererent ut teſtatur idem Sanctus lib. 5. oper. imperf. cap. 109.

Hanc quoque eorum velut acutam ratiocinationem refert S. Hieronimus in epiſt. ad Cteſiph. *Fruſtrà dedit arbitrij poteſtatem, quam implere non poſſum, niſi ipſe me ſemper adjuverit. Deſtruitur enim voluntas quæ alterius ope indiget, ſed liberum dedit arbitrium Deus; quod aliter liberum non erit niſi fecero quod voluero. Ac per hoc ait, aut utor ſemel poteſtate, quæ mihi data eſt, aut ſi alterius ope indigeo libertas arbitrij in me deſtruetur.* Quomodo alterius auxilium deſtruere poteſt meam voluntatem, & impedire quominus faciam quod voluero, ſi tale auxilium ex applicatione mei arbitrij ſemper agat?

Poteſtnè rationabiliter objici aſſerenti nihil in homine agere gratiam niſi voluntate pro libito eam determinante, *ut quid nobis prædicatur, atque præcipitur, ut declinemus à malo & faciamus bonum, ſi hoc nos non agimus, ſed id velle & operari Deus operatur in nobis*; attamen verba ſunt Impugnatorum gratiæ quam defendit S. Augustinus. Qua ratione *hoc nos non agimus*, ſi gratia non habeat actum niſi juxtà beneplacitum noſtrum?

Si gratia quam defendit S. Augustinus non agat niſi ex nutu & applicatione

Digitized by Google

liberi arbitrij quis locus iſti querelæ quâ ſæpè de gratiâ ab AUGUSTINO defensâ quærebantur Impugnatores, nihil penitùs ab homine ſollicitudinis eſſe poſtulandum, ſed ſecurè expectandam cælitùs gratiam velut aquæ motionem: nihil etiam opus eſſe ut nos conatibus noſtris ad volendum agendumque annitamur. Bonos denique fieri homines fatali neceſſitate.

Abſurdum enim, ne dicam ſtultum eſt, arbitrari, quod gratia illa quæ in agendo hominis voluntati & poteſtati ſubditur, atque ab ejus pendet nutu, *libertatem deſtruat*; *ſine voluntate noſtrâ ſanctitatem perficiat*; ita *velle & operari operetur in nobis, ut nos non agamus*; *invictos cogat ad bonum*; *imponat neceſſitatem volendi bonum*; ipſamque *libertatem boni neceſſitate ſubvertat*; homines *fato, fatalique neceſſitate bonos faciat*: *ſine curâ ſanctitatis gloriam afferat*: efficiat dignè *ut nihil ſtudij ab humanâ voluntate expectetur*, ideoque *bona vita deſeratur*: *non nos qui laboravimus*, ſed *Deus ipſe vel Dei in nobis coronetur auxilium*: *ipſum laudetur, ipſum ſuperetur, ipſum culpetur, ipſum damnetur*. Quæ tamen omnia improperia ceciderunt ſuper gratiam quam defendit S. AUGUSTINUS.

Quare manifeſtiſſimum eſt in actu qui a gratiâ & voluntate procedit talem gratiam admiſiſſe S. AUGUSTINUM, quæ præveniendo omnem voluntatis determinationem eam determinaret & applicaret ad actus quoſcumque ſalutares. Huic gratiæ inimica eſt Scientia Media & ideo ab omni Cordato Theologo totis viribus explodenda. *

ARTICULUS IJ.

Scientia Media SS. AUGUSTINO, & THOMÆ *contraria oſtenditur.*

XXIJ. NOn parva eſt, nec contemnenda deformitas in materiâ gratiæ, & prædeſtinationis, recedere à prædictis SS. Doctoribus, qui nobis conſtituti ſunt à Deo Judices veritatis. Scientiam mediam ab illis recedere, non minùs ac nigrum ab albo evidenter convincitur: quia Deus ſecundùm Scientiam mediam decernit ex defectu poteſtatis; & ſecundùm Sanctos Doctores decernit ex plenitudine poteſtatis.

§. J. *Vterque Eccleſiæ Sol agnovit, plenitudinem poteſtatis excludere Scientiam Mediam.*

ARticulo præcedenti ſenſibiliter oſtendi, plenitudinem poteſtatis excludere Scientiam mediam; nunc ex utroque Eccleſiæ Sole hanc verita-

Digitized by Google

tem demonſtro. Imprimis S. Augustinus illam ſatis clarè docuit lib. de corrept. & grat. cap. 12. Ubi diſtinguit inter promiſſionem, quæ habet efficaciam ex pręſcientiâ, & illam, quæ habet efficaciam ex poteſtate promittentis. Et dicit, quod promittens ex pręſcientiâ non promittit quod ſuum eſt, ſed quod alterius eſt; quia hoc ipſo quod non poteſt promittere aliquid faciendum per aliquam cauſam, niſi præſciat ipſius diſpoſitionem, ſignum eſt, quod iſta cauſa non ſubdatur totaliter ſuę poteſtati; ac proindè promittens ex pręſcientiâ promittit aliquid, quod non totaliter ſubditur ſuę poteſtati; hoc eſt quod ait Augustinus, promittit, non quod ſuum eſt, ſed quod alterius eſt, & quod, non à ſolâ ſuâ poteſtate, ſed ab alienâ dependet.

XXIIJ. Promittens ex plenitudine poteſtatis promittit quod ſuum eſt, & quod à ſolâ ſuâ poteſtate dependet, quamvis promittat aliquid faciendum per aliquam cauſam à ſe diſtinctam; hoc ipſo quod prędicta cauſa ei totaliter ſubdatur, & in nullo reſiſtere poteſt, de ſolâ ſuâ poteſtate promittit, & non de alienâ. Nam poteſtas quæ mihi totaliter ſubditur, & de quâ facio quidquid volo, non poteſt dici aliena poteſtas, ſed propria. Tunc verò dicitur aliena poteſtas quando mihi non ſubditur. Idem ergo eſt apud Augustinum, promittere non ſuum, & promittere de alienâ poteſtate; ac promittere aliquid, cujus promittens non eſt totaliter cauſa.

Audiamus Augustinum loco citato: *Neque enim propterea eos promiſit Abrahæ, quia præſcivit à ſeipſis bonos futuros; nam ſi ita eſt, non ſuum, ſed eorum eſt quod promiſit: non autem ſic credidit Abraham, ſed non eſt infirmatus in fide, dans gloriam Deo & pleniſſimè credens; quia quæ promiſit Deus potens eſt & facere: non ait,* Quæ præscivit, potens est promittere. Vide Caput 10. de Prędeſt. Sanctorum.

XXIV. Nec à ſuo Magiſtro recedit fideliſſimus Diſcipulus S. Thomas, qui etiam optimè animadvertit, pręſcientiam non poſſe requiri ad efficaciam prędeſtinationis, niſi ex ſuppoſitione quod aliquid ſit ex libero arbitrio: quod non ſit effectivè à gratiâ, aut prędeſtinatione. Cùm enim aliqui dicerent, quod ideò Deus præordinavit ſe ei daturum gratiam, quem præſcivit benè uſurum gratiâ, de his ſic ait 1. p. q. 23. a. 5. *Sed iſti videntur diſtinxiſſe inter id quod eſt ex gratiâ, & id quod eſt ex libero arbitrio, quaſi non poſſit eſſe idem ex utroque...... Non eſt autem diſtinctum, quod eſt ex libero arbitrio, & ex prædeſtinatione, ſicut nec eſt diſtinctum, quod eſt ex causâ ſecundâ, & causâ primâ. Divina enim providentia producit effectus per operationes cauſarum ſecundarum, ut ſupra dictum eſt. Unde & id quod eſt per liberum arbitrium eſt ex prædeſtinatione.*

Hîc ſecundùm D. Thomam apparet, quod præſcientia determinationis liberi arbitrij, ſive boni uſus gratiæ non poſſit præcedere prædeſtinationem, niſi apud eos, qui dicunt prædictam determinationem, aut bonum uſum non eſſe effectum prædeſtinationis, & gratiæ. Etenim cùm hujuſmodi præſcien-

Digitized by Google

tia, ſit aliqua cauſa prædeſtinationis, impoſſibile eſt, id, quod per illam futurum præſcitur, eſſe effectum prædeſtinationis. Et ideò D. Thomas conſtanter negat hujuſmodi præſcientiam boni usûs, ex hoc ſolùm, quod ipſe bonus uſus, & quidquid poteſt ordinare hominem ad ſalutem cadit ſub prædeſtinatione, tanquam effectus ejus: ſic enim ibid. ait: *Et ſic impoſſibile eſt quod totus prædeſtinationis effectus in communi habeat aliquam cauſam ex parte noſtrâ. Quia quidquid eſt in homine ordinans ipſum in ſalutem comprehenditur totum ſub effectu prædeſtinationis, etiam ipſa præparatio ad gratiam. Neque enim hoc fit niſi per auxilium divinum. ſecundùm illud Thren. ult. Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Vide infrà num. 249. ubi aliud S. AUGUSTINI teſtimonium adducitur confirmans efficaciter quæ hîc dicuntur.

§. II. *Vterque Eccleſiæ Sol affirmat, Deum decernere ex plenitudine poteſtatis.*

XXV. SI ſemel, ut jam vidimus, plenitudo poteſtatis excludat Scientiam mediam, pluſquam manifeſtum erit, utrumque Eccleſiæ Solem ſcientiam mediam non admiſiſſe; nam evidens eſt, utrumque Sanctum affirmare, quod Deus decernat efficaciter ex plenitudine ſuæ poteſtatis.

Quid ſignificant aliud verba S. AUGUSTINI *Lib. de corrept. & gratiâ, cap.* 12. dum dicit, quod per gratiam voluntas indeclinabiliter & inſuperabiliter agitur, & *ibid. c.* 14. inclinatur à Deo quò ipſe voluerit, & quando voluerit, omnipotentiſſimâ poteſtate; ita ut volenti Deo ſalvum facere nullum hominis reſiſtat arbitrium; nulla voluntas divinam impediat voluntatem, vel ſuperet poteſtatem; humanæ voluntates non poſſunt reſiſtere; *item lib. de Prædeſt. SS. cap.* 8. Nemo veniat ad Chriſtum, niſi cui illa gratia datur; at omnis cui datur, veniet; ut per illam voluntas Dei ſemper juſta faciat nos bonum invictiſſimè velle, & hoc deſerere invictiſſimè nolle; per quam non ſolùm homines perſeverare poſſint, ſed & non niſi perſeverantes ſint; ratione cujus, *l. de corrept. & grat. c.* 14. voluntates hominum Deus magis habeat in ſuâ poteſtate, quàm ipſi ſuas.

Ridiculum certè eſt, dicere, quod Deus debeat priùs requirere conſenſum liberi arbitrij, & videre in quâ occaſione ipſi placuerit uti gratiâ, quando ipſa gratia facit, quod liberum arbitrium conſentiat, & quod eâ benè utatur; nec minùs ridiculum eſt, aſſerere, quod Deus, qui in ſuâ poteſtate magis habet liberum arbitrium hominum, quàm ipſi homines habeant illud, non poſſit decernere aliquid faciendum per prædictum arbitrium ex plenitudine ſuæ poteſtatis; ſed debeat per ſcientiam mediam priùs explorare, quando placuerit domino libero arbitrio ſe determinare.

XXVJ. Quid aliud ſignificant verba S. Thomæ 1. *cont. Gent. c.* 85. dum di-

Digitized by Google

cit, quod ex efficaciâ divinæ voluntatis; 1. *p.* q. 19. *a* 8. ex eo quod ſit efficaciſſima; *de verit.* q. 23. *a.* 5. ex eo quod ſit agens fortiſſimum; 1. *p.* q. 19. *a* 8. *ad* 2. ex eo quod nihil voluntati divinæ reſiſtit, ſequitur, quod non ſolùm fiant ea quæ Deus vult fieri, ſed quod fiant contingenter, vel neceſſariò quæ ſic fieri vult.

Ad quid, quæſo, præſcientia antecedens decretum, ut ſalvetur libertas arbitrij, ſi ipſum decretum ſecundùm D. Thomam ſit cauſa libertatis? Si hoc ipſo, quod Deus decernat aliquid liberè fieri, illud liberè fiat, quomodo poteſt ad mentem D. Thomæ ſuſtineri, quod decretum non poſſit eſſe efficax, niſi priùs ſcientia exploraverit? Judicet Cordatus Theologus.

XXVIJ. Hæc omnia confirmantur ex moralibus. Si à Prælato habente totum Capitulum ſibi perfectè ſubjectum, ita ut nihil agat, niſi ad nutum Prælati, requiratur aliquid expediendum per ſuum Capitulum; ipſe ſtatim poteſt efficaciter promittere, ſe illud facturum; & ſi quæratur ratio, quare promiſſio Prælati ſit efficax? ſtatim ſe offert reſponſio, quia potens eſt facere, quod promittit. E contrà, ſi à Prælato non habente Capitulum ſuum ſibi ſubjectum (ſed quilibet capitularis ſe dirigat ſecundùm ſuum beneplacitum) requiratur aliquid expediendum per ſuum capitulum, ipſe non poteſt ſtatim illud efficaciter promittere; ſed debet priùs explorare voluntates capitularium, & ſic præſciens voluntates ſuorum capitularium promittit efficaciter, ſe illud facturum; ſi quæratur ratio, quare promiſſio prędicti Prælati ſit efficax, non poteſt reſponderi, quia potens eſt facere, quod promittit: ſed debet reſponderi, quia quæ præſcivit, potens eſt promittere: non enim promittit ex plenitudine poteſtatis, quam habet ſupra ſuos capitulares; ſed ex ſcientiâ explorante eorum diſpoſitionem.

XXVIIJ. Animadvertant Molinæ diſcipuli, ſe oculos claudere utroque Eccleſiæ Soli, dum ſcientiam ſuam mediam requirunt antecedenter ad decretum; ſiquidem oportet, ut ſi ab ipſis quæratur, quare decernit Deus efficaciter? reſpondeant, quia quæ præſcivit, potens eſt decernere. Verùm nos utrumque Lumen delectabiliter aſpicientes, ut non infirmemur in fide, damus gloriam Deo, pleniſſimè credentes cum fideli Abraham, Deum efficaciter decernere, quia quæ decernit Deus, potens eſt & facere. Extollant illi liberum arbitrium, nos ſubjiciamus illud ſub manu potenti Dei. Dixit alicui S. Bernardus ſerm. 67. in Cantic. *Deeſt gratiæ quidquid meritis deputas. Nolo meritum, quod gratiam excludat.* Quidni etiam dicamus Molinæ diſcipulis, deeſt poteſtati Divinæ quidquid libero arbitrio deputatis. Nolumus liberum arbitrium, quod poteſtatem Dei excludat.

§. IIJ. *Ex Antitheſi S. Auguſtini, & Molinæ; nec-non ex quâdam concluſione P. Annati confirmatur intenta contrarietas.*

Duobus ſignis confirmatur intenta contrarietas; ex Antitheſi Auguſtini, & Moliniſtarum, nec-non ex quâdam concluſione P. Annati.

ANTITHESIS AUGUST. ET MOLINIST.

S. Auguſtinus docet,	Moliniſtæ docent,
XXIX. *Deum ſimpliciter & abſolutè convertere voluntates hominum.*	*Deum ſub conditione convertere voluntates hominum, ſi ſcilicet ipſi voluerint.*
Deum volentes ex nolentibus efficere.	*Deum volentes ex præviſis volituris efficere.* Quo ſenſu poteſt dici nolens, qui præviſus eſt velle?
Motionem divinam auferre duritiam cordis.	*Motionem divinam ſupponere mollitiem cordis.* Quæ major mollities cordis, quam ipſa liberi arbitrij determinatio?
Deum inclinare corda hominum quò, & quando voluerit.	*Deum inclinare corda hominum quò, & quando ipſis placiturum viderit.*
Deum non prærequirere certas temporis occaſiones, & morum diſpoſitiones; nec expectare conſenſum voluntatis.	*Deum alligari certis circumſtantijs, & morum diſpoſitionibus; nec-non expectare conſenſum voluntatis.*
Deum movere voluntatem faciendo, ut velit.	*Deum movere voluntatem, prævidendo ſi velit.*

HI oppoſiti modi loquendi (cuilibet Theologo mediocriter in his materijs verſato ſatis noti) convincunt efficaciter contrarietatem conceptuum inter S. Augustinum, & P. Molinam Scientiæ mediæ (ut ipſe de ſe gloriatur) inventorem : ait enim q. 23. a 4. & 5. diſp 1. memb. 6. *Et hæc noſtra ratio conciliandi libertatem à nemine quem viderim huc uſque tradita.*

XXX. Concluſio P. Annati evidenter quoque oſtendit, ſe fuiſſe ex principijs doctrinæ S. Augustini oppoſitis deductam. Concludit enim Annatus diſp. 1. de ſcientiâ mediâ, cap. 6. fol. 129. impreſſ. Pariſ. *Admiſſâ igitur ſcientiâ mediâ, non eſt difficile ad intelligendum quomodo Deus prædiffinire poſſit actum liberum, illæſâ ejus libertate.* Ex hoc ſic argumentor; Quod non eſt difficile contrariatur ei, quod eſt difficile: ſed in ſcientiâ mediâ non eſt difficile ad intelligendum, quomodo Deus prædiffinire poſſit actum liberum illæſâ ejus libertate; & in doctrinâ S. Augustini, id eſt difficile: ergo ſcientiâ mediâ contrariatur do-

Digitized by Google

ſtrinę S. Augustini: ac proindè Annati concluſio fuit deducta ex principijs doctrinę S. Augustini oppoſitis.

Nihil eſt in hâc argumentatione probandum, niſi quod in doctrinâ S. Augustini ſit difficile ad intelligendum, quomodo Deus prędiffinire poſſit actum liberum illęsâ ejus libertate. Hîc maximè locum habet teſtimonium S. Eucherij homil. 2. de Paſchate dicentis: *Validis abſque dubio nititur privilegijs, qui cauſam de adverſarij aſſerit inſtrumentis. Specioſa victoria eſt contrariam partem cartulis ſuis, velut proprijs laqueis irretire, & teſtimoniorum ſuorum vocibus confutare, & æmulum telis ſuis evincere, ut pugnatoris tui argumenta, tuis probentur utilitatibus militare.*

XXXJ. Quis neſciat præcipuam Pelagianorum, & Semipelagianorum quærelam contra doctrinam S. Augustini fuiſſe de læſione libertatis? quorum ingenium atque ſtudium ſatis oſtendit, doctrinam S. Augustini in hoc puncto fuiſſe difficilem ad intelligendum. De illis refert Proſper in Epiſt. ad August. *Removeri itaque omnem induſtriam, tollique virtutes dicunt, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates, & ſub hoc prædeſtinationis nomine fatalem neceſſitatem induci*, &c. Et in carmine de ingratis ſic canit:

Hic vanam inſano profertis corde querelam,
Omne opus arbitrij ſublatum vociferantes,
Currere currentum, ſi non eſt velle volentum.
Nec vitijs pœnam deberi, aut præmia laudi,
Si, vel naturam obſtrictam mala velle neceſſe eſt,
Vel noſtro adſcribi nequeunt bene geſta labori.
Numquid non eadem ſapiunt, eademque perorant,
Veſtri illi, quorum jactatis verba, Magiſtri?

Inſanus eſſet, qui hujuſmodi querelam contra ſcientiam mediam ſuſcitaret. Et quamvis art. ſeq. dicturi ſimus ſcientiam mediam evertere libertatem; non tamen dicemus, hoc facere ex defectu, ſed ex exceſſu; non quia tollit indifferentiam, ſed quia tollit independentiam; eamque inſeparabilem facit à potentiâ ad peccandum.

XXXIJ. Quid recurrimus ad Pelagianos, & Semipelagianos ad probandum doctrinam S. Augustini fuiſſe in hoc puncto difficilem: ipſo Molinâ cum ſuis diſcipulis nihil aliud reclamante? verba Molinæ ſunt loquentis de principijs ſcientiæ mediæ, qu. 23. a. 4. & 5. diſp. 1. memb. ult. Quæ ſi data „ explanataque ſemper fuiſſent, fortè neque Pelagiana hæreſis fuiſſet exorta, „ neque Lutherani tam impudenter arbitrij noſtri libertatem fuiſſent auſi „ negare, obtendentes cum divinâ gratiâ, præſcientiâ, & prædeſtinatione „ cohærere non poſſe; neque ex Augustini opinione concertationibuſque,

Digitized by Google

„ cum Pelagianis tot fideles fuiſſent turbati, ad Pelagianoſque defeciſſent; „ facileque reliquiæ illæ Pelagianorum in Galliâ, quarum in Epiſt. Proſperi, „ & Hilarij fit mentio fuiſſent extinctæ, ut patet ex iis in quibus homines „ illos, cum Catholicis conveniſſe, & ab eis diſſenſiſſe eædem Epiſtolæ „ teſtantur, concertationesque inter Catholicos facilè fuiſſent compoſitæ. „ Vide infra num. 259.

XXXIIJ. Quem, quæſo, Cordatum non commovebit hæc Molinæ confeſſio, quâ apertè fatetur doctrinam ſuam doctrinę S. Augustini contrariari? *Iraſcimini*, ſcriptum eſt, *& nolite peccare*, Pſalm. 4. Legi de Eximio Domino ac Magiſtro noſtro Eſtio hujus Almę Univerſitatis pręclaro Lumine, fuiſſe à quodam ſuo diſcipulo & familiari dictum: Cùm in omni converſatione & colloquio vir modeſtiſſimus & temperatiſſimus eſſet; ubi tamen de concordiâ gratiæ & liberi arbitrij ſermo incidiſſet, tunc ſolitum efferveſcere & iraſci. Rogatus autem aliquando cauſam, reſpondiſſe: *Se non poſſe pati, quod gratia Dei hoc infelici tempore noſtro ſic tractaretur, & conculcaretur pedibus.* Eodem prorſus zelo ſentio me commoveri, at quia ſcriptum eſt: *Nolite peccare*; Perſonas ſummè veneror, & quotidie pro illis rogo Dominum noſtrum Jesum-Christum, ut ad agnitionem veritatis, & divitias gratię ſuæ illos perducat. Velamen enim poſuit ſcientia media ſuper cor eorum. Hæc verò S. Augustini & D. Thomæ doctrina ſcientia Sanctorum eſt, & via cœli. Nam ut S. Fulgentius ait lib. 2. cap. 18. de verit. prædeſt. S. Augustinum *legat, qui vitam æternam adipiſci deſiderat, humiliter orans miſericordiæ Dominum, ut eundem ſpiritum intelligentiæ legens accipiat, quem ille accepit, ut ſcriberet.* Et ut S. Augustinus ad Bonifacium Papam lib. 3. cap. 2. ait: *Oret ut aliquando intelligat, non litiget ut nunquam intelligat.* De Divo autem Thomâ Chriſtus de cœlo teſtatus eſt: *Bene de me ſcripſiſti Thoma*: Et in terris Vicarius ejus Innocent. VI. ita D. Thomæ doctrinam prædicavit: *Ut nunquam qui eam tenuit inveniatur à tramite veritatis deviaſſe, & qui eum impugnavit ſemper fuit de veritate ſuſpectus.*

* §. IV. Ex conflictu S. Augustini cum ſuis Impugnatoribus concluditur, *Deum decernere ex plenitudine poteſtatis non ex præſcientiâ.*

NIhil ita ad oculum manifeſtat plenitudinem poteſtatis in divino decreto quam impugnatio S. Augustini à poſtremis ſuis adverſarijs. Non enim hoſtiles gerebant animos adverſus gratiam quando primum S. Augustino & ejus defenſoribus Hilario & Proſpero reluctati ſunt, ſed ſolis difficultatibus territi tot monſtra ex S. Augustini opinione pullulantia ſalvâ gratiâ & Eccleſiæ pace ſuffocare voluerunt.

Ut igitur

Digitized by Google

Ut igitur breviter id quod res eſt dicam, nihil aliud eos in ſcriptis S. Augustini offendit, quam illud propoſitum voluntatis Dei quò certus numerus ſalvandorum reliquis pereuntibus à perditionis maſſâ diſcernitur. Ex quo proindè juxta doctrinam ejus fit, ut quotquot ita divinæ gratiæ largitate diſcreti, & ſecundum propoſitum illud vocati ſunt, infallibilis gubernationis lege *procuretur eis audiendum Evangelium & cum audiunt credant, & in fide quæ per dilectionem operatur uſque in finem perſeverent, & ſi quando exorbitant, correpti emendentur: & nonnulli acceptâ gratiâ in quâlibet ætate periculis hujus vitæ, mortis celeritate ſubtrahantur.* De corrept. & grat. cap. 7.

Quotquot non ita diſcreti atque vocati ſunt: certiſſimè pereant: Tota denique ſalvandorum à perituris differentia, quam vel in hoc vel in futuro ſæculo cernimus vel non cernimus, in conſtitutionem Dei prævenientem omnem voluntatis humanæ determinationem, hoc eſt in unicum divinæ voluntatis cardinem refundatur: ex iſto enim peculiari duriſſimoque ut ipſis videbatur diſcretionis, ſive prædeſtinationis, ſive electionis, ſive vocationis propoſito, quæ omnia in Divi Augustini doctrinâ eadem reputantur, innumerabilia abſurda, nullâque ratione toleranda videbantur ſequi. Undè ad illud propoſitum cum ſuis conſectaneis abſurditatibus funditùs evertendum omnem ſui ingenij operam adhibuerunt poſtremi S. Augustini impugnatores. Vidè infra cenſuras aſſertionum. 23. & 30.

Hunc unicum fuiſſe lapidem offenſionis manifeſtè declarat Epiſtola Proſperi ad Augustinum. *Multi*, inquit *Proſper ſervorum Chriſti qui in Maſſilienſi urbe conſiſtunt in ſanctitatis tuæ ſcriptis, quæ adverſus Pelagianos hæreticos condidiſti contrarium putant Patrum opinioni & Eccleſiaſtico ſenſui quidquid in eis* De vocatione electorum secundùm propositum *diſputaſti.*

Et ne quis ignoraret quid ſibi vellet in S. Augustini ſcriptis illud propoſitum, quouſque ſeſe protenderet, quibus de cauſis tantoperè Maſſilienſibus diſpliceret: apertiſſimis verbis rem totam deducendo ſubjungit: *Hoc autem propoſitum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium; vel in ipſâ conditione generis humani eligendorum & rejiciendorum dicitur facta diſcretio ut ſecundùm quod* Placuit creatori, *alij vaſa honoris, alij vaſa contumeliæ ſint creati, & lapſis curam reſurgendi adimere, & ſanctis occaſionem teporis adferre.*

Quâ ratione obſecro? an ex vi gratiæ; an ex immobilitate illius duritiâque propoſiti? *eo quòd* (pergit Proſper) *utrâque parte ſuperfluus labor ſit, ſi neque* Ejectus *ullâ induſtriâ poſſit intrare, neque* Electus *ullâ negligentiâ poſſit excidere.*

Dic apertiùs cur tanto illius propoſiti horrore trepidetur? *Quoquo enim modo ſe egerint, non poſſe aliud erga eos quam* Deus definivit *accidere, & ſub incertâ ſpe curſum non poſſe eſſe conſtantem.* Quare hoc? *cum ſi aliud habeat* Prædestinantis electio, *caſſa ſit annitentis intentio.*

Denique capitalis odij cauſam adverſus fulgentiſſimi Eccleſiæ Solis doctri-

Digitized by Google

nam quaſi in ſummâ complexus: *Removeri itaque omnem induſtriam*, inquit, *tolli que virtutes ſi* Dei constitutio humanas prævenjat voluntates & ſub hoc *Prædeſtinationis nomine* fatalem *quamdam induci neceſſitatem.*

Non minùs certum eſt ex Epiſtolâ Hilarij ad eundem ſanctum Doctorem non aliâ de cauſâ Maſſilienſes in illum errorem ſuum de gratiâ & merito fidei incidiſſe, quam quod non ferrent illud quaſi fatale propoſitum Dei ex quo juxta S. Augustini ſententiam, unus præ alio credendi & perſeverandi voluntatem accipit, ut hic, non ille à perditionis maſſâ diſcernatur. Ecce in ipſo exordio lapidem offenſionis dilucidis verbis expoſitum: Hæc ſunt quæ Maſſiliæ, vel alijs etiam locis in Galliâ ventilantur. *Novum & inutile eſſe prædicationi quod quidam* Secundum propositum eligendi *dicantur, ut id nec accipere valeant, nec tenere niſi voluntate credendi donatâ.* Et eos non aliâ ratione horruiſſe hoc propoſitum quam quod præveniret omnem voluntatis determinationem, indicant ſequentia: *Nec ad incertum voluntatis Dei deduci ſe patiuntur, ubi eis quantum putant ad obtinendum vel amittendum evidens eſt qualecumque initium voluntatis.*

Ecce dummodò ſit aliquod initium voluntatis quod à propoſito non prævenitur, non recuſant propoſitum. Vocetur iſtud initium meritum, non vocetur, hoc non multùm ponderant, ſed hoc unicum contendunt, ut ratio detur aliqua ex parte hominis electorum & rejectorum à Deo ut manifeſtiùs dicitur in initio epiſtolæ; *ſi autem, aiunt, vel talem voluntatem omnibus remanſiſſe, quâ vel contemnere quis valeat vel obedire, de compendio putant rationem reddi electorum vel rejectorum, in eo quod unicuique meritum propriæ voluntatis adjungitur. Nam ſi ſic* (ut inferiùs ſubjungitur) *prædeſtinati ſunt, inquiunt, ad utramque partem, ut de alijs ad alios nullus poſſit accedere, quò pertinet tanta extrinſecùs correptionis inſtantia.*

Quæ ſanè omnia manifeſto argumento ſunt propoſitum diſcretivum non inniti alicui præſcientiæ ſed omnia in illo decerni ex plenitudine poteſtatis; nec ulterius aliquid Cordatis probandum eſſet. Verum ut nullus ſit Moliniſtis ſubterfugiendi locus paragra. ſequenti colligemus rationes propter quas diſcretionis illud propoſitum refugerunt impugnatores S. Augustini, & alio paragrapho videbimus an illæ rationes militare ullatenùs valeant contra decretum ex præſcientiâ quale defendit ſcientia Media.

* §. V. *Rationes afferuntur ob quas impugnatores* S. Augustini *refugerunt Doctrinam ejus de decreto ex plenitudine poteſtatis ſive diſcretivo.*

Graves admodùm & magno numero ſunt querimoniæ quibus illud propoſitum diſcretivum certorum hominum relictis alijs ſecundùm

omnipotentiſſimam Dei voluntatem ſicut ab Augustino traditur, Impugnatores S. Augustini vellicant & accuſando traducunt. Nos earum præcipuas breviter perſtringemus.

Prima igitur eaque capitalis illius propoſiti accuſatio eſt, quod nihil aliud quam *fatum* illud gentilium ab Eccleſiâ expoſitum eſſe videatur. Non quod reverâ vel ſiderum conſtitutionem vel ipſam cauſarum connexionem velut cauſam ſalutis aut perditionis hominum à S. Augustino aſſeri crederent, ſed quod decretum illud Dei, conditiones quaſdam fati participare videretur; quarum *prima* eſt, quod ſicut fatum gentilium hominis originem & omnem voluntatis humanæ determinationem præceſſiſſe diceretur: *ſecunda* quod abſoluta propoſiti illius immutabilitas talis ac tanta ſit, ut inſtar cujuſdam fati nullo conditionis alicujus ex parte hominis defectu fruſtrari, nec ullâ hominis induſtriâ in alteram partem poſſet inflecti: *Tertia* quod efficacia illius in voluntatem antecedens, neceſſitatem quamdam fatalem afferre videbatur. Unde conquerebantur: *ſub hoc prædeſtinationis nomine fatalem quamdam induci neceſſitatem.* Proſp. in epiſt. & ipſum decretum fati nomine infamabant vocantes illud fatale decretum, fatalem legem, præfixam legem originis. Fauſtus lib. 2. cap. 6. qui & lib. 1. cap. 4. ait: ſub pietatis fronte gentilitatis fatum & inter gratiæ vocabulum abſconditum erit fatale decretum.

Secunda igitur accuſatio propoſiti illius fuit, quod liberum extinguat arbitrium. Vndè apud Proſperum cap. 6. Gall. hanc eſſe Divi Augustini doctrinam Galli aſſerunt: *Quod liberum arbitrium in homine nihil ſit, ſed ſive ad bonum ſive ad malum prædeſtinatio Dei in hominibus operetur.* Quod intelligunt fieri non ratione propoſiti nudè conſiderati, ut in Deo latet, ſed propter effectus quos per gratiam efficaciſſimam, quam S. Augustinus prædicabat, homines diſcernendo, operatur. Nam apertiſſima illa ſcripturæ loca & creberrimè à S. Augustino uſurpata: ſicut unicuique partitus eſt menſuram fidei, Rom. 12. & ſimilia (quibus inæqualis gratia & hominum ex donatâ voluntate credendi diſcretio ſignificatur) nolunt Hilario teſtè in Epiſt. ad hoc valere, ut uni *etiam daretur, ut velut rejectis ab hoc dono alijs pariter reis, & qui poſſent ſimiliter liberari, ſi ea quæ pariter indignis præſtatur credendi voluntas, etiam ipſis ſimiliter præſtaretur.* Ex quo conſequenter fit, ut & ipſam prædicationis inæqualitatem, quâ *Evangelium alijs, vel alicubi, vel nunc prædicatur vel non prædicatur*, nolint juxta doctrinam Apoſtolicam ex divinâ voluntate diſcretionem hominum afferente contingere. Sed *id dicant præſcientiæ eſſe divinæ, ut eo tempore & ibi, & illis veritas annuntietur, quando & ubi prævidebatur eſſe credenda.* ibid.

Et iſtę quidem duæ rationes averſandi illius propoſiti capitales ſunt, ac veluti fontes undè omnes reliquæ querelæ manant. Itaque duplex aliud malum ex eo conqueruntur ſequi. *Deſperationem* in peccatoribus, *etiam & ignaviam* in Sanctis. Vtriuſque ratio eſt, quod neceſſe ſit utrumque accidere id quod

Digitized by Google

divinitùs decreto præveniente omnem voluntatis humanæ determinationem conſtitutum eſt. Fruſtrà itaque laborari adverſus id quod nullo conatu ſivè benè ſivè malè agendo mutari poteſt. Luculentiſſimè utrumque malum & ejus cauſa deducuntur in Epiſtolâ Proſperi ad AUGUSTINUM, ubi dicunt: *Hoc propoſitum vocationis & lapſis curam reſurgendi adimere, & Sanctis occaſionem teporis afferre.* Cauſam addunt. *eo quod utrâque parte ſuperfluus labor ſit, ſi neque rejectus ullâ induſtriâ poſſit intrare, neque electus nullâ negligentiâ poſſit excidere. Quoquo enim modo ſe egerint, non poſſe aliud erga eos quam Deus definivit accidere, & ſub incertâ ſpe curſum non eſſe conſtantem: cum ſi aliud habeat prædeſtinantis electio, caſſa ſit annitentis intentio.* Et idem inculcantes adjungunt: *Removeri omnem induſtriam tollique virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates.*

Sed quarta omnium invidioſiſſimè jactata divini propoſiti accuſatio eſt, quod ædificationi audientium hoc eſt prædicationi, exhortationi, correptioni hujuſmodi decretum ex plenitudine poteſtatis eſſet adverſum. Hinc Hilarius ſic relationem ſuam exorditur. Hæc ſunt quæ Maſſiliæ vel alijs etiam locis in Galliâ ventilantur; *Novum & INUTILE ESSE PRÆDICATIONI quod quidam ſecundùm propoſitum eligendi dicantur, ut id nec arripere valeant, nec tenere niſi credendi voluntate donatâ.* Et Proſper in Epiſt. *Nec acquieſcunt prædeſtinatum electorum numerum, nec augeri poſſe nec minui, ne locum apud infideles ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant.*

Quintò averſantur illud prædeterminantis Dei propoſitum, quia videtur omnem orationem extinguere. Quidquid enim in electis ut fiat Dei voluntate prædeterminatum eſt, etiam nemine orante complebitur; quidquid in reprobis prędeterminatum eſt ut non fiat, nullius oratione impetrabitur quia rigor illius propoſiti flecti nequit. Hæc prima eſt Fauſti Regienſis querimonia lib. 5. de grat. & lib. arb. cap. 4. *In alterutram, inquit, partem ſubſidia orationis excludunt. Quid enim ultra ſperet, quem jam gratia ſuum fecit? In quo è contrario non deſperet, quem præfinitio violenta damnavit?* Et non multò poſt: *Quintum ex origine perditum, alterum in prædeſtinatione affirmas electum, vide quò improbâ perſuaſione declinet. Quid enim aliud dicit niſi quod adjutorio orationis neuter indigeat. Nam jam præordinatis ad vitam neceſſaria non erit: deputatis ad mortem prodeſſe non poterit. In iſto ſupernacanea, in illo infirma judicabitur. Beneficia ſupplicationis qui in acquiſitione prædeſtinationis eſt, non requirit; qui verò in perditionis parte, non recipit. Quod ſi curam impendendam æſtimas orationi, indubitanter intelligat ea quæ imminent poſſe mutari.*

* §. VI. *Iſtas rationes militare contra Decretum ex præſcientiâ non dicet niſi inſipiens.*

SI quis has rationes ſapienter conſideraverit, non niſi inſipientem agnoſcet eum qui eas militare contra Decretum ex præſcientiâ affirmaverit. Nam ſi ante divinæ voluntatis propoſitum prævideatur liberum arbitrium determinare gratiam in iſtis circumſtantijs datam, profectò jam propoſitum eligendi humanam non præveniret, ſed ſequeretur voluntatem, nec diſcretio fieret *ſecundum quod placuit creatori*, ſed *ſecundum quod præſcivit creator*. Vide infrà cenſuram aſſert. 4. Sicut Prælatus, ut ſupradictum eſt, de ſubditis non totaliter ſubjectis non diſponit ſecundum quod placet ei, ſed ſecundum quod prævidet eos diſpoſitos: ita ſi Deus debeat prævidere diſpoſitionem voluntatis quâ in iſtis circumſtantijs determinat gratiam, & non in illis, non certè diſponet de voluntatis actibus *ſecundum ſuum beneplacitum*, ſed *ſecundum ſuam præſcientiam*. Et quis rationis tantillum compos ſupradictis rationibus hujuſmodi decretum impugnabit? ad ſingulas deſcendamus.

Primò. Quænam obſecro ab homine non fatuo vel tenuiſſima formidari poteſt umbra fati? quænam ſtabilitatis ejus immutabilis, quæ efficaciæ timendæ ratio? Nonne tota ſi qua vel fingi poſſet fatalitas, immutabilitas, efficacia, à propriâ liberi arbitrij determinatione penderet, cujus tanta erit poteſtas ut in nullis circumſtantijs valeat a gratiâ determinari, in pluribus autem prævideatur eam determinare. Nonne prævisa voluntatis determinatio ſuum potiùs unicuique fatum conderet, & fatum ipſum regeret, quam hùc illùc pro alterius beneplacito fatali aliquâ conſtitutione regeretur, aut raperetur?

Secundò. Quis hic eſſe poteſt interimendæ libertatis metus, ubi Deus ſollicitus eſt & ſtudioſiſſimè vigilat ut ponatur in illis circumſtantijs in quibus nullâ fatali aliquâ ſanctione lædatur? ubi nihil proponitur aut decernitur, niſi libertas voluntatis jam antè a Deo extra periculum omne poſita & incolumis eſſe videatur? ſi priùs conſenſura voluntas prævideatur quam *ab* aut *de* illâ fieri aliquid decernatur, nonne idipſum eis liberaliſſimè datur quod tantis querimonijs petunt in epiſt. Hilarij, nimirùm, *ut uni non donetur ut velit, rejectis ab hoc dono alijs pariter reis, & qui poſſent ſimiliter liberari, ſi ea quæ pariter indignis præſtatur credendi voluntas, etiam ipſis ſimiliter præſtetur*. Item, ut *non ſit ſpecialis erga credentes munificentia*; ut *gratia omnibus ingeratur*; ut non *alijs detur, alijs non detur*: ut *invitetur liberum arbitrium, non cogatur*; ut *non afferatur ei fatalis neceſſitas*: ut *per præoperantem & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium?*

Tertiò. Quam non ineptiâm ſapit ſuperfluum eſſe laborem voluntatis

Digitized by Google

propter decreti ex præſcientia conſtantiam conqueri, quod non niſi præviſo voluntatis labore ſancitum eſt? vereri voluntatis divinæ incertitudinem quam à propriâ liberi arbitrij determinatione ſuſpendi ſciunt? ſub illo incerto deſperabundum gemere quod unicuique fieri propriæ voluntatis determinatione certiſſimum eſt? eſſe deſperationi locum, ubi nihil in alterutram partem pro ſuâ voluntate vel conſtitutione Deus facit, ſed omnia ad vitam æternam aſſequendam neceſſaria in hominis poteſtate & arbitrio collocantur?

Quis item poteſt ſanctis eſſe teporis & ignaviæ fomes, ubi nihil à Deo per gratiam fiet niſi homo eam determinaverit, ad actum quem ipſe voluerit? ubi non rumpitur obſtinatæ porta voluntatis à gratiâ determinante ſed homini gratiam determinanti aperitur, & aperienti remuneratio præparatur.

Nonne apertiſſimè datur eis quidquid in remedium deſperationis & ignaviæ confingere potuerunt in epiſt. Proſperi? Nempè, *ita poſſe unumquemque ad correctionem aut ad profectum vocari, ſi ſe ſciat ſuâ diligentiâ bonum eſſe poſſe*: rectèque *omnem hominem* (poſitâ gratiâ pro nutu voluntatis determinandâ) *ad credendum & operandum divinis inſtitutionibus admoneri, ut de apprehendendâ vitâ æternâ, nemo deſperet, cum voluntariæ devotioni remuneratio ſit parata.* Quomodò verò non dico timeri, ſed vel fingi hic poteſt, *ne utrâque parte ſuperfluus labor ſit:* cum nihil per hanc gratiam fieri poſſe ſtatuatur niſi labor acceſſerit? *Ne rejectus ullâ induſtriâ poſſit intrare*; cum ab eâ nemo rejiciatur, & cum eâ intret qui voluerit? *Ne electus ullâ negligentiâ poſſit excidere*; cum per ſolam negligentiam tota talis gratia quantumvis magna in vacuum recipiatur?

Quartò. Omnem denique delirantium excedit abſurditatem, quod correptionum & exhortationum interitum per illud propoſitum afferri quererentur, ſi correptio & exhortatio non efficiat aliquid in voluntate niſi ubi conſenſus voluntatis fuerit ante præviſus; nec abſurdiùs aliquid fingi poteſt, quam per gratiam pro nutu voluntatis determinandam exhortationes, correptiones, & omnia rectè faciendi præcepta ſubverti; imò nihil congruentiùs hujuſmodi gratia excogitari poteſt ad hoc ut homines omni inſtantiâ præceptis, exhortationibus, & correptionibus excitentur. Si enim adſit gratia à voluntate determinanda nihil homini obligato, admonito, & correpto deeſſe poteſt niſi ſola proprij arbitrij determinatio quæ hujuſmodi ſtimulis provocatur.

Ex his quæ diximus in hoc articulo perſpicuè (ut arbitror) patet Decretum ab adverſarijs S. Augustini impugnatum, fuiſſe ex plenitudine poteſtatis non ex preſcientiâ; & gratiam ab eo contra inimicos gratiæ defenſam determinare voluntatem præveniendo omnem ejus nutum, non à voluntate determinari ex præviſo illius nutu. Alioquin facillimum fuiſſet S. Augustino impugnatoribus ſuis reſpondere, malè eos de illo propoſito & gratiâ doctrinam ſuam intelligere; nihil eſſe de actibus humanis decretum niſi præviſâ priùs liberi

Digitized by Google

arbitrij determinatione quâ gratiam ſub certis circumſtantijs datam pro nutu ſuo determinet ad quod voluerit; ac proindè nihil eſſe in decreto à ſe aſſerto fatale, vel formidabile quia nihil a Deo inconſultâ voluntate decernitur: ſalvum eſſe ſub gratiâ liberum arbitrium, & maximè ſalvum, quia quocumque voluerit determinat gratiam.

Ita quippe facillimo, expeditiſſimo, breviſſimoque explicandi modo ſatisfeciſſet S. Augustinus poſtremis ſuis impugnatoribus qui gratiam admittebant, ſed ſupradictis rationibus veluti quibuſdam difficultatum umbris terrebantur. Cur ergo tam periculoſas, ſcandaloſaſque difficultates viris gravibus & amicis, flagrantibus tot presbyteris de ſalute perelitantibus, non unius ſaltem ſententiolæ declaratione ſopivit? ſi fortè non potuit certè ignariſſimus & ſtupidiſſimus fuit: ſi autem noluit impiiſſimus. Illud ab ejus divinâ profundiſſimâque ſapientiâ remotiſſimum, hoc ab ejus pietate alieniſſimum.

Quare exoptando concludo, utinam Deus meus tam eſſem certus de ſalute meâ, quam certò deduci arbitrer ſcientiam mediam gratiæ tuæ eſſe inimicam, & S. tuis Augustino & Thomæ contrariam. Scio a te ſcriptum, *cor regis in manu Domini quocumque voluerit inclinabit illud*, Prov. 26. Sed Molina excogitavit, *gratia Domini in manu regis quocumque voluerit determinabit eam*. Abſit ut te deſerens, Molinam ſequar, non me impinguabit oleum gratiæ verſatilis in æternum. Sed omnem voluntatis meæ determinationem tibi Deus meus ſubjicio, & preventus benedictionibus dulcedinis tuæ, miſericordias tuas in æternum cantabo. Amen. *

§. Ultim. *Cenſuræ Facultatum Sacræ Theologiæ Lovanienſis, ac Duacenſis.*

XXXIV. Non poſſum hîc preterire Cenſuras Facultatum S. Theol. Lovan. & Duacenſ. ſine magno veritatis præjudicio. Quamvis omnis vis cenſurandi ab eis majori authoritate fuerit ſemota, & ideo ex eis doctrinam ſcientiæ mediæ in aliquo cenſurare non intendam; veritati tamen, quam defendo, multum detraherem, ſi prædictis Cenſuris Opuſculum hoc noſtrum non fulciretur, ac ornaretur. Nam in illis ſcientiæ mediæ deformitas ex ſuis conſequentijs quaſi in ſpeculo ita relucet, ut cæcum eum eſſe oporteat, qui eam gratiæ Chriſti inimicam, & utroque Eccleſiæ Soli adverſari, ex prædictis Cenſuris non animadverterit. Quare non immeritò Cenſuras illas adduco poſt præced. Articulos in quibus probare intendo, ſcientiam mediam eſſe gratiæ inimicam, ac SS. Augustino, & Thomæ contrariam.

Digitized by Google

PRÆFATIO CENSURÆ LOVANIENSIS.

FAcultas S. *Theologiæ Lovanienſis primò ponit quatuor cauſas, quibus mota eſt ut doctrinæ Moliniſtarum ſe opponeret. Primam aſſignat his verbis*: Imprimis quod D. AUGUSTINI de gratiâ & libero arbitrio, deque prædeſtinatione & reprobatione doctrinam, in quâ tuendâ, explicandâ, ac illuſtrandâ tot annis, tot editis libris, tantâ diligentiâ atque inſtantiâ, vir tanto ingenio, tantâ ſapientiâ, tot Dei dotibus tam excellenter ornatus, jam ævi maturus ac ſenex pro Dei Eccleſiâ deſudavit, non in aliquâ, ut dicitis, ſui particulâ, ſed totam propemodùm ex propoſito oppugnari, funditùſque deſtrui ac everti videmus. Ac in B. AUGUSTINI ſcriptis, quid tandem eſt, quod eum Eccleſiæ Dei tam gratioſum, venerabilem, ac ſuſpiciendum hactenùs reddidit, quam hæc ipſa de gratiâ & Dei prædeſtinatione doctrina; Quam ei laudem & gloriam ſi quis eripiat, næ is præcipuum illi decus, & quaſi florem & coronam capitis detraxerit, ut ob cætera non ſit cur eam magnoperè admiremur. Si verò in tanti momenti argumento explicando relapſum ſuis ſe *&c.* Unde ipſius etiam defuncti authoritatem & famam adversùs tum ejus, tum gratiæ Dei oppugnatores Cœleſtinus Pontifex (*epiſt. ad Epiſcop. Galliæ, cap. 2. & 3.*) tuendam ſuſcipiens, tantum illi perhibet ſcientiæ teſtimonium, ut non modò illum dicat *neceſſarium in ſcribendo non exceſſiſſe modum, nec ullo unquam ſiniſtræ ſuſpicionis vel rumore ſaltem fuiſſe aſperſum*: Verùm etiam *inter optimos Eccleſiæ Magiſtros à ſuis ſemper anteceſſoribus habitum, qui proinde cunctis & amori, & honori fuerit*, meminiſſe ſe aſſeveret. Quod Apoſtolicæ Sedis tam luculentum elogium eſt, ut adversùs calumniatores ejus omnes, vel unum abundè ſufficiat, neque neceſſe ſit cæterorum Eccleſiæ Patrum, quas in eum congerere non dubitarunt, accumulare hic laudes, quando illud unum inſtar ſit omnium.

Quare intolerabile nobis viſum, quod non ſolùm adversûs Pelagium, & ejus hæredes, infeliciter laboraſſe D. AUGUSTINUS fingitur, ſed idem quoque de Lutheraniſmo ac Calviniſmo ſuſpectus redditur, tamquam imperitus, ſtupidus, ac cœcus habetur, ut non modò gratiæ ipſius, de quâ diſſerebat, vim naturamque neſcierit; ſed nec arbitrij humani libertatem ne monitus quidem, dogmate ſuo evertere ſe ſenſerit. A quâ hæreticorum, & veterum, & noſtræ tempeſtatis ſententiâ, & argumentis, ſi non poteſt D. AUGUSTINI doctrina vindicari, graviſſimè profectò, & à Sede Apoſtolicâ, & cæteris Eccleſiæ proceribus peccatum eſt, qui B. AUGUSTINI vigilias, labores, atque doctrinam, tam magnificè prædicaverint, eam tanquam periculoſam, perniciosam, & hereticam arguere potiùs, damnareque debuerint. At verò quid Eccleſiæ Dei calamitoſiùs, *&c.*

Secundam

Digitized by Google

Secundam cauſam tradens ait: Et quaſi non hæc ſatis atrocia ſint, novum quoddam ab Oriente bellum B. Augustino conflatur, ut Græci Patres omnes in ſupradicto argumento, & ſcripturis hùc pertinentibus explicandis, diverſam ab eo, diſcipuliſque ipſius ſententiam tenuiſſe inducantur, ut in præcipuo fidei articulo Oriens & Occidens diſſidere inter ſe exiſtimetur. Quod quam periculosè, perniciosèque dicatur, etiam nobis tacentibus, facilè quivis intelligat. Sed abſit, *&c.*

Tertiam cauſam exponit dicens: Mirum verò quid ita viſum ſit non hanc modò, ſed cæteras etiam pœnè omnes Maſſilienſium, aliorumque eidem huic B. Augustini doctrinæ per Gallias olim obſtrepentium querelas poſt Catharinum ac Pighium, de integro renovare, ac ſuſcitare, quas tamen à Sede Apoſtolicâ per Cœleſtinum Pont. repreſſas, coërcitas, caſtigatas, & æterno conſtat eſſe damnatas ſilentio? ut autem palam fiat non alia B. Augustino à vobis objici, nec diverſas eſſe veſtras de doctrinâ ejus querimonias, quam quas olim Proſper atque Hilarius ad ipſum primùm Augustinum, deindè ad Cœleſtinum Pontif. retulêre, breviter eas ex ipſorum ſcriptis collectas proponemus. Et primum quidem, *&c. De quibus vide Collationem infrà poſitam cap. 2. art. 4. §. ultimo.*

Hanc cauſam poſt relatas Maſſilienſium querimonias proſequitur his verbis. Has fuiſſe olim Maſſilienſium, aliorumque quorumdam per Gallias inter cætera opinationes quas adversùs Augustinum retinendas putarent, ex Proſpero atque Hilario intelligi poteſt, cum quibus utrum nihil habeatis commune, quæſumus, prudentia veſtra etiam atque etiam diſpiciat. Nam quod in ejus rei adfertis argumentum, fidem illos Dei donum negaſſe, vos eſſe fateri: equidem (ut id etiam vobis donemus) prorsùs non ſatisfacit, videtis enim quam alia multa ſuperſint à quibus adhuc vindicari habeatis. Et tamen ut quod ſentimus, dicamus ingenuè, nec in illâ parte multùm videmus diſcriminis......... Nam concomitans gratia quam in auxiliante concurſu collocatis, nec converſionem ipſam, nec velle tribuit, ſed adeſt tantùm ad cooperandum paratis, ſed, ut dicitis, ſi priùs ipſi voluerimus, quem concurſum non putamus nec Pelagium fuiſſe negaturum. Quare omnibus bene conſideratis, nec in hac quidem parte ſatis videmini à Maſſilienſibus recedere, neque in alio differre, quam quod præter internam prædicationem ac Dei pulſum imperfecta quædam deſideria, ac velleitates interdum quaſdam ſuperadditis. Quæ quam parvo diſcrimine ac intervallo diſtent, per communem, quæſumus, ſalutem advertere dignemini. Jam verò, &c.

Quartam denique cauſam his verbis declarat: Quam verò tum hæc, tum ſuperiora omnia & periculoſa, & ut liberiùs loquamur, pernicioſa ſint, velimus prudentia veſtra preſſiùs conſideret, deprehenſuram ſperamus ex his doctrinæ fontibus peſtiferos iſtos manare rivulos. *Dei gratiam ſecundùm merita noſtra dari,*

Digitized by Google

ſidem, converſionem, bona opera, ac in eis perſeverantiam noſtrarum eſſe propriè virium. Ex lege eſſe juſtitiam. Non eſſe orationem magnoperè neceſſariam. In toto ſalutis noſtræ negotio quod præcipuum eſt homini tribuendum, quod minus eſt Deo. (Quis enim non videat præſtantiùs eſſe ipſum fidei, converſionis, bonæ vitæ ac perſeverantiæ opus, quam ſolùm hoc poſſe & huc excitari) *Item in opere gratiæ priores hominis eſſe partes, poſteriores Dei. Quemque ſibi ducem eſſe ad bonum, pediſſequum ac ſubſervientem eſſe Deum? Denique fas eſſe jam non in Domino, ſed in ſeipſo gloriari. Immò quod ex iſtis conficitur ad præcipuos ſalutis effectus gratis eſſe mortuum Chriſtum.* Atque id totum propterea: quia veræ atque efficacis gratiæ Chriſti cum libero arbitrio iniri putetur non ſatis poſſe concordia. Quæ res cùm viſa ſemper fuit eſſe difficilis, & credi tamen intereà concordiam neceſſe foret, etiamſi humano ingenio minùs id plenè comprehendi poſſet, quæri ſtudijs veſtris ille magis videtur modus, qui ad humanum ſit captum plauſibilis, quam ſecundùm Scripturarum doctrinam ſolidus. Sed hæc de juſtiſſimi doloris noſtri cauſis generatim dixiſſe ſufficiat, cætera in aſſertionum cenſuris particulatim ſæpiusque perſecuturi ſumus. In quibus tamen, &c.

Expoſitis ſuæ Cenſuræ cauſis motivis præfationum concludit, Moliniſtas ad unitatem ſensûs, & doctrinæ concordiam exhortando his verbis: Quod autem ſupereſt, Reverendi Patres, obſecramus vos in Chriſti viſceribus, ut rem hanc totam, ſepoſito pauliſper anticipatæ opinionis præjudicio, liberis animis intueri, ſeriòque expendere dignemini, ut, ſi fieri queat, in tam magno fidei noſtræ de gratiâ Chriſti ac Dei prædeſtinatione negotio unum idemque concorditer ſapiamus, eo magis quod (ut idem de Maſſilienſibus quæritur Proſper) eadem aliquando nobiſcum melioraque ſenſeritis.

Neque enim de ſtudioſorum excidit memoria quænam, Reverendi Patres, Robertus Bellarminus ex eâdem Cathedrâ veſtrâ de his ipſis argumentis nuper ſenſerit, & publicè docuerit, veſtro nunc dogmati planè adverſa atque contraria, in quod iiſdem cum Maſſilienſibus de libero arbitrio moti argumentis abduci vos paſſi eſtis, quod quam graviter, prudenter, ac circumſpectè factum à vobis ſit, Maſſilienſium docere vos poteſt exemplum. Nam ut liberi arbitrij cum verâ Chriſti gratiâ conciliationem difficilè fuerit ad popularem captum, intelligentiamque deducere, non tamen moveri quemquam hinc oportebat, ſed meminiſſe potiùs Prophetici dicti: *Niſi credideritis, non intelligetis.*

Equidem valdè dolemus, pietatem veſtram Domini noſtri Jesu Nomen, Titulumque præferentem, gratiæ ipſius (ut nobis ſanè videtur) obſcurare gloriam, ejuſque vim & efficaciam enervare. Et cum de Chriſtianorum moribus optimè ſitis hactenùs promeriti, non parum veremur, ne ſi in ſusceptâ ſemel doctrinâ iſtâ perſeveretis, ejus contagio plurimùm ſitis obfuturi, & qui bonæ vitæ exemplo multos ædificaſtis in Chriſto, dogmatis jam hujus magiſterio pleroſque malè vobis credulos in ruinam, quod abſit, exitiumque

Digitized by Google

præcipitetis. Cæterùm libertatem in dicendo hic noſtram, &c.

Hâc Præfatione præmiſſâ ad ſingulatum procedit aſſertionum cenſuras, quas non omnes, propter brevitatem, ſed ſolùm eas referimus, quæ huic Opuſculo juxta intentionis noſtræ metam aptiores exiſtunt. Primò ponimus aſſertiones, deinde ad quamlibet Cenſuras utriuſque Facultatis ſubjicimus, nihil, ut monuimus, cenſurantes, ſed verba ſolummodò referentes.

ASSERTIO I.

AUgustinus definit de dono perſev. c. 14. quod prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur. Quæ definitio valdè bona eſt, ſi intelligatur de prædeſtinatione hominum, quæ ſupponit ſervitutem & peccatum, & de certitudine ex præſcientiâ, non ex merâ præordinatione.

CENSURA LOVANIENSIS.

HIc Commentarius, Maſſilienſium videtur renovare ſententiam, qui Dei electionem ex meritorum eſſe volebant præſcientiâ, quam B. Augustinus loco ſupradicto refellendam ſibi proponit. Quare pervertit & ſupradictam B. Augustini definitionem. Conſtat enim ex antecedentibus ipſius verbis loqui eum non de conditionatâ pręſcientiâ, qualem in prædictis verbis Patres intelligunt, ſi videlicet acceptare gratiam & perſeverare voluerint, ſed de pręſcientiâ eorum quæ ipſe facturus eſt, quę propterea ſe facturum præſcivit, quia facere ſine conditione voluerit, ſicuti abſque conditione facturum ſe abſolutè promiſit, & propterea quicumque ſecundùm æternam Dei prædeſtinationem de maſsâ perditionis liberantur, ideò certiſſimè liberantur, quia gratię ſuæ beneficijs liberare illos Deus decreverit, faciendo non ſolùm ut poſſint ſi velint, ſed faciendo etiam ut velint & faciant, idque perſeveranter uſque in finem. Ejuſmodi enim ſunt promiſſiones Abrahæ & ſemini ejus, electiſque novi Teſtamenti filijs apud Moyſen, Hieremiam, Ezechielem, atque alibi factæ, ut eruditè proſequitur B. Proſper. lib. 4. de vocat. gent. cap. 9.

CENSURA DUACENSIS.

SEcundo loco peccatur eâ re in aſſertione, quod certitudinem prædeſtinationis pendere velit ex præſcientiâ, & eo trahat verba B. Augustini: cùm ſit ex abſolutâ Dei voluntate diligentis, eligentis, ac præordinantis ad vitam æternam, ipſeque contra, Augustinus (*ibid. & cap.* 17. 18. & 19.) apertiſſimè ad idem objectum referat præſcientiam, de quâ loquitur, ad quod prædeſtina-

Digitized by Google

tionem: ut Proſper (*ad cap. Gallor. ſent. ultimâ*) ex AUGUSTINI ſententiâ, in bonis prorsùs eadem eſſe vult præſcita & prædeſtinata. Aſſertor verò eam referre videtur ad ea quæ erat homo facturus, ſicut ex aſſertionibus 4. 11. 13. 20. & 30. poteſt intelligi: imò ex hâc ipsâ ſatis intelligitur: Quaſi ſcilicet primùm Deus conſideraſſet quid liberum cujuſque arbitrium cum tali aut tali gratiâ, ſi daretur ei, facturum eſſet: deindè autem propoſuiſſet ei dare talem gratiam, & denique gloriam. Ex quibus incidit in aliud majus abſurdum, quod prædeſtinatio ſit ex prævisione boni uſûs liberi-arbitrij. Quæ doctrina repugnat Scripturis ſacris, & expreſſæ doctrinę S. AUGUSTINI, Proſperi, Fulgentij, & aliorum qui contra Pelagium, & eorum reliquias Catholicam de gratiâ Chriſti doctrinam eruditè & laudabiliter defenderunt. Repugnat & definitionibus Cœleſtini Papæ *&c. Quod argumentum multis proſequitur. Deinde concludit.*

Quæ cùm ita ſint, ut alia multa ad hoc argumentum pertinentia omittamus, non poteſt non peregrina, & periculoſa, & meritò reprobanda videri doctrina, quæ prædeſtinationem ex operum prævisione definit. Quam quidem & ante 240. annos Facultas Theologica Pariſienſis damnaſſe legitur ſub hiſce tribus articulis: *Quod propter opera alicujus futura bona Deus prædeſtinavit aliquem ab æterno. Quod aliquis prædeſtinatus eſt ab æterno propter bonum uſum liberi arbitrij, quem Deus præſcivit eum habiturum. Quod non ſic gratis & misericorditer Deus prædeſtinavit illum quem prædeſtinavit, quin & pro omnibus bonis ipſius futuris, vel alterius.*

ASSERTIO II.

DEus poſt prævisum peccatum originale habuit voluntatem dandi Adamo, & toti ejus poſteritati ſufficientia media contra peccata, & auxilia ad conſequendam vitam æternam; ergo dat illis ſufficiens auxilium ut poſſint reverti.

CENSURA LOVANIENSIS.

QUamvis locutio de ſufficienti auxilio tolerari & excitari aliquo ſenſu poſſit, quia videlicet nunquam Dei beneficia mundo defuerint, quibus ſi adulti bene uſi fuiſſent, pervenire ad ſalutem potuiſſent, propriè tamen & exactè loquendo, quia (ut & ipſi fatentur) id ſolùm ſufficit præter quod aliud neceſſarium non eſt, rectiùs veriùsque dicitur non fuiſſe toti Adę poſteritati ſufficientia ad ſalutem auxilia data, imò ne Judæis quidem ſub veteri adhuc teſtamento conſtitutis: Non enim dicendum eſt legem eis ad juſtitiam ſuffeciſſe, quam propter infirmitatem ac inutilitatem ſuam repro-

Digitized by Google

batam fuiſſe Apoſtolus teſtatur, quâ tamen, ſi bene uſi Judæi fuiſſent, ad ſalutem pervenire potuiſſent.

CENSVRA DVACENSIS.

VUlt hæc aſſertio à Deo per Chriſtum omnibus omninò hominibus dari ſufficiens auxilium per quod poſſint converti : idque magis & ſequentes aliquot aſſertiones præſertim 7. & 16. declarant. Sufficiens autem Dei auxilium eſt, præter quod ex parte Dei non eſt aliud neceſſarium. Adverſantur proinde hujus aſſertionis verba Scripturis & Patribus, imò propriè dictam Chriſti gratiam, quæ ſecundùm Augustinum (lib. de prædeſt. SS. cap. 5.) *non eſt bonis malisque communis, ſed bonos diſcernit à malis*, evertere videtur. Scriptura teſtatur quod, *&c.*

Quamvis ergo hæc aſſertio à Pelagij ſententiâ in eo differat, quod hæc Creatori, illa Redemptori gratiam iſtam acceptam referat, in eo tamen convenit, quod uterque eam tantùm in poſſibilitate conſtituit; omnibusque facit communem. Quod Augustinus pro abſurdo habet. Vndè idem & alibi ad inſcrutabilia Dei judicia vult pertinere, quod huic detur gratia, huic non detur; gratiam haud dubiè intelligens, auxilium ex parte Dei ad ſalutem neceſſarium. *Hæc gratia*, inquit, *cur ad illum veniat, ad illum non veniat, occulta cauſa eſſe poteſt, injuſta eſſe non poteſt.* Alias parvulorum, *&c.*

Jam qui legerit Proſperi librum utrumque de vocatione gentium, & alia ejus opuſcula contra Pelagianorum reliquias elaborata, ac præcipuè carmen de ingratis, in quo doctrinam hanc ex profeſſo refellit, itemque Fulgentij, & Petri Diaconi de gratiâ Chriſti libellos, proſpiciet quantùm ab illorum Patrum ſanâ doctrinâ diſcrepet hæc ſufficientis auxilij aſſertio ex Maſſilienſium & ipſius Fauſti (qui contendit gratiam à Deo omnibus offerri & ingeri, & argumenti de parvulis ſolutionem deſperans cap. 13. ineptiſſimè nugatur) doctrinâ & placitis deprompta.

Notandum hîc eſt, has Cenſuras in nullo adverſari gratiæ ſufficienti Thomiſtarum, quia hæc requirit ulterius auxilium: Nec eſt neceſſarium ad prædictam gratiam aliquod principium intrinſecè receptum, ſed ſufficit paratum, & quod daretur, ſi homo non impediret. Idèò comprehendit illa beneficia, quæ nunquam mundo defuerunt; ut ait Cenſura Lovanienſis. Nam, ut cætera prætercam, ipſum auxilium efficax dans velle, licet non omnibus detur, nunquam tamen mundo defuit, prout fuit omnibus præparatum, id eſt, prout eſt efficax ad faciendum omnes velle, & faceret, ſi non impediretur ejus collatio. Medicina quæ eſt tantæ efficaciæ ut non ſolùm poſſit ſanare morbum Petri, verùm etiam Pauli, & ſingulorum hominum, qui in hâc civitate Duacenâ reperiuntur, dicitur ſufficiens ad ſanitatem omnium, quamvis contingat, eam non omnibus dari. Si quis Medicus talem medicinam præparavit, in ipsâ præparatione habuit quandam voluntatem ſa-

nandi omnes, quamvis poſtea ob aliqua impedimenta non velit medicinam ſuam omnibus conferre. Ita poteſt dici, ipſum auxilium dans velle ad omnes homines voluntate antecedente pertinere, in quantum virtutem habet faciundi omnes velle, & omnibus daretur, ſi non impediretur: ad ſolos verò electos voluntate conſequente pertinere, in quantum ſolis electis datur, reprobis verò occulto Dei judicio, ſed ſemper juſto denegatur. De his plura ad art. 4.

ASSERTIO III.

TOta Scriptura plena eſt præceptis & exhortationibus, ut peccatores convertantur ad Deum: Atqui Deus non præcipit impoſſibilia: ergo dat illis ſufficiens auxilium ut poſſint converti.

CENSURA LOVANIENSIS.

SEcùs Tridentinum Concilium, *Deus*, inquit, *impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Sentit ergo ad Dei implenda mandata non habere ſemper omnes ſufficiens auxilium, ut quiſquis hoc ſibi deeſſe ſenſerit, petere admoneatur, quod nondùm accepit. Cui ſimile eſt & illud Proſperi, *ideò dari præceptum ut præcipientis quæratur auxilium.* Ex quo intelligi poteſt, ut nihil præcipi dicatur impoſſibile, ſatis eſſe ut in Dei virtute ac bonitate ſufficiens ſit paratum auxilium, quo impleri quod jubetur, poſſit, etiamſi nullum adhuc ejus habeatur beneficium quod dici ſufficiens queat. Nam quantumcumque in Dei hoc repoſitum potentiâ ſit, & ex ejus bonitate petentibus paratum, quamdiu tamen donatum acceptumque non eſt, dici nondùm poteſt haberi.

CENSURA DUACENSIS.

INepta eſt collectio. Qui enim jubet ut faciamus, ſimul jubet ut petamus quod facere non poſſumus, ſive ad quod ſufficiens auxilium nondum habemus. Unde Patres Concilij Tridentini verbis ex Augustino deſumptis; *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Ac ſimiliter alibi Augustinus, *Magnum aliquid*, ait, *Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt, non juberet Deus quod ſciret ab homine non poſſe fieri. Quis hoc neſciat? ſed ideò jubet aliqua quæ non poſſumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus.* Sic ille. Si autem petentes quidam nondum poſſunt, quantò minùs non poſſunt non petentes, imò nec petere volentes, nec eum à quo petatur agnoſcentes?

Nec ob id putandum eſt aliquid impoſſibile juberi. Nam præter liberum

Digitized by Google

arbitrium, quod, hâc vitâ durante, ita poteſt ad bonum & malum flecti, ut nondum in alteram partem ſit immobiliter determinatum, ſicut in beatis & damnatis, etiam ipſum auxilium ſine quo Dei præcepta à libero arbitrio impleri non poſſunt, & per quod poſſunt (*id eſt, auxilium dans velle*) omnibus petentibus eſt paratum, dicente Domino, *petite & accipietis*. Non enim præcepta & exhortationes convincunt omnibus datum eſſe, jamque ab omnibus haberi tale auxilium, ſed remittunt ad illum qui dare poteſt, ut ab eo petant quod nondum acceperunt.

Quod ſi omnibus adeſt, etiam antequam petatur, aufertur nobis magna pars Orationis Dominicæ, & precum Eccleſiaſticarum. *Quid enim ſtultiùs*, ait AUGUSTINUS, *quam orare ut facias, quod in poteſtate habes?* Unde ex ipsâ Orationis neceſſitate manifeſto argumento colligitur, non omnes ſtatim cum præcepto & exhortatione habere ſufficiens auxilium ad implenda Dei mandata, quandoquidem *legem credendi*, ut Pontifex ait, (epiſt. Cœleſt. ad Epiſc. Galliæ) *Lex ſtatuit ſupplicandi. Quamvis igitur*, ut idem AUGUSTINUS ait de dono perſev. c. 14. *dicamus Dei donum eſſe obedientiam, tamen homines exhortamur ad eam. Sed illis qui veritatis exhortationes obedienter audiunt, ipſum donum Dei datum eſt; illis autem qui non ſic audiunt, non eſt datum.*

Ex his Cenſuris poteſt hoc modo in formâ reſponderi argumento aſſertionis. Diſtinguitur enim Major, tota Scriptura plena eſt præceptis ut peccatores convertantur ad Deum cum auxilio dando, & parato, conced. Maj. ut peccatores convertantur ad Deum cum auxilio priùs dato, negatur Major. Et conceſſâ Minore, diſtinguitur conſequens: ergo dat illis ſufficiens auxilium ut poſſint converti cum auxilio dando, conceditur Conſeq. ut poſſint converti cum auxilio priùs dato, negatur Conſ. Dare autem auxilium ſufficiens quo quis poſſit converti cum auxilio dando, & parato, nihil eſt aliud quam dare poſſe ad accipiendum auxilium dans velle, quod poſſe datur, quando vult Deus dare auxilium ſi homo non impediat. Vide Art. 4. Cap. ſequentis, §. 8.

ASSERTIO IV.

DIces, Deum quidem omnes vocare ad pœnitentiam, ſed non ſecundùm propoſitum, aut non illâ vocatione, quæ eſt ſine pœnitentia.

Reſpondeo, hoc videtur alienum à bonitate Dei, quia non hoc eſſet ſeriò, ſed deluſoriè vocare, ſi vocaret aliquem non ex intentione ut convertatur. AUGUSTINUS autem (*ut in Scholijs additur*) propoſitum Dei accipere videtur, ut idem ſit quod illo modo quo novit illum ſecuturum.

Digitized by Google

CENSURA LOVANIENSIS.

NVlla Dei vocatio deluſoria eſt, neque enim alia fit ullâ intentione, ac fine, quam ut convertatur quiſque, aut converti poſſit. Non enim vocatur quiſquam à Deo, niſi ut ſic adjutus & commonitus converti poſſit ac debeat, & ſi vocanti non obtemperet, inexcuſabilis habeatur. Seria ergo omnis Dei vocatio eſt. Docetur tamen ab Augustino juxtà doctrinam Apoſtolicam, quod non omnis Dei vocatio ſecundùm æternæ ſit prædeſtinationis propoſitum, quemadmodùm clariſſimè expreſſiſſimèque ſcribit lib. 1. retract. cap. 13.

Non omnium, inquit, *qui vocantur vocatio eſt ſecundùm propoſitum, ſed tantùm Electorum, quia non omnes ſic vocantur, ut eis ſit ad æternam ſalutem profutura vocatio. Multi enim vocati, pauci verò electi, & crediderunt Paulo qui præordinati erant ad vitam.*

Commentarius autem ille de intellectu Augustini prorsùs nec ipſi, nec Apoſtolo congruit. Non enim hoc eſt vocari ſecundùm divinæ voluntatis propoſitum, ſed ſecundùm nudam præſcientiam, eamque conditionatam, quomodo etiam multi non electi vocantur, Neque hoc tam est secundùm Dei propositum vocari, quam hominis, quod præscit Deus.

CENSURA DUACENSIS.

APoſtoli Pauli doctrina eſt ad Rom. 8. & 11. non omnes homines, ſed ſolos Electos ſeu prædeſtinatos vocari ſecundùm propoſitum, & eâ vocatione quę eſt ſine pœnitentiâ. Neque alienum eſt à Dei bonitate, aut ut aſſertor poſt Catharinum cavillatur, deluſoria aut deriſoria ea vocatio quâ vocat multos non ſecundùm propoſitum: quia vocationis divinæ primus finis eſt hominis converſio, etiamſi illa non ſequatur. Quod enim quiſpiam vocatus non convertatur, propriè ejus malitiæ imputandum eſt, quod autem convertatur, vocantis bonitati & potentiæ adſcribendum eſt. Hinc Proſper lib. 2. de vocat. gentium, cap. 13. *Cùm talia ad Cain loqueretur Deus* (Geneſis 4.) *nunquid ambiguum eſt voluiſſe eum, & (quantum ad illum medendi modum ſufficiebat) egiſſe ut Cain ab illo impietatis furore reſipiſceret? ſed malitia pertinax inde facta eſt inexcuſabilior, unde debuit eſſe correctior.*

Neque verò Dei intentio fruſtratur, ſi quis vocatus non convertitur: quia in hominum vocatione non ſolam hominum converſionem abſolutè Deus intendit (ſemper enim tunc ſequeretur) ſed alios etiam fines; veluti ut declaretur humanæ vel infirmitatis, vel malitiæ magnitudo quanta ſit, cùm non ſequitur vocantem. Item ut excellentiam gratiæ ſuæ declaret, & neceſſitatem, utpote

Digitized by Google

tem, utpote ſine quâ nemo credere, vel pœnitentiam agere poſſit; ut ita *omne os obſtruatur*, *& ſubditus fiat omnis mundus Deo*; nec quiſquam *niſi in Domino glorietur*, &c.

Neque enim ita de ſpeciali auxilio gratiæ ſentiendum eſt, quemadmodùm hoc ſcholio indicatur, Deum ſic illud offerre, ut expectet aſſenſum & ſequelam voluntatis humanæ, jisque, quos ſecundùm propoſitum vocat, eo offerre modo, quo præſcivit illos ſecuturos: quaſi non & ipſum liberæ voluntatis aſſenſum & ſequelam, tanquam præcipuum quemdam ſuæ prædeſtinationis effectum, in ijs omnibus efficaci virtute gratiæ ſuæ operetur: aut quaſi non rebelles ad ſe compellere voluntates poſſet, etiam eorum, quos prævidit, vel ſi quos ſaltem prævidiſſet tam duros & contumaces fore, ut nullâ omninò oblatione moti, nullâ pulſatione excitati, ſequi vellent: quod quidem ſentire, eſt à publicis Eccleſiæ vocibus, & ab AUGUSTINI, aliorumque Patrum doctrinâ palàm diſſentire.

Hoc multis teſtimonijs probat, & inter aliâ adducit teſtimonium Proſperi Carm. de ingratis, ubi contra eos diſputans qui gratiæ tantùm excitandi tribuunt officium, ait:

At verò Omnipotens hominem cum gratiâ ſalvat,
Ipſa ſuum conſummat opus, cui tempus agendi
Semper adeſt quæ geſta velit; non moribus illi
Fit mora, non cauſis anceps ſuſpenditur ullis.

Si enim; ut ajebat Hieronymus, *in magnete lapide & ſuccinis hæc eſt vis, ut annulos, & ſtipulam, & feſtucam ſibi copulent; quantò magis Dominus omnium creaturarum ad ſe trahere poterat, quos volebat.* Non ergò Deus tempus & locum, vel etiam modum ſervat, quo prævidit hominem ſecuturum, ſed ipſe omninò ſuâ potentiſſimâ gratiâ, & nihilominùs ſalvâ hominis libertate facit ut infallibiliter ſequatur, quemcumque ſecundùm propoſitum vocare dignatur.

ASSERTIO VIIJ.

VT peccator poſſit converti, non eſt neceſſarium ut recipiat utrumque auxilium (præveniens ſcilicet, & concomitans) in actu ſecundo, & tunc verè habet auxilium ſufficiens ad converſionem.

CENSURA LOVANIENSIS.

HÆc aſſertio & Scripturarum, & D. AUGUSTINI de ſpeciali Chriſti gratiâ doctrinam videtur evertere, quæ habet cor lapideum per eam gratiam auferri, & carneum tribui, nec ſolam poſſibilitatem, ſed ipſam vo-

Digitized by Google

luntatem, operationemque conferri. Nam excitans illa gratia quæ in aſſertione per præveniens auxilium in actu ſecundo intelligitur, non aliud eſt, quam interior quædam Dei ſuaſio, quæ ut vehementior ſit, magisque quam exterior commoveat, & imperfecta quædam deſideria ſeu velleitates excitare poſſit, cordis tamen converſionem non operatur, quin conſiſtere cum eâ gratiâ tota ipſius cordis durities, rebellioque poteſt, ſuadet ergo tantùm, non perſuadet, adjuvatque, ſed hactenus tantùm ut benefacere quiſque poſſit ſi velit, non autem ut abſolutè velit, ac bene operetur, bonusque ex malo fiat.

Non igitur ſpecialis hæc Chriſti eſt gratia, cui proprium id eſſe evidentiſſimis verbis B. Augustinus ſcribit, ut non ſit bonis malisque communis, ſed bonos diſcernat à malis, atque, ut alibi ait, à nullo duro corde reſpuatur, quoniam per eam ipſa cordis durities auferatur. In hâc, *&c.*

CENSURA DUACENSIS.

Sententia hęc, quatenus dicit per auxilium pręveniens acceptum in actu ſecundo, id eſt, gratiam excitantem, poſſe peccatorem converti, ita ut ad actualem ejus converſionem non ſit neceſſaria ſingularis illa gratię Dei cooperatio, quâ ex nolente volens; ex averſo converſus, & ex malo bonus efficiatur, tam Scripturis, quàm Augustini doctrinę repugnat. Ea enim propriè eſt gratia Chriſti, & gratia novi Teſtamenti, *quæ aufert cor lapideum, & tribuit cor carneum*; *quæ operâtur ipſum velle & perficere*: *per quam ſcribitur lex in cordibus noſtris*: *quæ facit ut faciamus*, non tantùm ut poſſimus facere, ſi velimus: quam humiliter petimus in oratione quotidianâ dicentes Deo, *Fiat voluntas tua*: quam fideliter agnoſcimus, quoties pro omni bonâ voluntate, & pro omni bono opere, Deo, tanquam vero & proprio authori gratias agimus. Nam enim, *&c.*

Eandem hanc gratiam ipſum velle tribuentem humiliter & veraciter agnoſcit illa laudatiſſima, & à multis pijs & religioſis, in jisque nominatim Patribus Societatis, Nominis Jesu, frequentata precatio Sancti Thomæ Aquinatis, in quâ Deo dicitur, *quod à me requiris ut faciam, tribue ut ſciam, poſſim, & velim; & da exequi ut opus agnoſcis.* Item clariſſimè idem docet Sanctus Doctor ſcribens in cap. 5. Joan. & ad illud, *Niſi Pater traxerit eum*; & lib. 3. contra Gent. cap 79. nec-non in Summâ 1. 2. q. 111. a. 3. Cui Doctori ſuo atque ipſi veritati conſentanea cùm ſcripſiſſet Cardinalis Cajetanus in illud Matth. 4. *Venite poſt me*, & in illud Luc. cap. 5. *Surgens ſecutus eſt eum*, Virgam iniqui Cenſoris ſui Catharini ſubterfugere non potuit, viri Doctorum judicio audentioris, quàm doctioris.

Digitized by Google

ASSERTIO X.

Augustinus ubicumque dicit nos non tantùm gratiâ egere quâ poſſimus, ſed etiam quâ faciamus, intelligendus eſt de ſupradicto concomitante concurſu, quod ſcilicet non poſſimus facere ſine auxilio gratiæ concomitantis, alioqui dictum ejus non eſſet univerſaliter verum. Nam ut faciamus non requiritur efficax excitatio quæ voluntatem infallibiliter determinet, qualis fortè fuit in Paulo, Magdalenâ, aliiſque nonnullis dum converterentur, ſed ſufficit multò minor, quæ pleniſſimam relinquat libertatem.

CENSURA LOVANIENSIS.

Ridiculum eſt B. Augustinum de hoc naturali, ſeu ut ipſi appellant, ſupernaturali concomitante auxilio interpretari velle, quo præſtetur dumtaxat nobis poſſe ſi velimus, aut etiam velle ſi voluerimus, non autem præveniendo nos, operetur ut velimus, & faciamus. Quaſi in hâc noſtrâ infirmitate non univerſaliter tam efficacem Dei gratiam poſtulet Augustinus, quæ humanam voluntatem infallibiliter determinet, quæque præponenda ut domina ſit, non autem libero arbitrio ſubjicienda, quaſi pediſſequa, & ſubſerviens ſi velit. Plana quippe eſt ejus doctrina lib. de corrept. & grat. cap. 12. Ubi talem gratiam non paucis quibuſdam Sanctis, ut Paulo, Magdalenæ, ſimilibuſque propriam, ſed omnibus omninò Sanctis ad piè vivendum facit neceſſariam, ut iſto ſcilicet modo humanæ voluntatis infirmitati, quâ omnes laborant, ſubveniretur, eamque à primi hominis gratiâ accuratè diſtinguens, non ſolùm ei tribuit poſſe ſi velimus, ſed facere etiam ut velimus.

Cæterùm, ſi Sancti illi quibus tam efficax tributa eſt gratia, minore propterea ſunt libertate converſi, ſanè minorem etiam converſionis ſuæ laudem apud Deum, hominesque merentur, quàm alij multi, qui majore ſunt voluntatis ſuæ libertate converſi, quo eodem argumento Pelagiani olim efficacis gratiæ doctrinæ merita prætendebant everti.

CENSURA DUACENSIS.

Hæc Gloſſa prorsùs repugnat ſententiæ Authoris, quam præter alia loca declarat apertiſſimè in lib. de corrept. & grat. cap 11. ubi diſtinguens inter gratiam antè & poſt lapſum homini datam : *Prima*, inquit, *gratia eſt, quâ fit ut homo habeat juſtitiam, ſi velit, ſecunda verò plus poteſt, quâ etiam fit ut velit.* Et infra c. 12. *Nec de ipſâ perſeverantiâ boni voluit Deus Sanctos*

Digitized by Google

ſuos in viribus ſuis, ſed in ipſo gloriari, qui ijs non ſolùm dat adjutorium, quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeverare, ſi velint, ſed in ijs operatur & velle, ut quoniam non perſeverabunt, niſi etiam poſſint, & velint, perſeverandi ijs poſſibilitas & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur. Et iterùm: *ſubventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur, & ideò, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliquâ vinceretur.* Et mox: *Fortiſſimo quippè dimiſit atque permiſit facere quod vellet, infirmis ſervavit, ut, ipſo donante, invictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere invictiſſimè nollent.*

Ex quibus aliiſque B. Augustini locis patet, ita efficacem eſſe gratiam Chriſti, ut voluntatem hominis infallibiliter, nullam tamen inferendo neceſſitatem, ad bonum determinet. A quâ quidem neceſſitate, nimiùm metuit aſſertor, quamquam nihil metuerit B. Augustinus, tametſi ei objiciente Pelagio, quod libertatem tolleret. At neque metuit S. Thomas dum parte primâ, q. 105. a. 4. docet, *Deum in noſtrâ voluntate operari*, pro fundamento illius doctrinæ collocans illud Apoſtoli, *Deus operatur in nobis, & velle, & perficere.*

At neque metuendum ab eâ neceſſitate putat inter recentiores R. P. Societatis Jesu Theologus, Benedictus Pererius, qui lib. 8. de naturalium rerum principijs & aſſertionibus, cap. 8. & 9. in ſummâ, poſtquam ſibi objeciſſet, ſi Deus ſemper concurrit effectivè ac determinativè ad quamlibet operationem noſtræ voluntatis, videri labefactari, imò funditùs tolli libertatem voluntatis: ita reſpondet ut primum doceat hunc Dei concurſum eſſe omninò verum, certum, & indubitatum, de quo fas non ſit Chriſtiano Philoſopho dubitare: deindè dicat, *Licet voluntas nihil operetur, niſi mota & determinata à Deo: quia tamen movetur à Deo convenienter naturæ ſuæ, & ut ſuâpte naturâ apta eſt moveri, id eſt, non neceſſariò, ſed liberè: ideò verè dicitur, verèque eſt libera. Si enim voluntas ita moveretur à Deo, ut ipſa ſe nullo modo moveret, & ad agendum determinaret, omnis perfectio meriti ac demeriti, & libertatis ratio funditùs everteretur. Sed quia Deus eam ſic movet, ut ipſa nihilominùs ſimul ſeipſam moveat, ac per ſuam deliberationem ſe determinet ad agendum hoc vel illud quippiam, ob eam cauſam meritò appellatur, & verè eſt libera. Non enim intelligendum eſt voluntatem eſſe liberam omninò, ita ut à nullo pendeat, nullique ſubjiciatur: quomodo ſolus Deus liber eſt. Ratio enim cujuſvis creaturæ neceſſariam & inſeparabilem continet dependentiam ejus à Creatore, tam in exiſtentiâ, quàm in omni operatione. Ergo libertas* (ait) *noſtræ voluntatis ea eſt, quæ poteſt competere creaturæ: nempe quæ diſtinguit ac ſeparat voluntatem ab agente naturali.* Hæc ille. Quod ſi, &c.

Digitized by Google

ASSERTIO XXIIII.

SI electio eſt ad certum gloriæ gradum, igitur omnia opera juſtorum debent abſolutâ Dei voluntate eſſe præordinata, nec poterunt aliter, nec aliud operari, quam ſit à Deo præordinatum, quod eſt contra libertatem.

CENSURA LOVANIENSIS.

SI ex abſolutâ Dei voluntate, quâ quoſdam elegit, quos faceret in finem uſque perſeverantes, omniaque media ad ſalutem eorum præordinavit, ſequitur non poſſe hominem aliud bonum vel aliter (quod haud dubiè contra libertatem eſt, & Catholicam fidem) operari, ergo B. Augustini doctrina non debuit à Cœleſtino Pontifice, nec ſic quidem laudari, tanquam quę nihil contra fidem haberet (quomodo tamen ab eo laudatam ipſi agnoſcunt) ſed magis ut periculoſa, & pernicioſa damnari; ſiquidem manifeſtè docet actualem in finem uſque perſeverantiam, ita ex Dei eſſe electione, ut eam, Chriſto donante, nemo dicere audeat, forſitan non perſeverabit.

Ut interim diſſimulemus, quod hâc eleganti ratiocinatione Deo quoque ipſi libertas ſua detrahatur. Ipſe enim abſolutâ voluntate omnia præordinavit ad mundi perfectionem pertinentia, ergo ſibi-ipſi neceſſitatem injecit, nec aliud, aut aliter facere potuit. Quare talis ratiocinatio, non modò ut improbabilis, verùm etiam ut ſanæ doctrinæ præjudicans, & adverſa, planè eſt fugienda.

CENSURA DUACENSIS.

BOna juſtorum opera, per quæ gloriam & certum gloriæ gradum conſequuntur, abſolutâ Dei voluntate eſſe præordinata non debet negari, quandoquidem ſicut finem, id eſt, vitam æternam, ita & omnia media ad finem, cujuſmodi ſunt opera bona, Deus æterno ſuę prędeſtinationis decreto, nullâ interpoſitâ conditione prævisi operis, electis ſuis præparavit, ut initio oſtendimus, & aperta eſt Apoſtoli ſententia, quâ creatos non eſſe dicit in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in iis ambulemus.

Ex quâ doctrinâ nequaquam conſequens eſt, juſtos non poſſe aliter, nec aliud operari quam ſit à Deo præordinatum, ſi verba hæc capiantur in ſenſu diviſo. Undè nec ullo modo tollitur, aut minuitur per hanc abſolutam & certiſſimam Dei prædeſtinationem humani libertas arbitrij, nihilo magis quam divini. Quis enim negaverit, Deum ſua ipſius opera abſolutâ voluntate præor-

dinaſſe, velut mundi creationem & gubernationem? & tamen fatendum eſt juxtà Catholicam fidem, eum ſummâ libertate operari quęcumque operatur.

Nec verò nova hęc eſt à parte liberi arbitrij ſumpta objectio. Nam etiam Pelagiani gratiam & Maſſilienſes ex libero arbitrio oppugnaverunt. Et Fauſtus prætextu defendendi liberi arbitrij contra electorum prædeſtinationem diſputavit. Quibus abundè ab Augustino, Proſpero, & Fulgentio, aliiſque reſponſum eſt: *Nimiùm verò ineptè*, ait Proſper in epiſt. ad Ruffinum, *nimiumque inconſideratè ab iſtis adverſantibus dicitur, quod per hanc Dei gratiam libero nihil relinquatur arbitrio.*

Et infrà: *Nunc autem idem arbitrium converſum eſt, non everſum; & donatum eſt ei aliter ſapere, aliter agere, & incolumitatem ſuam, non in ſe, ſed in Medico collocare. Proindè homo qui in libero arbitrio fuit malus, in ipſo libero arbitrio factus eſt bonus: ſed per ſe malus, per Deum bonus, qui illum ita in initialem illum honorem alio initio reformavit, ut ei non ſolùm culpam malæ voluntatis & actionis remitteret, ſed etiam bene velle, bene agere, atque in his permanere donaret*, &c.

Porrò ſicut veriſſimè dictum eſt ab eodem Augustino lib. 2. contra lit. Petit. c. 24. paucos eſſe qui valeant intellectu penetrare, quomòdo Deus per gratiam homines attrahat, & nihilominùs dimittat illos libero ſuo arbitrio: quem operationis divinæ modum alibi *mirabilem & ineffabilem* vocat: ita pauci ſunt qui capere poſſint, quomodo Deus ea, quæ ſunt in tempore, ab æterno præordinaverit, nec tamen libertatem humanis actibus, nec contingentiam adimat cæteris quibuſcumque effectis.

ASSERTIO XXX.

NUmerus prædeſtinatorum non eſt certus ex præordinatione quę antecedit omnem præſcientiam operum.

CENSURA LOVANIENSIS.

EVidens eſt Augustini doctrina, eaque Apoſtolicæ perquam conſentanea, certum eſſe apud Deum prædeſtinatorum numerum, nòn ex antecedente operum præſcientiâ, ſed ex abſolutâ & efficaci pręordinatione, ubi ſi præſcientiam (ut in ſcholio ſignificatur) conditionatam intelligat, ut ex eâ totâ pendere prædeſtinatio putetur, jam nec ſecundùm præſcientiam quidem certus erit electorum numerus, ſiquidem conditionata præſcientia, exempli gratiâ, ſi Dei gratiam acceptare homo voluerit, ſimpliciter præſcientia non eſt, ut quam habere quilibet etiam noſtrum poſſit.

Ubi ſi quis dicat conditionis eventum ſimpliciter Deo præcognitum eſſe,

Digitized by Google

rectè id quidem, ſed non hæc jam conditionata, ſed abſoluta præſcientia eſt, ex quâ haud-dubiè certus eſt apud Deum numerus. Sed IDEO EX PRÆSCIENTIÂ, QUIA EX PRÆORDINATIONE. Neque enim ideò certum Deus electorum voluit numerum, quia talem præſcivit, ſed ideò præſcivit, quia voluit atque præordinavit, ut ſalutem eorum, ita & omnem ſalutis modum ac ordinem.

CENSVRA DVACENSIS.

Certum eſſe apud Deum numerum prædeſtinatorum neque ait, neque negat aſſertor. Quod autem certum ſit ex præordinatione omnem præſcientiam operum antecedente ſatis initio, quantùm cenſuræ brevitas patitur, oſtendimus. Et verò quid aliud, *&c. Ubi certum hunc numerum probat variis Scripturæ teſtimoniis; demùm ſubjungit*: Certitudinis igitur hujus ratio eſt, non in præſcientiâ operis humani, ſed in decreto, & in promiſſione divinâ; quia quæcumque Deus abſolutè decrevit & promiſit, potens eſt & facere, & certiſſimè facit. Undè illa eſt aperta AUGUSTINI ſententia lib. 18. de Civit. Dei, cap. 51. *Quoniam immutabilia ſunt divina promiſſa*, ideò *Prædeſtinatorum neminem perire poſſe.*

Quocircà non poteſt non peregrina, atque à Scripturarum, & Sanctorum Patrum, AUGUSTINI maximè, ſenſu aliena judicari doctrina, quæ prædeſtinationem, ejuſque certitudinem pendere vult ex operum prævisione. Quam doctrinam, ſicut & illam de ſufficienti; quod omnibus adſit auxilio, continent quidem apertiſſimè duo libri quos Fauſtus edidit quondam de libero arbitrio. Vbi inter alia multa legitur illud, huic aſſertioni planè congruens; *Niſi præſcientia exploraverit, prædeſtinatio nihil decernit*. Sed eos libros, ut ſanæ doctrinæ contrarios, anathematizarunt olim Orientales, *&c.*

Quare etiam atque etiam videant, qui novas iſtiuſmodi aſſertiones proferunt, quoſnam & quales ſuæ doctrinæ patronos venerentur. Nam in illis duobus Fauſti libris tota ferè harum aſſertionum doctrina ex profeſſo traditur ac defenditur. Impoſuit quidem nonnullis, etiam hoc ſeculo Viris doctis Fauſti profunda calliditas: ſed id priuſquam eis, quis & qualis fuerit Fauſtus, innoteſceret. Et viſa fuit Eraſmo, Pighio, Catharino ad conciliandum cum gratiâ liberum arbitrium commodiſſima via, quam Fauſtus commonſtrat; ſed horum vel authoritas, vel doctrinâ, quanti in hoc genere ſit facienda, non eſt obſcurum: quia & alibi non leviter impegerunt.

Digitized by Google

ASSERTIO XXXI.

Quæ totius materiæ concluſio dicitur.

HÆc ſententia de prędeſtinatione & reprobatione maximè conſentanea divinæ bonitati, Scripturarum authoritati, Patrum teſtimoniis, & naturalis rationis æquitati, in nullâ re omninò Pelagio favens, & quam longiſſimè à ſententiâ Lutheri, & Calvini, & reliquorum hęreticorum noſtrę tempeſtatis recedens, à quorum ſententiâ & argumentis difficile eſt alteram ſententiam vindicare.

CENSVRA LOVANIENSIS.

IMò verò juſtiùs fortaſſe alius quiſpiam dixerit, ſententia hæc divinam bonitatem obſcurat; juſtitiam enervat; Scripturis illudit; Patrum teſtimonia in ſenſus alienos detorquet; humanæ rationis corruptioni applaudit; humilitatis fundamentum evertit; precandi neceſſitatem non magnam relinquit; propriarum virium fiduciam ingenerat; in ſalutis negotio, quod præcipuum eſt, homini donat, quod minus, Deo; gratiam Dei libero arbitrio ſubjicit, ac ejus pediſſequam facit; in ſummâ à Pelagio non ſatis procul abſcedit.

Lutheri verò Calvini, & reliquorum noſtrę tempeſtatis hæreticorum ſententiam, dum ab eâ videri vult quam longiſſimè recedere, potentiùsque debellare, magis etiam imprudens ſtabilit atque confirmat. Nam ſi non poſſumus, vel (ut ad mitigandam invidiam dicitur) difficile eſt ab eorum ſenſis & argumentis B. Augustini doctrinam vindicare, quis non videat, quanti jam ponderis & authoritatis acceſſione hæreticorum ſententia roboretur.

De mandato DD. Decani, & reliquorum Magiſtrorum S. Theologiæ Facultatis Univerſitatis Lovanienſis ſubſcripſit.

Andreas Saſſenus, *dictæ S. Theolog. Facultatis Bedellus, ac Notarius publicus.*

CENSVRA DVACENSIS.

HOc primâ facie videri cuipiam poteſt, ſed penitùs rem conſideranti contrarium magis apparet, videlicet hâc doctrinâ bonitatem Dei multipliciter obſcurari. Primum, quia &c. Scripturas in alienos, ineptos, Patribus incognitos,

incognitos, & Catholicæ doctrinæ parum conſentaneos ſenſus detorquet. Patrum teſtimoniis, illorum maximè qui contra Pelagianos, atque eorum reliquias de gratiâ & prędeſtinatione clariùs & accuratiùs ſcripſerunt, admodum diſſentanea eſt.

Fallit humana ratio, ſi non authoritate divinâ fulciatur: eademque Pelagium fefellit; & hujus ſæculi Philoſophis perſuaſit, ut dicerent ſe eſſe ſapientes, & quoniam negare non poterant ſe non à ſeipſis factos homines, crederent ſaltem ac dicerent ſe à ſeipſis, non autem à Deo fieri bonos. Sic enim Philoſophus & Orator Romanus quaſi communi Philoſophorum ore; *Virtutem*, inquit lib. 3. de naturâ Deorum, *nemo unquam Deo acceptam retulit. Nimirùm rectè, Propter virtutem enim jure laudamur, & in virtute rectè gloriamur. Quod non contingeret, ſi id donum à Deo, non à nobis haberemus.* En rationem humanam. Et mox ſubjungit: *Num quis, quod bonus vir eſſet, gratias Diis egit unquam? At quod dives, quod honoratus, quod incolumis. Jovemque optimum maximum ob eas res appellant, non quod nos juſtos, temperantes, ſapientes efficiat, ſed quod ſalvos, incolumes, opulentos*, &c.

En quod perſuadet, & quo ducit humana ratio lumine fidei deſtituta: quare mirum non eſt, ſi & ſecretum illud gratuitæ prædeſtinationis divinæ myſterium eidem corruptæ rationi humanæ videatur iniquum. De quo Philoſophus ſi interrogaretur non aliud ex ſuâ Philoſophiâ reſponderet, quam prædeſtinari a Deo debuiſſe ad felicitatem eos, quos benè juſtèque per ſuum liberum arbitrium victuros prævidiſſet tantùm, non etiam præordinaſſet; ac prædeſtinationis illius cauſam hanc eſſe prævisionem; ita enim rationis naturalis æquitatem poſtulare.

Verùm, huic corruptæ rationis æquitati ex adverſo reſtitit Paulus inquiens, *Numquid inquitas eſt apud Deum? ô homo tu qui es, qui reſpondes Deo? numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quid me feciſti ſic?* & alibi; *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim agnovit ſenſum Domini, aut quis Conſiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Reſiſtit & Cœleſtis Pater-familias in Evangelio, cùm ait cuidam, *Amice, non facio tibi injuriam: an non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Sicut enim in diverſâ cauſâ non fuit iniquum idem judicium; ſic nec in unâ atque eâdem cauſâ iniquum eſt judicium tam diverſum, ut unus aſſumatur, alter relinquatur, unus miſericorditer liberetur, alius juſtè damnetur.

Imò ſanè metuendum ne harum aſſertionum parens cum Maſſilienſibus, & Fauſto (quibuſcum adeò multa ſunt ei communia) *quamvis Pelagium anathematizare non dubitet*, damnatis tamen ejus ſenſibus plus ſatis appropinquet, *&c.*

Digitized by Google

Quod ſi ergo putat hujus novitiæ doctrinæ aſſertor, vel quiſquis ſimilia cum ipſo ſapit, ſe rationem inveniſſe, quâ adeò facilè & ad captum multitudinis poſſit hæc gratiæ cum libero arbitrio concordia explicari, vel inde intelligat quam non eâdem doctrinæ viâ cum illis (Augustino & *Patribus*) in hoc gratiæ & prædeſtinationis myſterio tradendo procedat.

De mandato Decani, & Magiſtrorum Facultatis Sacræ Theologiæ Univerſitatis Duacenſis ſubſcripſi Donatus Banſoit ejuſdem Facultatis Bedellus, & Notarius publicus, Anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo octavo Januarij die vegeſimâ.

Subſignatum erat D. Banſoit Notarius publicus, & Sacræ Facultatis Theologiæ Bedellus.

Ridicula eſt Moliniſtarum reſponſio, quod utraque Univerſitas has Cenſuras revocavit, quia permiſit Scientiam mediam in publicis Diſputationibus defendi. Bella certè ratiocinatio, æquivalens prorſus iſti: *Deus permiſit peccatum fieri: ergo approbat, & odio non habet iniquitatem.*

ARTICULUS IIJ.

Scientia Media evertit libertatem.

XXXV. Nihil eſt adeò confuſione dignum quam ad contrarium ejus quod firmari intendebatur, deduci. Hanc deformitatem etiam patitur ſcientiâ mediâ; volens enim firmare libertatem, evertit illam; timuit defectum, incidit in exceſſum. Quod tribus rationibus in ſequenti paragrapho breviter oſtendo.

§. J. *Tribus rationibus probatur Scientiam Mediam evertere libertatem.*

TRibus rationibus demonſtro Scientiam mediam evertere libertatem, ſed breviter, quia fundantur hæ rationes in suprajacto fundamento.

Prima ratio. Illa ſcientia evertit libertatem, quæ non ſubjicit illam ſuo

Digitized by Google

Creatori: ſed ſcientia media non ſubjicit libertatem ſuo Creatori, ergo evertit illam. Major patet; quia omnis creatura hoc ipſo quod creatura debet ſubjici Creatori, & ſecundùm liberum debet in omni ſuâ determinatione ad agendum dependere à primo libero. Scientia autem media tollit, ut vidimus, prædictam ſubjectionem; & non poteſt defendi, quin aſſeratur, aliquid eſſe à libero arbitrio, quod non ſit à primo libero: ex quo patet etiam probatio Minoris: ergo, *&c.*

Secunda ratio. Scientia, quæ exigit ad libertatem potentiam ad peccandum, deſtruit libertatem, juxta illud Joan. 8. *Si ergo Filius vos liberaverit, verè liberi eritis*; Sed ſcientia media exigit ad libertatem potentiam ad peccandum: ergo deſtruit libertatem. Prob. Minor. Conjungere negationem actûs v.g. amoris cum præcepto urgente ad amorem, eſt peccare: ſed ſcientia media exigit potentiam ad conjungendum negationem amoris cum præcepto ad amorem: quia juxta principia ſcientiæ mediæ, non poteſt ſtare libertas, quin ſit potentia ad conjungendum tam actum, quàm negationem actûs cum omnibus antecedentibus ad actum; ſed præceptum urgens ad amorem, eſt quid antecedens amorem: ergo juxta principia ſcientiæ mediæ, non poteſt ſtare libertas ad implendum præceptum amoris, quin ſimul ſit potentia ad conjungendum negationem amoris cum præcepto urgente ad amorem: hoc autem, ut patet, eſt peccare, ſiquidem eſt omiſſio actûs præcepti: non poteſt igitur ſalvis principijs ſcientiæ mediæ ſtare libertas, quin ſimul ſit potentia ad peccandum.

XXXVJ. Exigere autem potentiam ad peccandum in libertate, eſt manifeſtè deſtruere libertatem; cùm potentiam peccandi non eſſe libertatem, nec partem libertatis, imò non poſſe peccare eſſe ſummam libertatem, ex SS. AUGUSTINO, & THOMA doceat univerſa Theologia. Nam AUGUSTINUS de præd. Sanctorum, c. 15. de Chriſto ait: *An ideò in illo non libera voluntas erat, & non tanto magis erat, quanto magis peccato ſervire non poterat?* Et D. Thomas 3. contra Gent. cap. 138. ait: *Eſt autem quædam neceſſitas ex interiori inclinatione procedens, & hæc laudem virtuoſi actûs non minuit, ſed auget: facit enim voluntatem magis intensè tendere in actum virtutis, & quanto perfectior fuerit habitus ex quo voluntas operatur, tanto vehementiùs eam inclinat. Quod ſi is ad perfectionem devenerit, quamdam neceſſitatem infert ad bene agendum, ſicut eſt in Beatis qui peccare non poſſunt, nec tamen propter hoc, aut libertati voluntatis aliquid deperit, aut actus bonitati.* Rationem perfectæ libertatis ſine potentiâ peccandi, reddit S. Bernardus de gratiâ, & lib. arbitrio, qui dicit de Chriſto: *Ideò in obedientiâ libero non caruiſſe arbitrio, quoniam quod non poſſet non obedire, non infirma faciebat neceſſitas, ſed firma in bono voluntas, & voluntaria firmitas.*

Objicies. Chriſtus potuit non mori: ergo potuit non adimplere præceptum moriendi, ac proinde peccare. Reſpondetur, diſtinguendo Antec. Chriſtus

Digitized by Google

potuit non mori ſervato ordine finis, conceditur: potuit non mori prætermiſſo ordine finis, negatur. Deinde neganda eſt Conſeq. quia ut poſſet non adimplere, aut tranſgredi præceptum moriendi debebat, poſſe ſervare animam ſuam, ſive non mori, prętermiſſo ordine finis.

Explicatur Solutio. Operari ſervato ordine finis nihil eſt aliud, quàm benè operari, & operari prætermiſſo ordine finis eſt malè operari. Quamvis autem omnis actio mala ex objecto, aut aliquâ circumſtantiâ debeat ſemper malè fieri; non tamen è contra, omnis actio bona ex objecto, aut aliquâ circumſtantiâ debet bene fieri: cujus ratio eſt, quod bonum ex integrâ causâ, malum ex quolibet defectu. Hinc ſequitur, quod omnis actio ex objecto bona, aut etiam indifferens, poſſit dupliciter fieri, vel ſervato ordine finis, vel illo ordine prætermiſſo. Ut autem aliqua actio ſit poſſibilis non requiritur quod poſſit fieri omnibus modis quibus eſt factibilis, ſed ſufficit, quod poſſit fieri uno ex illis modis: ſicut ut quis dicatur ſimpliciter poſſe conſequi ſanitatem, non requiritur, quod poſſit illam acquirere per omnia media quibus eſt acquiſibilis: ſed ſufficit, quod per unum medium ex omnibus poſſibilibus illam poſſit acquirere. Ita in præſenti ut Chriſtus dicatur ſimpliciter poſſe ſervare animam ſuam, aut illam ponere, non requiritur, quod poſſit facere hoc utroque modo, & ſervando ordinem finis, & illum prætermittendo, ſed ſufficit, quod poſſit illam ſervare ſervato ordine finis, & quod poſſit illam ponere ſervato etiam ordine finis.

Ad perfectiſſimam autem libertatem ſpectat quod poſſit velle plura, omnia tamen ſervato ordine finis, ut paſſim docet Angelicus Præceptor. Si ergo aliquid ſit, quod non poſſit eſſe volitum niſi prætermiſſo ordine finis, illud non cadit ſub poteſtate perfectiſſimę libertatis. E contra quidquid poteſt eſſe volitum ſervato ordine finis, cadit ſub poteſtate perfectiſſimę libertatis. Nec hanc poteſtatem tollit aut diminuit præceptum ſuperveniens; quando enim ex multis actibus bonis quos voluntas poteſt elicere, aliqui ex illis pręcipiuntur, non tollitur per illud præceptum poteſtas faciendi alios: ita ſimiliter, quando ex multis actibus quos aliquis non poteſt elicere, niſi ſervato ordine finis, aliqui præcipiuntur, non tollitur poteſtas faciendi alios ſervato ordine finis.

Chriſtus igitur ante pręceptum, poteſtatem habebat ponendi animam ſervato ordine finis, & etiam ſervandi illam eodem ordine ſervato; ſuperveniens pręceptum ponendi animam, non tollit poteſtatem ſervandi illam ſervato ordine finis. Licet enim in ſenſu compoſito illius præcepti non poſſit cum dicto præcepto conjungere conſervationem animæ ſuæ, quia hoc eſt ſervare animam prætermiſſo ordine finis; nihil tamen tollitur de poteſtate libertatis Chriſti; quia, ut dictum eſt, poteſtas quam habebat Chriſtus non erat ad ſervandam animam prætermiſſo ordine finis, ſed ad ſervandam illam ſervato ordine finis: hanc autem poteſtatem adhuc habet Chriſtus poſt pręceptum.

Digitized by Google

Hinc difficultas illa de conciliandâ libertate Chriſti cum præcepto, quę torquet multos, juxta Angelici luminis principia clariſſimè elucidatur hoc argumento: Chriſtus ante præceptum perfectiſſimam habebat poteſtatem & libertatem ponendi animam, & illam ſervandi; ſed poſt præceptum nihil deperdit de hâc poteſtate & libertate: ergo ſicut ante præceptum liberrimè potuiſſet ponere animam ſuam: ita poſt præceptum liberrimè ponit animam ſuam.

In hâc clariſſimâ luce caligant oculi Moliniſtarum, qui non poſſunt concipere perfectam libertatem, niſi detur potentia ad conjungendum conſervationem animæ cum præcepto ponendi animam, ſive quod idem eſt, niſi detur potentia ſervandi animam prætermiſſo ordine finis. Sed longè ſit à nobis, omnique Cordato Theologo figmentum illud Moliniſticum.

XXXVIJ. Tertia ratio. Scientia, quæ inflat liberum arbitrium deſtruit libertatem: quia facit quod libertas non ſit ab alio accepta, alioquin non poſſet quis de illâ verè gloriari, juxta illud Apoſtoli 1. ad Cor. 4. *Quid gloriaris quaſi non acceperis?* ſed ſcientia media inflat liberum arbitrium: ergo evertit libertatem. Prob. Minor. Scientia quæ tribuit aliquid libero arbitrio non ab alio acceptum, inflat liberum arbitrium, ſiquidem dat aliquid in quo gloriari poſſit liberum arbitrium: ſed ſcientia media tribuit libero arbitrio aliquid non ab alio acceptum, nempe determinationem quâ ſe ad agendum determinat: ut patet ex dictis ſupra cap. 1. art. 1. §. 1. ergo ſcientia media inflat liberum arbitrium: Ab illâ proinde fugere debemus, ſicut à facie colubri; ſiquidem ſcriptum eſt Jac. 4. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Et niſi Dominus ædificaverit libertatem, inclinando cor noſtrum quocumque voluerit ſuâ omnipotentiſſimâ voluntate, in vanum laborant, qui ædificant eam, id eſt, ſcientiæ mediæ defenſores. Si quoque Dominus gratiâ ſuâ ex ſe efficaci, non cuſtodierit libertatem, fruſtra vigilat exploratrix ſcientia ad cuſtodiendum eam.

* §. II. *Solutio concilians libertatem cum præcepto §. præced. tradita radicitùs explicatur.*

HÆc ſolutio eſt D. THOMÆ 1. p. q. 62. a. 8. ad 3. *Dicendum quod liberum arbitrium ſic ſe habet ad eligendum ea quæ ſunt ad finem ſicut ſe habet intellectus ad concluſiones, manifeſtum eſt autem, quod ad virtutem intellectus pertinet, ut in diverſas concluſiones procedere poſſit ſecundùm principia data: ſed quod in aliquam concluſionem procedat prætermittendo ordinem principiorum, hoc eſt ex defectu ipſius. Undè quod liberum arbitrium diverſa eligere poſſit ſervato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis ejus, ſed quod eligat aliquid divertendo ab ordine finis, quod eſt peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis. Undè major libertas arbitrij eſt in Angelis, qui pec-*

Digitized by Google

care non poſſunt, quàm in nobis qui peccare poſſumus. Quibus verbis non ſolùm expreſſis terminis continetur noſtra ſolutio, ſed etiam probatur potentiam peccandi ad defectum libertatis pertinere, quod in ſecundâ ratione aſſumpſeramus.

Solutio iſta Magiſtri noſtri non eſt alia in re, quàm communis Thomiſtarum, quâ dicitur, quod Chriſtus potuerit non mori *negativè*, non verò *Privativè*, aut *contrariè*. Planior tamen eſt, & magis ſeipſam explicans, magiſque difficultatem evacuans, ſi benè perpendatur. Undè eo ipſo quod ſit Magiſtri, eâ magis deberent uti diſcipuli.

Explicatur Solutio. Servare in volendo ordinem finis, eſt velle aliquid *ſub illâ ratione, quâ eſt præceptibile*; prætermittere in volendo ordinem finis, eſt velle aliquid *ſub illâ ratione, quâ non eſt præceptibile*. Præceptum enim ordinat ea, quæ ſunt ad finem. Sola ratio peccati non eſt præceptibilis. *Si* ergò ad perfectam ſpecificationis libertatem ſolùm requiratur poteſtas volendi plura ſervato ordine finis, id eſt, volendi plura *ſub illâ ratione, quâ præceptibilia ſunt*, ſequitur manifeſtè ad defectum libertatis, pertinere poteſtatem peccandi, cum talis poteſtas ſit poteſtas volendi aliquid *ſub illâ ratione, quâ non eſt præceptibile.*

Quod iſta ſolutio magis evacuet difficultatem oſtenditur hâc ratione. Sicut in nobis ſe habent *appetibile* & *appetendum*, ſivè *volibile* & *volendum*, ità in beatis ſe habent *præceptibile* & *præceptum*, accipiendo præceptum prout eſt conditio & circumſtantia objecti voliti, prout ſcilicet res denominatur *præceptibilis*, quia poteſt præcipi; & *præcepta*, quia actu præcipitur. Undè ſicut voluntas viatoris nihil poteſt velle, niſi judicet eſſe *volibile*, nec aliquid actu vult, niſi judicet *volendum*, juxtà communem Thomiſtarum doctrinam; ita voluntas comprehenſoris nihil poteſt velle, niſi judicet *præceptibile*, nec aliquid actu vult, niſi judicet eſſe *præceptum*, ſub præcepto, & præceptibili includimus conſilium & quidquid a Deo volibile & volitum eſt.

Ex quo fit, quod ſicut ſtat libertas viatoris circa utrumque extremum, v. g. *loqui*, & *ſilere*, ſi adſit judicium ſpeculativum quo judicetur utrumque eſſe *volibile*, loquela ſcilicet, & ſilentium; quamvis judicio practico judicetur loquelam eſſe *volendam*: quia tunc ex judicio practico voluntas ita fertur actu in loquelam, ut ex judicio ſpeculativo poſſit velle ſilentium. Ita ſimiliter ſtat libertas comprehenſoris circa utrumque extremum v. g. *ponere animam*, & *ſervare animam*, ſi adſit judicium ſpeculativum, quo judicetur utrumque eſſe *præceptibile*, poſitio, ſcilicet, animæ, & ſervatio animæ; quamvis judicio practico judicetur poſitionem animæ eſſe *præceptam*; quia tunc ex judicio practico voluntas comprehenſoris, ità fertur actu in poſitionem animæ, ut ex judicio ſpeculativo poſſit velle ſervationem animæ.

Verùm notandum eſt, quod alia ratio boni eſt, quâ loquela judicatur

Digitized by Google

volibilis; & alia ratio boni, quâ ſilentium judicatur *volibile*, non enim oppoſita in quantum talia ſub unâ ratione ſimul ſunt volibilia. Moveor v. g. ad loquendum ex motivo utilitatis proximi, ad ſilendum verò ex motivo obſervantiæ; quod ſi ex motivo obſervantiæ movear etiam ad loquendum, tunc *loqui* & *ſilere* non erunt oppoſita, quia obſervantia præcipit loquelam in uno tempore, & ſilentium in alio. Si ergò *loqui* & *ſilere* accipiantur reſpectivè ad idem tempus, neceſſe eſt, ut ſub unâ ratione loquela ſit *volibilis*, & ſub aliâ ratione ſilentium in eodem tempore ſit etiam *volibile*, utrumque enim in eodem tempore poteſt ſimul eſſe *volibile*, ſed non actu *volitum*.

Sic etiam diſcurrendum eſt de ratione præceptibilis. Nam reſpectivè ad idem tempus poſitio animæ eſt uno præcepto *præceptibilis*, & ſervatio animæ eſt alio præcepto *præceptibilis*. Impoſſibile enim eſt, quod præceptum præcipiens *mortem* præcipiat *negationem mortis*; ut ergò *mors* & *negatio mortis*, ſivè poſitio animæ, & ſervatio animæ, ſint ſimul *præceptibiles*, opportet, ut ad diverſa præcepta fiat reſpectus, ſicut ut *mors* & *negatio mortis* ſint ſimul *volibiles*, opportet ut ad diverſas rationes boni fiat reſpectus.

Hinc clariſſimè evacuatur ſolutione Angelici Doctoris difficultas conciliandi libertatem cum prœcepto, quæ tot Iuniorum torſit ingenia, eo quod ſolutionem Angelicam non ruminaverint, & eam funditùs intelligere non curaverint; ſed maluerint, quilibet pro ſuo ingenio, alias ſolutiones adinvenire, quibus non eſt poſſibile quietari intellectum. Hâc autem Angelicâ ſolutione perfectè quietatur intellectus, ſi doctrina Angelica ſuſcipiatur.

Doctrina Angelica eſt, ad perfectam ſpecificationis libertatem pertinere, quod voluntas poſſit velle utrumque extremum ſervato ordine finis, id eſt, *ſub illâ ratione, quâ eſt præceptibile*, non autem prætermiſſo ordine finis. id eſt, *ſub aliquâ ratione, quâ non eſt præceptibile*. Jam vidimus, quod reſpectivè ad idem tempus *mors* eſt uno præcepto *præceptibilis*, & *negatio mortis* eſt alio præcepto *præceptibilis*. Undè præceptum, quo actu præcipitur *mors*, facit negationem mortis eſſe *actu prohibitam*, ſed non tollit quin ſimul alio præcepto ſit *præceptibilis*. Prohibitum opponitur iſti rationi quæ eſt actu *præcepta*, ſed non opponitur præceptibili, ut patet in Deo, qui dum actu pręcipit *mortem* conſervat poteſtatem præcipiendi *negationem mortis*; Sicut ergò in eodem inſtanti Deus eſt actu præcipiens mortem, ſivè prohibens *negationem mortis*, & ſimul potens præcipere *negationem mortis*: itâ in eodem inſtanti *mors* eſt actu *præcepta*, ſivè negatio mortis eſt actu *prohibita*, & ſimul eadem *negatio mortis* remanet *præceptibilis*.

Quarè duas rationes habet *negatio mortis*, ſuppoſito quod mors actu præcipiatur; unam, ſub quâ non eſt præceptibilis, nempè eam, quæ opponitur præcepto de morte, aliam, ſub qua eſt præceptibilis, nempè eam, quæ reſpicit aliud præceptum à præcepto de morte diſtinctum. Ad perfectam li-

bertatem circa *mortem* & *negationem* mortis, ſufficit quod ſuppoſito præcepto de *morte* remaneat voluntas potens volendi *negationem mortis ſub illâ ratione, quâ præceptibilis eſt*, non autem requiritur, quod remaneat potens volendi *negationem mortis ſub illâ ratione, quâ opponitur præcepto de morte*, quia ſub iſtâ ratione non eſt *præceptibilis*.

Ex quo patet, quod eadem eſt libertas voluntatis perfectè ſubjectæ, & voluntatis Dei præcipientis. Quidquid Deus poteſt præcipere, voluntas perfectè ſubjecta poteſt velle, & nihil aliud. Si Deus poteſt utrumque extremum, v. g. *mortem*, & *negationem mortis* præcipere, voluntas perfectè ſubjecta poterit velle utrumque extremum, v. g. *mortem* & *negationem mortis*. Si verò Deus præcipit actu unum extremum, v. g. *mortem*, cum poteſtate præcipiendi aliud extremum, v. g. *negationem mortis*, voluntas perfectè ſubjecta volet actu *mortem*, cum poteſtate volendi *negationem mortis*. Cujus ratio eſt, quod poteſtas pręcipiendi *negationem mortis* componitur in Deo cum actuali prohibitione *negationis mortis*, ſimiliter ratio *præceptibilis* componitur in actu cum ratione *prohibiti*, & in voluntate perfectè ſubjectâ ſtante præcepto de morte *negatio mortis* ſimul eſt nolita, & volibilis.

Si quis Doctrinam iſtam Angelicam, benè calluerit cum unicâ diſtinctione ſatisfaciet omnibus cavillis adverſariorum. Si enim duas rationes diſtinxerit, unam, quæ *præceptibilis eſt*, aliam quæ *non eſt præceptibilis*, elidet omnia argumenta. Quod in hoc unico argumento cernere licet. Ad libertatem actus præcepti requiritur poteſtas ponendi oppoſitum *ſub eâ ratione, quâ præceptibile eſt*, concedò, *ſub eâ ratione, quâ non eſt præceptibile*, nego. Oppoſitum actus non eſt *præceptibile*, ut opponitur Præcepto de actu, ſed reſpectivè ad aliud præceptum, quod poſſet eſſe in illo inſtanti in quo præcipitur actus.

Similiter, poſſe ponere *negationem mortis* ſtante pręcepto de *morte* eſt peccare. *Sub eâ ratione, quâ negatio mortis eſt præceptibilis*, nego; *Sub eâ ratione, quâ non eſt præceptibilis*, concedo. Stante pręcepto de morte, *negatio mortis* habet duo, eſt enim *actu prohibita* per præceptum de morte, & eſt *præceptibilis* per aliud præceptum. Ad perfectam libertatem non debet, ſtante præcepto de morte adeſſe poteſtas ponendi negationem mortis *ut actu prohibitam*, ſed ſufficit quod ſtante præcepto de morte adſit poteſtas ponendi negationem mortis *ut per aliud præceptum eſt præceptibilis*. Negatio mortis ut *actu prohibita*, eſt peccatum, *ut autem præceptibilis* non eſt peccatum. Salvatur ergò libertas ſine poteſtate peccandi dum urgente pręcepto de morte remanet poteſtas volendi negationem mortis *ut præceptibilem*, ſivè ut dicit Magiſter noſter, *ſervato ordine finis*. *

§. III. *Ex*

Digitized by Google

§. III. *Ex oppoſito prædeterminatio phyſica ſtabilitur.*

XXXVIIJ. Quia contraria contrarijs magis eluceſcunt, placuit in hoc paragrapho & ſequentibus radicitùs explicare prędeterminationem phyſicam ſcientiæ mediæ fortiter oppoſitam. Sed quid putas, Cordate Thologe, cauſæ eſſe, Molinæ diſcipulos omnem operam moliri ad impugnandum decreta de ſe efficacia, eorumque executricem vim, prędeterminationem phyſicam? Myſterium aperio; Vident, & benè quidem, quod ſi libertas voluntatis noſtræ non poſſit componi cum prædeterminatione phyſicâ, nec etiam poterit componi cum gratiâ de ſe efficaci: volentes igitur gratiam de ſe efficacem, quam defendit S. Augustinus, deſtruere, & gratiam ſufficientem, quam defendit Molina, ſtabilire; aſtutè impugnant prędiffinitiones divinas, & prædeterminationes phyſicas, ut ijs debellatis, velociter currant viam adinventionum ſuarum. Occultè igitur petitur ab eis doctrina S. Augustini de gratiâ, ab Eccleſiâ ut regula fidei in hac materiâ approbata. *Sed non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum*, Proverb. 21. Quo plus prædeterminatio phyſica impetitur, plus firmatur, & apud Cordatos Theologos magis roboratur. Hoc breviter oſtendere, conabor, favente Deo, qui diſponit omnia fortiter, & ſuaviter.

Omnes Theologi contra Durandum conveniunt, quod poſitis omnibus requiſitis ex parte actûs primi ad agendum, adhuc neceſſaria eſt aliqua motio Dei actualis ad actionem creaturæ; ſine quâ motione poteſt quidem creatura agere, quia ponitur quod nihil deſit ex parte actûs primi ut condiſtincti ab actu ſecundo; nunquam tamen aget, quia talis motio eſt indiſpenſabiliter conjuncta actioni. Unde ſicut cauſa ſine actione poteſt agere, nunquam tamen aget; ita quælibet cauſa ſine omni illo quod eſt indiſpenſabiliter conjunctum actioni poterit quidem agere ſed, nunquam aget. Hoc ab omnibus admittitur, eſtque omnium communis vox, quod concurſus Dei non requiratur ad poſſe, ſed ad agere.

XXXIX. Difficultas eſt, an prædicta motio ſit ipſa actio creaturæ, vel quid concomitans eam; an verò ſit quid ab actione diſtinctum, & prævium actioni. Conveniunt omnes, ut jam dictum eſt, quod motio Dei & actio creaturæ inſeparabiliter conjunguntur: Sed controvertitur, an ita conjungantur, ut unum ſit cauſa alterius, ſicut in brutis cognitio boni, & amor inſeparabiliter conjunguntur, ita tamen ut cognitio ſit quid prævium & cauſa amoris: ſimiliter pes in pulvere impreſſus, & veſtigium ejus inſeparabiliter conjunguntur, ita tamen ut pes ſit cauſa veſtigij. Ratio eſt, quod prioritas cauſalitatis & dependentiæ non repugnat ſimultati exiſtentiæ, & durationis. Et ſi licet ad divina tranſcendere, Pater & Filius unâ intellectione ſe ſimul intelligunt, &

Digitized by Google

tamen Filius prædictam intellectionem accipit à Patre. Ex quo patet, quod in ipſo limine offendunt, qui audientes motionem divinam antecedere cauſalitate actionem creaturæ, ſtatim concipiunt eam, ut ab actione ſeparatam.

XL. His prę̨miſſis, Certiſſimum eſt D. Thomam aſſerere, quod motio divina ſit quid ab actione diſtinctum, illamque cauſalitate antecedere. Et qui hoc in D. Thomâ non legit, credat certò ſe D. Thomam non intelligere. Unde *oret Deum ut intelligat, & non litiget, ut nunquam intelligat.*

* Quidam Moliniſticæ Theologiæ profeſſor ad hæc verba noſtra dictavit: *Quibus verbis non parum perſtringitur* D. Sylvius,*qui in libro de primo Motore tenet, & clarè ex* S. Thomâ *deduci putat motionem cauſæ primæ eſſe realiter indiſtinctam ab actione cauſæ ſecundæ.*

Debuiſſet prædictus R. Pater prius retuliſſe primam eximij Domini ac Magiſtri noſtri concluſionem quâ in initio totius opuſculi ſic ait: *Pro indubitato habemus* D. Thomam *non aſſeruiſſe ſimultaneum Dei concurſum in effectus cauſarum ſecundarum, qui non ſit etiam in cauſas, ideòque concluſionem hanc ſtatuimus.* D. Thomas *docuit Deum ita per creaturas operari, ut non ſolum effectus earum attingat, ſed etiam influat in ipſas cauſas realiter ac Phyſicè eas attingendo, movendo, determinando & prædeterminando.* Impreſſ. An. 1609. apud Marcum Wion Duaci. Quæ verba non diſtinguuntur a noſtris. Dicunt enim quod *indubitatum eſt* D. Thomam *aſſerere, quod motio divina ſit influxus in cauſam prædeterminans eam ad agendum.* Noſtra verba dicunt, *certiſſimum eſt* D. Thomam *aſſerere, quod motio divina ſit quid ab actione diſtinctum illamque cauſalitate antecedere.* Indubitatum puto eſſe idem quod certiſſimum; & influxus in cauſam prædeterminans eam ad agendum non poteſt non eſſe quid ab actione diſtinctum, illamque cauſalitate antecedere. Ut ex terminis patet. Non ergo verbis noſtris perſtringitur D. Sylvius, ſed idem cum eo nos ſaperè teſtimonium perhibent, ut etiam doctè probat Amicus Philalethis cap. 23. con. 3.

Deceptus fuit R. Pater in eo, quod parte 3. art. 5. doceat, prædeterminationem non eſſe *rem* diſtinctam ab actione cauſæ ſecundæ; non advertens quod poſſit ab eâ diſtingui ut *modus*. In modo explicandi Communis Eccleſiæ Solis ſententiam noluit eximius diſcipulus prædeterminationem Phyſicam eſſe qualitatem, ſed quemdam modum actionis, qui ita ſe haberet ad actionem cauſæ ſecundæ, ſicut actio tranſiens ſe habet ad motum, cui realiter identificatur, cum diſtinctione modali. Conſideravit enim quod actio cauſæ ſecundæ reſpectu Dei non tam eſt actio, quam motus ab illo cauſatus, quo cauſa ſecunda de otio tranſit in actum. Legatur, & ſic invenietur. *

Hæc concluſio probatur ex omnibus illis locis in quibus D. Thomas ait, Deum quamlibet cauſam movere ad agendum, & in omni operante operari per modum applicantis. Hujuſmodi loca brevitatis causâ omittimus, quia

Digitized by Google

ſunt obvia, & ab omnibus recipiuntur. Qui ex iſtis locis non percipiunt veritatem noſtræ aſſertionis, hoc accidit eis, quia non attendunt quid ſit movere ad agendum, & applicare ad operationem: ſi hoc debitè explicetur, manifeſtiſſima fiet veritas Thomiſtica.

Sciendum eſt, quod movere ad agendum, ſive applicare ad operationem, non eſt elicere ipſam operationem, nec conferre virtutem agendi; ut patet; quia quęlibet cauſa elicit ſuam actionem, & tamen non quælibet cauſa ſe movet ad agendum; plures etiam cauſæ applicant & movent ad agendum, quæ non conferunt nec conſervant virtutem agendi; primam plantam à Deo productam Sol movet ad agendum, & tamen non dedit illi virtutem agendi: ſimiliter applicat quis cultrum ad ſcindendum ſine collatione acuminis.

XLI. Quid eſt igitur movere ad agendum? dic mihi quid eſt, movere lignum ad formam ignis? Reſpondebis. Eſt educere formam ignis de materiâ ligni, & conjungere illam materiæ ligni. Rectè reſpondiſti. Ita & ego reſpondeo; movere ad agendum, eſt (ut ita dicam) educere actionem ex actu & virtute cauſæ, & conjungere, illam cauſæ. Forma enim producitur de potentiâ, actio producitur de actu, juxta illud. *Vnumquodque agit in quantum eſt actu.* Unde ſicut actio conjungens formam ignis ligno diſtinguitur, & eſt prævia ad formam ignis, inſeparabiliter tamen cum eâ conjuncta; & ſicut ignis iſtâ actione non ſolùm agit in formam, ſed in ipſum lignum: ita motio quâ Deus cunjungit actionem agenti, diſtinguitur & eſt prævia actioni, inſeparabiliter tamen cum eâ conjuncta; ratione cujus Deus non ſolùm influit in operationem, ſed & in cauſam.

Dicet fortè Molinæ diſcipulus: movere ad agendum non eſt dare virtutem agendi præcisè, nec etiam concurrere ſolùm ad actionem; ſiquidem principium concurrens præcisè, non eſt aliud quam principium ſimul eliciens: ſed movere ad agendum eſt concurrere ad agendum, ita ut etiam det virtutem agendi; hoc ipſo enim quod concurrit, ut ſimul dans virtutem, dicitur movere & applicare ad agendum. Sed hoc eſt abuti terminis, & mera nugatio. Quia aliud eſt, quod agens aliquod ſit cauſa actionis duplici titulo, & aliud eſt, quod ſit cauſa actionis iſto ſpeciali titulo applicantis & moventis ad agendum; quem titulum diſtinguit D. Thomas ab alijs titulis per modum principij elicientis, & per modum dantis virtutem. Quamvis autem agens quod ita concurrit ad agendum, ut etiam det virtutem agendi duplici titulo ſit cauſa actionis; ſemel ut dans virtutem, & iterùm ut principium ſimul eliciens; non tamen hoc ſufficit ut dicatur applicans & movens ad agendum; quia poteſt dari cauſa quæ det virtutem agendi, & concurrat cum eâ, & tamen non applicet eam ad agendum, ut patet in Patre concurrente cum filio ad trahendum navim.

Inſtabit Molinæ diſcipulus; pater didit virtutem agendi filio, ſed non

conſervat eam. Nec hoc ſufficit quia, ponamus quod pater ſit medicus, & ſuis medicamentis conſervet ſanitatem filij, tunc dedit illi robur ad trahendum, & conſervat illud,& tamen concurrendo cum filio adhuc poteſt non applicare filium ad agendum; ſi enim pater, importunè rogatus à filio, trahat; magis prædictus pater applicatur à filio, quàm applicet eum. Tunc autem pater verè applicat filium, quando filius non trahit niſi ex imperio patris. Poſitâ iſtâ motione imperij dicitur aliquis applicari ad trahendum, ſive acceperit ab imperante virtutem, ſive non acceperit.

Nec obeſt, quod iſta motio imperij ſit moralis: quia illam tantùm indicamus, ut clarè videatur, quod motio ad agendum debet eſſe quid prævium, & ab actione diſtinctum, illam agenti conjungens, ac proinde ſi agens fuerit morali ſolùm ſubjectione ſubditum moventi, motio prævia erit moralis: ſi verò agens ſubjectione phyſicâ ſubdatur moventi, motio prævia erit phyſica. Sed ſive motio ſit moralis, ſive phyſica, neceſſariò hęc duo involvit; 1. Quod ſit actioni conjuncta inſeparabiliter; 2. Quod ſit prævia ad actionem, illam agenti conjungens, eamque ab actualitate agentis faciens egredi. Sicut actio movens lignum ad formam ignis, conjungit formam ignis ligno, facitque eam egredi de potentialitate ligni. Hoc tamen exemplum more aliorum claudicat, ſed ſufficit ad intentum.

XLIJ. Hanc præviam motionem ab actione diſtinctam breviter expreſſit D. Thomas 1. p. q. 105. a. 5. dicens: quod Deus operatur in omni operante per modum applicantis; non dixit D. Thomas, quod Deus operetur *in omni effectu*, ſed *in omni operante*, ut ſignificaret influere Deum non ſolùm in effectum, ſed etiam in cauſam. Nec etiam dixit D. Thomas, quod Deus operetur *cum omni operante*, ſed *in omni operante*, ut denotaret motionem divinam priùs recipi in operante, quam cum illo operetur. Clarè igitur explicatum manet, ſimul & probatum, D. Thomam aſſerere, motionem divinam in omni operante recipi antecedenter ad ejus actionem, non quidem prioritate durationis, ſed prioritate cauſalitatis; & cùm hæc motio prævia determinet phyſicè cauſam ad agendum; Quis Cordatus Theologus, amabo, negare poterit hanc motionem rectè vocari à Thomiſtis prædeterminationem phyſicam? Quare ſi quis neget hanc prædeterminationem fuiſſe aſſertam à D. Thomâ, quia prædictæ voces ſimul junctæ non leguntur in ſuis ſcriptis, nihil aliud facit, quam illos imitari, qui tranſubſtantiationem negant, eo quod hoc verbum in ſacrâ Scripturâ non reperitur.

Digitized by Google

§. IV. *Veritas prædeterminationis phyſicæ corroboratur ex teſtimonio D. Thomæ extendentis illam ad materiale peccati, quam doctrinam ex S.* AUGUSTINO *hauſit Angelicus Præceptor.*

XLIIJ. SUfficerent antedicta fideli D. THOMÆ diſcipulo ad fugandum à ſuâ mente concurſum purè ſimultaneum. Quia tamen aliqui durioris ſunt in hâc materiâ intellectûs, placuit ex utroque Eccleſiæ Sole hanc doctrinam magis corroborare, quæ in tantâ univerſalitate fuit ab eis tradita, ut ad materiale peccati indubitanter illam extenderint. Sic loquitur D. THOMAS in 2. diſt. 37. q. 2. a. 2. *Quædam opinio dicebat actus peccatorum nullo modo, nec etiam in quantum actus ſunt à Deo, & hæc opinio tangitur in præſenti diſtinctione, quam ad præſens nulli, vel pauci tenent, quia propinquiſſima eſt duplici errori.* Deinde po„ nit primam rationem erroris. *Primò, quia videtur ſequi ex eâ quod ſint plura „ principia. Hoc enim eſt de ratione primi principij ut agere poſſit ſine auxilio prioris „ agentis, & influentiâ ejus: unde ſi voluntas humana actionem aliquam poſſet pro„ ducere cujus Deus author non eſſet, voluntas humana rationem primi principij „ haberet.*

Solvunt hanc rationem Molinæ diſcipuli, dicentes, quod ad hoc ut voluntas humana non ſit primum principium, ſufficit quod ejus virtus accipiatur, & conſervetur ab alio. Non ignoravit D. THOMAS hanc ſolutionem, dum ait: *Quamvis quidam hoc ſolvere nituntur, dicentes quod voluntas, etſi per ſe poſſit producere actionem, ſine influentiâ prioris agentis, non tamen habet eſſe à ſe, ſed ab alio, quod etiam exigitur ad rationem principij.*

XLIV. Hanc ſolutionem ſic impugnat Doctor Angelicus: *Sed hoc videtur „ inconveniens, ut quod à ſe eſſe non habet, à ſe agere poſſit, cùm etiam per ſe durare „ non poſſit quod à ſe non eſt; omnis etiam virtus ab eſſentiâ procedit, & operatio à „ virtute; unde cujus eſſentia ab alio eſt, oportet quod virtus & operatio ab alio ſit. Et „ præterea quamvis ſecundùm hanc rationem evitaretur quod non eſſet primum ſimpli„ citer, tamen non poteſt vitari quin eſſet primum agens, ſi ejus actio in aliquid prius „ agens non reduceretur, ſicut in cauſam.*

XLV. Ecce tres rationes ponit D. THOMAS ad probandum quod voluntas non poſſit per ſe agere ſine influentiâ prioris agentis. Attendant, quæſo, Molinæ diſcipuli, D. THOMAM non velle probare, quod voluntas egeat influentiâ ſimultanei agentis ad agendum, ſed intendit, quod indigeat ad ſuam actionem influentiâ prioris agentis. In ipſo ergo limine ſuæ impugnationis excludit D. THOMAS concurſum ſimultaneum, qui eſt influentia ſimultanei agentis, & non prioris agentis. Ad hanc attentionem ſufficeret Grammatica; ſi enim interrogaretur Grammaticus, quid ſit agens ſimultaneum, & quid

Digitized by Google

prius agens? Reſponderet, agens ſimultaneum eſt, quod ſimul agit, agens prius eſt, quod primò agit. Vbi ergo requiritur influentia alicujus cauſæ primò agentis, ibi manifeſtè excluditur influentia cauſæ ſimul tantùm agentis; ſed D. Thomas ad actionem voluntatis requirit influentiam cauſæ primò agentis: ergo &c.

Id ipſum ſingulæ rationes, ſi ſint efficaces manifeſtè evincunt: Efficacia primæ rationis conſiſtit in hoc: quod à ſe non eſt, per ſe durare non poteſt ſine influentiâ prioris agentis: ergo quod à ſe non eſt, per ſe agere non poteſt ſine influentiâ prioris agentis. Sic hâc ratione excludo concurſum ſimultaneum: duratio ejus, quod à ſe non habet eſſe, debet eſſe terminus influentiæ prioris agentis; ergo actio ejus, quod à ſe non habet eſſe, debet eſſe terminus influentię prioris agentis. Sed influentia eſt prior cauſalitate ſuo termino: ergo influentia prioris agentis erit prior cauſalitate actione voluntatis: Si prior, quomodo ſimul?

XLVJ. Efficacia ſecundę rationis ſic proponitur. Qui non habet eſſentiam ſine influentiâ prioris agentis, non habet etiam virtutem & operationem ſine influentiâ prioris agentis: ſed voluntas non habet eſſentiam ſine influentiâ prioris agentis: ergo nec virtutem, nec operationem habet ſine influentiâ prioris agentis. Ex hoc diſcurſu excludo concurſum ſimultaneum hoc modo: virtus ab operatione diſtincta & ſeparabilis non poteſt accipere ſuum eſſe per eamdem influentiam, ac ipſa operatio: ſed tam virtus quàm operatio voluntatis debent procedere ex aliquâ influentiâ prioris agentis? ergo operatio debet accipere ſuum eſſe per influentiam prioris agentis diſtinctam ab influentiâ prioris agentis, per quam virtus voluntatis accipit ſuum eſſe: ſed concurſus ſimultaneus non eſt influentia prioris agentis: ergo præter concurſum ſimultaneum, & collationem virtutis, debet prius agens habere aliquam influentiam ad actionem terminatam. Sicut enim prius agens influit in virtutem, ita debet influere in operationem dicit D. Thomas: Vbi ergo conferendo virtutem, non influit in actionem, debet præter collationem virtutis admitti influxus diſtinctus in actionem. Si ſit influxus in actionem, quomodo ſimultaneus?

XLVIJ. Denique vis tertiæ rationis hoc evincit in hunc modum propoſita. Cujus eſſe non foret ex influentiâ primi entis, eſſet primum ens; ergo cujus actio non eſt ex influentiâ prioris agentis, erit primum agens. Non poſſunt Moliniſtę ſubterfugere vim iſtius rationis dicendo, quod virtus accepta ab alio, & conſervata non poteſt eſſe primum agens: & ideò qui agit per hanc virtutem, non agit ut primum agens. Non, inquam, valet eis hoc effugium: quia ſic urgeo: virtus quę non eſſet ex influentiâ alicujus primę virtutis eſſet prima virtus; ergo actio quæ non erit ex influentiâ alicujus prioris actionis, erit prima actio. Sicut enim eſſentia, hoc ipſo quod ſit ſecunda, debet ter-

Digitized by Google

minare influxum alicujus primæ eſſentiæ; & virtus, hoc ipſo quod ſit ſecunda, debet terminare influxum alicujus primæ virtutis: ita & actio, hoc ipſo quod ſit ſecunda, debet terminare & præſupponere actionem primam, cujus ſit terminus. Dent Moliniſtæ diſparitatem, & prædictas rationes ſolvant, ſi velint negare D. THOMAM dixiſſe, quod ſit duplici errori propinquiſſimum, aſſerere, quod Deus non prædeterminet, tam ſuo decreto, quàm præmotione phyſicâ, ad materiale peccati.

XLVIIJ. Notandum quoque eſt, ut bene animadvertit Suarez, hoc ipſo quod dicatur Deum prædeterminare utroque modo actus bonos, debere conſequenter affirmari, quod utroque modo prædeterminet actum peccati, ſive, ut loquuntur Juniores, materiale peccati materialiter ſumptum.

Hanc doctrinam deſumpſit Angelicus Doctor ex S. AUGUSTINO, qui in multis locis eam docet, nempe, Deum operari in voluntate illas actiones, quæ ex malitiâ voluntatis redduntur malæ, ſicut eſt voluntas Judæ tradendi Chriſtum, voluntas Judæorum, & Gentium crucifigendi ipſum, & ſimiles actiones. Sufficit in præſenti adducere verba cap. 21. lib. de grat. & libero arbitrio, ubi poſtquam multa Scripturę teſtimonia ad rem hanc confirmandam adduxerat, ſic concludit: *His & talibus teſtimonijs ſatis, quantum exiſtimo, manifeſtatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, ſive ad bona pro ſuâ miſericordiâ, ſive ad mala pro meritis eorum, judicio utique ſuo, aliquando aperto, aliquando occulto, ſemper autem juſto*, &c.

Si dixeris cum Suarez, AUGUSTINUM ſolùm velle Deum facere, quod voluntas faciat minus malum, quando ex ſe inclinatur, & operatura eſſet majus malum; obſtat S. Doctor ponens cap. 20. exemplum ſuæ doctrinæ in malis graviſſimis: *Sic uſus eſt Judâ tradente Chriſtum; ſic uſus eſt Judæis crucifigentibus Chriſtum, qui & ipſo Diabolo utitur peſſimo.*

XLIX. Nec etiam poteſt explicari AUGUSTINUS de aliquo decreto permiſſivo; quia facere, inclinare, & operari in cordibus hominum ex omnipotentiſſimâ ſuâ poteſtate non ſunt actus decreti permiſſivi. Ipſe quoque AUGUSTINUS hanc explicationem l. 5. contra Julianum, cap. 3. explodit his verbis: *Quæris inaniter, quomodo intelligendus ſit tradere Deus? multum laborans, ut oſtendas eum tradere deſerendo* Ecce decretum permiſſivum quo Deus tradit in deſideria cordis, & in paſſiones ignominiæ, volendo ſcilicet deſerere; id eſt, gratiam non dare, aut retrahere. Et probans inſufficientem eſſe prędictam explicationem, ſic contra eundem Julianum loquitur ibid. *Quid eſt quod dicis, cum deſiderijs ſuis traditi dicuntur; relicti per divinam potentiam intelligendi ſunt, non per potentiam in peccata compulſi? Quaſi non ſimul poſuerit hæc duo idem Apoſtolus & patientiam & potentiam, ubi ait, Sic autem Deus volens oſtendere iram & demonſtrare potentiam ſuam attulit in multâ patientiâ vaſa iræ, quæ perfecta ſunt in perditionem.*

Digitized by Google

Ac tandem cap. 4. concludit: *Facit hoc miris & infallibilibus modis, qui novit juſtâ judicii ſua non ſolùm in corporibus hominum, ſed & in ipſis cordibus operari.*

Firmiter igitur, & invictè manet probatum, Deum movere ad actum peccati; & eandem illam actionem, quam voluntas exercet, ut deficiens, operatur Deus in voluntate ut omnipotens; & ideo quidquid deficientiæ eſt in prædictâ actione, ad quam præmovet Deus, reducitur in voluntatem deficientem. E contrà quidquid actualitatis, virtutis, & perfectionis eſt, reducitur in Deum omnipotentem, ſicut in cauſam primam.

* Unicâ diſtinctione omnes Adverſariorum cavillos contra Doctrinam iſtam diſſolues. Sicut enim diſtinguendo duas rationes, unam quæ *ſit præceptibilis*, aliam quæ *non ſit præceptibilis*, ſolvitur quidquid objicitur contra modum Angelicum conciliandi libertatem cum præcepto, ita diſtinguendo duas rationes, unam *ad quam ſequitur malitia*, aliam *ad quam non ſequitur malitia*, diſſoluentur omnes objectiones quas faciunt Adverſarij contra prædeterminationem ad actum peccati. * De quo late cap. ſeq. art. 3. interim perpendo ſequens teſtimonium.

§. V. *Suavitas prædeterminationis phyſicæ proponitur.*

L. Deus Prædeterminatione phyſicâ fortiter, & ſuaviter movet ſuam creaturam. Quod eleganter explicuit Doctor Angelicus q. 3. de
„ Malo, a. 2. his verbis: Sed tamen attendendum eſt, quod motio primi
„ moventis, non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, ſed in uno-
„ quoque ſecundùm proprium modum. Alio enim modo cauſatur à motu
„ cœli motus corporum inanimatorum quæ non movent ſeipſa; & alio modo
„ motus animalium quæ movent ſeipſa. Rurſumque alio modo conſequitur
„ ex motu cœleſti pullulatio plantæ, in quâ virtus generativa non deficit,
„ ſed producit perfectum germen: alio modo pullulatio plantæ, cujus vir-
„ tus generativa eſt debilis, & producit germen inutile.

„ Cùm enim aliquid eſt in debitâ diſpoſitione ad recipiendum motionem
„ primi moventis conſequitur actio perfecta ſecundùm intentionem primi
„ moventis; ſed ſi non ſit in debitâ diſpoſitione & aptitudine ad recipiendum
„ motionem primi moventis (*non ſimul agentis*) ſequitur actio imperfecta, &
„ tunc id quod eſt ibi actionis reducitur in primum movens (*non in ſimul-
„ taneum movens*) ſicut in cauſam: quod autem eſt ibi de defectu, non redu-
„ citur in primum movens, ſicut in cauſam, quia talis defectus conſequi-
„ tur in actione, ex hoc quod agens deficit ab ordine primi moventis, ut
„ dictum eſt, ſicut quidquid eſt de motu in claudicatione, eſt ex virtute
„ motivâ animalis; ſed quidquid eſt ibi de defectu, non eſt à virtute mo-

„ tivâ

Digitized by Google

„ tivâ, ſed à tibiâ, ſecundùm quod deficit ab opportunitate mobilitatis à „ virtute motivâ.

„ Sic ergo dicendum, quod cùm Deus ſit primum principium motionis „ omnium; quædam ſic moventur ab ipſo, quod etiam ipſa ſeipſa movent, „ ſicut quæ habent liberum arbitrium, quæ ſi fuerint in debitâ diſpoſitione, „ & ordine debito ad recipiendum motionem, quâ moventur à Deo, ſequ„ untur bonæ actiones, quæ totaliter reducuntur in Deum, ſicut in cau„ ſam. Si autem deficiant à debito ordine, ſequetur actio inordinata, quæ „ eſt actio peccati; Et ſic id quod eſt ibi de actione reducetur in Deum, ſicut „ in cauſam: quod autem eſt ibi de inordinatione, vel deformitate, non ha„ bet Deum cauſam; ſed ſolùm liberum arbitrium, & propter hoc dicitur, „ quod actio peccati eſt à Deo, ſed peccatum non eſt à Deo.

LI. Fortaſſis Molinæ diſcipuli, audientes prima verba hujus profundiſſimi teſtimonij putabunt Angelicum Doctorem favere indifferentiæ concurſûs Moliniſtici, cùm ait, *Quod motio primi moventis, non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, ſed in unoquoque ſecundùm proprium modum.* Sed animadvertant aliud eſſe, motionem primi moventis modificari à virtute creaturæ; aliud verò modificari per actionem creaturæ. In hoc longè deviant à veritate prædicti Authores, & à lumine Thomiſtico ſe avertunt, quod velint motionem primi moventis modificari per actionem creaturæ, cùm deberent ſolùm dicere, quod motio primi moventis modificetur à virtute in quâ recipitur, juxtà illud: *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur.*

LII. Hìc apparet ſuavitas, & efficacia motionis primi moventis, ſive prædeterminationis phyſicæ. Hæc enim nihil eſt aliud, quàm applicatio virtutis ad agendum, quæ quantùm eſt de ſe uniformiter ſe habet ad omnem virtutem agendi; ejusque effectus formalis eſt, quod actio fiat; & in hoc conſiſtit efficacia præmotionis divinæ, ut enim ait D. Thomas 1. 2. q. 10. a. 4. ad 3. *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt huic poſitioni, quod voluntas ad illud non moveatur.* Sed ejus ſuavitas in hoc conſiſtit, quod ipſa cuilibet virtuti, in quâ recipitur, attemperatur; ſiquidem recepta in igne, applicat ad calefaciendum; recepta in aquâ, applicat ad humectandum; recepta in virtute ad unum determinatâ, applicat cum determinatione ad unum; recepta in virtute indifferenti ad oppoſita, applicat cum indifferentiâ ad oppoſitum; recepta in voluntate ut eſt vis amandi, applicat eam ad amandum; recepta in voluntate ut eſt vis odiendi, applicat eam ad odiendum; recepta in vi amandi ſtante ſub indifferentiâ judicij, applicat ad liberè amandum; recepta in vi amandi ſub judicio determinato, applicat ad neceſſariò amandum. Fortiter igitur, & ſuaviter movet prædeterminatio phyſica: fortiter quidem, quia facit quod agens agat; ſuaviter verò, quia attemperata cuilibet agenti facit quod ſecundùm modum ſuæ virtutis agat. Hanc ſuavitatem

Digitized by Google

idiomate conſcripto, cui titulus, *La Conduite de l'Egliſe*, inter Thomiſtas, & Calviniſtas decem & octo diſcrimina obſervat, & diligenter probat. Unde non immeritò Dionyſius Raymundus 1. p. cap. 4. a. 9. pag. 17. ait: *Il faut que le Livre de Ianſenius ait bien ouvert les yeux aux Ieſuites, puis que depuis qu'il a parû, ils ont bien compris comment la doctrine des Thomiſtes, touchant la predetermination phyſique, ne ruinoit pas la liberté, & eſtoit differente de celle de Calvin.* Neceſſe eſt frequentem libri Janſenii lectionem Jeſuitis oculos aperuiſſe, cùm ex eo tempore quo prodijt, rectè perceperint, quantùm Thomiſtarum doctrina ab errore Calvini differret eâ parte, quæ ad prædeterminationem phyſicam ſpectat, nec deſtruere libertatem. Sic refert P. Gonet. in Apolog. Thomiſtarum a. 1. Ubi P. Annatum proprijs laqueis irretit, & teſtimoniorum ſuorum vocibus confutat; ſicque ſpecioſam de tanto Patre victoriam reportat.

§. VI. *Concurſus prævius, & ſimultaneus comparantur inter ſe.*

LV. Concludo hunc articulum per comparationem utriuſque concurſus. In aliquibus enim conveniunt. Primò conveniunt in hoc, quod uterque concurſus præſupponat completum poſſe. Quod eſt intelligendum de concurſu univerſali, de quo in præſenti ſemper loquimur. Secundò, quod uterque ſit ab actione inſeparabilis. Hinc fit concurſum prævium non magis officere libertati, quàm ſimultaneum: quia actio non dicitur libera per hoc præcisè quod exiſtat, ſed per hoc quod exeat à potentiâ liberâ, id eſt, à principio habente potentiam ad oppoſitum; ſicut actio dicitur vitalis, ex hoc quod exeat à potentiâ vitali, id eſt, à principio vitæ. Si igitur concurſus prævius præſupponat completum poſſe; quod tale poſſe ſit etiam ad oppoſitum, aut non ſit, non poteſt oriri ex concurſu prævio; ſicut ex concurſu ſimultaneo non habetur, quod potentia, ad cujus actum concurrit, ſit ad oppoſita, vel non ſit. Verùm, ſicut ſimultaneè concurrit Deus ad actum liberum, quia concurrit ad actum, qui egreditur à determinante ſe cum potentiâ ad oppoſitum; ita Deus prędeterminat ad actum liberum, quia applicat determinantem ſe cum potentiâ ad oppoſitum.

LVI. Hoc ſemper præ oculis eſt habendum, quod qualis naturæ eſt potentia ad agendum, talis naturæ eſt ipſa motio applicans. Si enim natura potentię ſit ad movendum ſe, motio divina applicabit illam ad movendum ſe; ſi ad movendum ſe cum potentiâ ad oppoſitum, applicabit ad movendum ſe cum potentiâ ad oppoſitum. Et ideò in quâlibet actione ad quam movet Deus, ſemper duas actiones Dei debemus concipere: unam, per quam producit potentiam, & adaptat illam ad actionem intentam, aliam, per quam potentiam

Digitized by Google

adaptatam applicat ad agendum. Quod voluntas agat, hoc habet per actionem Dei poſteriorem; quod autem voluntas agendo amet, & liberè amet, hoc habet per priorem actionem, quæ adaptavit voluntati judicium ad amandum cum infferentiâ ad oppoſitum. Nec Deus poteſt præmovere voluntatem ad amandum liberè, niſi illam priùs, ſub judicio indifferenti ad amandum, adaptaverit.

LVIJ. Clarè apparet, nullâ præſcientiâ futuræ diſpoſitionis indigere Deum, ut decernat actus liberos voluntatis; quia per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ novit Deus efficaciam ſuæ motionis, quæ omnem virtutem & diſpoſitionem requiſitam ad actum liberum poteſt in voluntate & in intellectu imprimere ubi, & quando voluerit, ac utramque potentiam ſic adaptatam efficaciter applicare. Quare, ſicut poſito decreto divino de actu, neceſſe eſt actum fieri; ita poſito decreto divino de actu libero, neceſſe eſt actum liberè fieri.

Falſum igitur eſt, quod ait P. Annatus de ſcient. med. diſp. 1. c. 6. n. 101. difficillimum eſſe ſeclusâ ſcientiâ mediâ, conciliare libertatem actûs prædiffiniti cum divinâ prędiffinitione. Quid enim, re bene perpensâ, facilius eſt, quàm effectum conciliare cum ſuâ causâ? Quis adeò ligneus, ut non percipiat cauſam libertatis non poſſe deſtruere libertatem? Quæro à P. Annato, cur voluntas creata determinando ſe ad unum non deſtruit libertatem? Reſpondet, quia liberè ſe determinat: ergo decretum, quo Deus decernit ut liberè ſe determinet, non tollit libertatem, ſed efficit illam: ergo motio divina, quę ut executio decreti facit quod liberè ſe determinet, non tollit libertatem, ſed efficit libertatem.

Ulteriùs quæro à P. Annat. vel Deus poteſt facere ſuâ motione quod voluntas ſe determinet liberè, vel non poteſt: ſi hoc poſterius, ergo ſubtrahitur à divinâ cauſalitate, id quod eſt præſtantiſſimum in voluntate. Si prius; ergo ſicut Deus poteſt facere, quod voluntas ſe liberè determinet, ita poterit prædiffinire quod ſe liberè determinet. Si dicatur, Deus poteſt hoc prædiffinire, ſi præſcientia exploraverit: ſequitur quod voluntatem liberè ſe determinare non ſubjaceat cauſalitati divinæ. Nam oſtenſum eſt toto Art. 1. quod pręſcientia non pręrequiritur, niſi ubi aliquid non ſubeſt cauſalitati agentis; quidquid enim à ſubditis eſt agendum decernit Rex ſine præviâ voluntatis ſubditorum exploratione, quia ſcit ſibi eſſe ſubjectos, & non poſſe infringere ſua decreta. Si ergo Deus egeat præſcientiâ determinationis liberi arbitrij, ut decernat amorem liberum, oportet, ut cognoſcat prædictàm determinationem, non ſibi eſſe ſubjectam.

LVIII. Objicies argumentum ad hominem. Ex facilitate conciliandi libertatem cum ſcientiâ mediâ, oſtenſum eſt ſuprà, prædictam ſcientiam contrariari doctrinæ S. Augustini: ergo ſi nihil facilius, quam conciliare

Digitized by Google

libertatem cum prædiffinitionibus divinis, prædiffinitiones divinę contrariabuntur etiam doctrinæ S. AUGUSTINI.

Reſpondetur, Scientiam mediam primâ quidem facie conciliare libertatem, re autem bene perpensâ, illam deſtruere; doctrina verò S. AUGUSTINI primâ facie videtur deſtruere libertatem, ſed, re bene perpensâ, illam firmat: & ideò doctrina S. AUGUSTINI directè contrariatur ſcientiæ mediæ, ſecùs prędiffinitionibus: quibus, re bene perpensâ, nihil eſſe facilius dicimus ad conciliandam libertatem, quamvis apparenter, & primâ facie videantur libertatem tollere. Hæc ſolutio deſumitur ex S. AUGUSTINO lib. de grat. Chriſti, cap. 47. ubi ait: *Iſta quæſtio ubi de libero arbitrio voluntatis, & de Dei gratiâ diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando autem aſſeritur gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Benè notandum eſt, quod non dicat liberum arbitrium aufertur, ſed *putetur auferri.*

Ratio autem quare prædiffinitiones divinæ videantur tollere libertatem, eſt quia intellectus magis attendens ad modum agendi cauſarum particularium, non ſatis perpendit univerſalitatem divinæ voluntatis: de quâ elegantiſſimè ſic ſcribit Doctor Angelicus 1. Periherm. lect. 14. *Voluntas divina eſt intelligenda ut extra ordinem entium exiſtens, veluti cauſa quædam profundens totum ens, & omnes ejus differentias: ſunt autem differentiæ entis poſſibile, & neceſſarium; & ideò ex ipsâ voluntate divinâ originantur neceſſitas & contingentia in rebus*, &c.

LIX. Supereſt, ut differentiam concursûs prævij & ſimultanei aſſignemus. In hoc differunt, quod prævius antecedat determinationem libertatis; ſimultaneus conſequatur: & ideò convenientiùs diceretur conſenſus pediſſequus, quàm ſimultaneus. Sicut enim concurſus dicitur prævius, non quia non ſit ſimul cum determinatione voluntatis, ſed quia infert illam; ita licet Dei concurſus ſit ſimul cum determinatione voluntatis, quia tamen determinatio voluntatis eſt cauſa quod ſit determinatus, debebit dici pediſſequus voluntatis.

Sequitur, Deum ſecundùm concurſum ſimultaneum nihil aliud dare voluntati, quàm completum poſſe ad agendum; ſiquidem gratia, virtutes, & omnia alia dona ab actu ſeparata tantùm conferunt poſſe ad agendum; ipſum autem agere non conferunt; ac proinde omnia iſta non poſſunt pertinere ad gratiam diſcernentem bonos à malis. Præter hæc Deus dat ſuum concurſum; ſed hic concurſus, ut datus à Deo, eſt indifferens ad amorem, & ad odium; ergo non poteſt etiam ipſum amorem conferre, nec pertinere ad gratiam diſcernentem bonos à malis. Ergo ſecundùm Molinę diſcipulos nihil datur intrinſecum diſcernens bonum à malo, quod ſit à Deo datum; ac proindè ab ipſo libero arbitrio oritur, quod ſe à malo diſcernat; nulla igitur eſt gratia diſcernens bonos à malis; ſiquidem quod eſt à ſolo libero

arbitrio non poteſt eſſe gratia, quæ non niſi à Deo donatur.

LX. Veriùs concluſiſſet P. Annatus: Admiſsâ igitur ſcientiâ mediâ impoſſibile eſt defendere gratiam Chriſti, quâ boni diſcernuntur à malis: hæc enim gratia non conſiſtit in ipsâ poteſtate faciendi bonum, ſed in hoc quod det ipſum facere; de quâ ſic loquitur S. Augustinus lib. de grat. Chriſti, c. 25. *Quomodo dicit liberi arbitrij elatus aſſertor, quod poſſumus bene cogitare, Dei eſt, quod autem bene cogitamus, noſtrum eſt? Cui reſpondet humilis gratiæ prædicator: non quia idonei ſumus aliquid ex nobis, quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Non enim ait: poſſe cogitare, ſed cogitare.*

Secluſi verò ſcientiâ mediâ, & admiſsâ prædeterminatione phyſicâ (modo infra dicendo) fit luce meridianâ clarius, quod non ex homine, homini inſit iſta ſuæ voluntatis determinatio, ſed ex Deo gratiâ ſuâ hominem determinante, quam gratiam alteri negat, qui ſeipſum ſuâ voluntate ad malum determinat: quæ ſua determinatio placere Deo non poteſt: Ut enim ait August. ſerm. 94. de tempore, c. 3. *Non in te placet Deo, niſi quod habes ex Deo: quod autem habes ex te diſplicet Deo.*

LXJ. Ex quo naſcitur, ut qui gloriatur & laudatur, in Domino glorietur & laudetur, juxta illud Pſalm. 33. *In Domino laudabitur anima mea.* Nimirum quia nos ita voluntatem noſtram hic & nunc determinamus, ut tamen Deus determinationem illam operetur in nobis. O Molinæ diſcipuli, *Non auditis* (ait Aug. lib. 4. ad Bonif. c. 6.) *faciam ut ambuletis, faciam ut obſervetis*, poſtremò, *faciam ut faciatis? Quid adhuc vos inflatis? nos quidem ambulamus, verum eſt; nos obſervamus, nos facimus*, nos noſipſos determinamus: *ſed ille facit ut ambulemus, ut obſervemus, ut faciamus*, ut nos determinemus. *Hæc eſt gratia Dei bonos faciens nos, hæc miſericordia ejus præveniens nos.* Quam Deus non lege atque doctrinâ inſonante forinſecùs, non concurſu ad utrumque oppoſitum indifferenti, ſed internâ atque occultâ, mirabili atque ineffabili poteſtate operatur Deus in cordibus hominum.

ARTICVLVS IIIJ.

* *Eaſdem, & majores patitur ſcientia Media difficultates, quas pati videtur ſententia* S. Augustini.

DEformitatem ſcientiæ Mediæ concludimus ultimo hoc articulo ex vanitate, quâ volens liberum ſervare arbitrium, ſubdendo gratiam liber-

tati, utrumque perdidit, & gratiam, & libertatem. Juſto Dei judicio factum credimus, ut in foveam incideret, quam alteri paraverat. Gratiam prædeterminantem ſperabat brevi ruituram, ſi pro veritate continuò obtruderet quamdam apparentiam, quâ impoſſibile videtur, juſtitiam ſuſtinere increpationum, Dominium defendere libertatis, & cauſalitatem à Deo removere peccati, ſi inſuperabiliter & indeclinabiliter gratia ſibi ſubjiciat voluntatem. Verum tantò glorioſiùs triumphat GRATIA VICTRIX ET PRÆDETERMINANS, quantò clariùs conſpicit ſcientiam Mediam adverſum ſe extollentem non ſolùm in eaſdem, ſed & in majores incidiſſe difficultates, & *ex parte gratiæ*, & *ex parte libertatis*, & *ex parte actus peccati*. Quod demonſtrare non incongruè nitimur, antequam ſcientiæ Mediæ capite ſequenti pigmenta diluamus.

§. I. *Eaſdem ex parte gratiæ patitur difficutates ſcientia Media, ac ſententia* S. AUGUSTINI.

GRatia, quam defendit S. AUGUSTINUS, eſt gratia, quæ ſecundùm æternum Dei propoſitum uni datur, alteri denegatur. Videtur difficile cum tali gratiâ juſtitiam ſalvare increpationum, & excuſationes legitimas non admittere peccatorum. Iſtam difficultatem poponit P. Annatus de ſcientiâ Mediâ diſp. I. cap. 4. §. III. ubi iſta Chriſti verba; *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida; quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis; olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.*

„ Dicit eſſe, exprobrationem quamdam præſentis Judæorum obſtinatio- „ nis, collatæ cum futurâ Tyriorum & Sidoniorum obedientiâ. Perſpicuum enim eſt, inſulſas eſſe ac rationis expertes increpationes ejuſmodi, niſi SUPPONATUR PAR FACULTAS IN JIS, QUORUM DISPARES SUNT EFFECTUS.........

„ Quis autem non intelligit juſtiſſimam fore Judæorum excuſationem, ſi „ reſpondeant, ſe quoque fuiſſe ad pœnitentiam adducendos ſi ea fuiſſet ſi- „ mili decreto prædefinita? Iniquum autem eſſe ac prorsùs alienum, non „ ſolùm à divinitate; ſed & ab ipsâ humanitate, ipſis vitio verti, quod „ idem non præſtiterint, quod ij, qui præ ipſis omnipotenti decreto adjuti „ ſunt.

Hæc P. Annatus, qui in eamdem prorsùs cum cæteris Moliniſtis incidit difficultatem. Quod hâc ratione efficaciter oſtendo. *Inepta eſt objurgatio Judæorum præ Tyrijs, ſi Deus aliâ ratione cum illis egerit, aliâ cum iſtis fuerit facturus*: verba ſunt P. Annati diſput. cit. num. 66. Sed juxtâ principia ſcientiæ Mediæ Deus aliâ ratione cum Judæis egit, aliâ cum Tyrijs fuit facturus: ergò juxtà principia ſcientiæ Mediæ inepta eſt objurgatio Judæorum præ Tyrijs.

Digitized by Google

Syllogimus clarus eſt, in quo majorem dante Annato, Sola minor remanet probanda. Ad cujus probationem noſſe opportet principia ſcientiæ Mediæ. Inter alia, quæ docet, hoc ad intentum noſtrum maximè docet, quod Deus independenter à voluntate humanâ ponat unum in illis circumſtantiis, in quibus prævidetur crediturus, alium verò ponat in illis circumſtantiis, in quibus prævidetur non crediturus. De hac Dei diſpoſitione dicit P. Annatus, num. 64. adoranda divinæ ſapientiæ conſilia, & *ô Altitudo divitiarum*: & *tu quis es, qui reſpondeas Deo*: & *An non licet mihi quod volo facere?*

Quo principio poſito, ſic probatur minor: Deus factis miraculis apud Judæos non poſuit eos in illis circumſtantiis, in quibus prævisi ſunt credituri; & factis iiſdem miraculis apud Tyrios fuiſſet eos poſiturus in illis circumſtantiis, in quibus prævisi ſunt credituri; ergò juxtà principia ſcientiæ Mediæ Deus aliâ ratione cum Judæis egit, aliâ cum Tyriis fuit facturus. Conſequentia clara eſt, nec minùs verum antecedens. Certum enim eſt, quod factis miraculis Tyrii credidiſſent, hoc expreſsè dicit Chriſtus. Nullus credit juxtà principia ſcientiæ Mediæ niſi ponatur in illis circumſtantiis, in quibus prævidetur crediturus; ergò ſi factis miraculis Tyrii credidiſſent, etiam factis miraculis fuiſſent poſiti in dictis circumſtantiis, in quibus tamen non fuêre poſiti Judæi videntes eadem miracula.

Confirmatur. Non ſtat juſtitia increpationis Iudæorum præ Tyriis, ſi Deus non æqualiter ſe habeat ad Iudæos & Tyrios; quia Deo inæqualiter ſe habente non habetur *par facultas in iis, quorum diſpares ſunt effectus*, ut vult Annatus, ſed juxtà principia ſcientiæ Mediæ Deus non æqualiter ſe habuit ad Judæos & Tyrios: ergò, &c. Minor patet ex verbis Chriſti, juxtà quæ conſtat, hanc propoſitionem eſſe veram: *Tyrii credidiſſent, ſi vidiſſent miracula, quæ videntes Iudæi non tamen crediderunt*, ergò juxtà principia ſcientiæ Mediæ nuper explicata, hæc præpoſitio erit etiam vera: *Tirij fuiſſent poſiti in circumſtantiis, in quibus prævisi ſunt credituri, ſi vidiſſent miracula, quæ videntes Iudæi, non tamen fuerunt poſiti in circumſtantiis, in quibus prævisi ſunt credituri.*

Circumſtantias, in quibus prævidetur conſenſus futurus, vocemus *circumſtantias congruas*, claritatis gratiâ. Modò ſic arguo ad probationem minoris: Poni in circumſtantiis congruis totaliter dependet à voluntate divinâ, & in nullo à voluntate humanâ. Si Deus faciens miracula apud Judæos non poſuit eos in circumſtantiis congruis; quæ tamen miracula, ſi feciſſet apud Tyrios, poſuiſſet eos in circumſtantiis congruis; manifeſtè ſequitur Deum non æqualiter ſe habuiſſe ad Judæos, & Tyrios.

Quod clariùs elucet, ſi conſideretur Iudæos, & Tyrios in hoc fuiſſe æquales; quod miracula facta apud utroſque poterant conjungi, cum circumſtantiis congruis, & poterant non conjungi. Undè quæſo ſequuta eſt iſta inæqualitas,

Digitized by Google

inæqualitas, quod apud Judæos facta ſint miracula ſine conjunctione cum circumſtantiis congruis; quæ ſi apud Tyrios fuiſſent facta, fuiſſent ipſa conjuncta cum circumſtantijs congruis. Vnde, inquam, iſta inęqualitas, niſi ex mero Dei beneplacito, cui ſoli ſubjacet connexio miraculorum cum circumſtantijs congruis? Manifeſtiſſimum igitur eſt, Deum non ęqualiter ſe habuiſſe ad Judæos & Tyrios, juxta principia Scientię Mediæ; ac proindè opportet ut eamdem ſubeat difficultatem; quod ſequens ſchema ad oculum demonſtrat.

S. AUGUSTINUS.	P. MOLINA.
Si Tiry videant miracula, dabitur eis gratia faciens eos credere, quæ non datur Judæis videntibus miraeula.	Si Tiry videant miracula ponentur in circumſtantiis congruis, inquibus non ponuntur Judæi videntes miracula.
P. ANNATUS OBJICIT.	**T. CORDATUS OBJICIT.**
Quis autem non intelligit juſtiſſimam fore Iudęorum excuſationem, ſi reſpondeant ſe quoque fuiſſe credituros, ſi Data fuiſſet eis gratia faciens credere.	Quis autem non intelligit juſtiſſimam fore Judæorum excuſationem, ſi reſpondeant ſe quoque fuiſſe credituros; ſi poſiti fuiſſent in circumſtantiis congruis.
INSTAT.	**INSTAT.**
Iniquum eſt ac prorsùs alienum non ſolùm à divinitate ſed & ab ipsâ humanitate, ipſis vitio verti, quod idem non pręſtiterint, quod ij qui præ ipſis omnipotenti gratiâ adjuti fuiſſent.	Iniquum eſt ac prosùs alienum non ſolùm à divinitate, ſed & ab ipsâ humanitate ipſis vitio verti, quod idem non præſtiterint, quod ij qui præ ipſis in circumſtantiis congruis poſiti fuiſſent.

Quidquid Cordato Theologo reſponſuri ſunt P. Annati diſcipuli, hoc idem P. Annato nos reſponſuri ſumus utriuſque Solis diſcipuli. Eâdem ergò ac nos urgentur difficultate ex parte gratiæ, imò & majori ut ſequens §. manifeſtabit.

§. II. *Majorem ex parte gratiæ patitur Scientia Media Difficultatem.*

SI gratia Chriſti, quam in S. AUGUSTINO defendit Eccleſia, admittatur, majori ſinè dubio premitur Scientia Media difficultate. Non enim poſſunt ejus defenſores ab illo S. AUGUSTINI teſtimonio ſe expedire, quo cap. 14. de bono perſev. De Tyriis & Sidoniis ait: *Non erant ergò ſic excæcati oculi, nec ſic induratum cor Tyriorum, & Sidoniorum, quoniam credidiſſent, ſi qualia*

Digitized by Google

viderunt iſti, ſigna vidiſſent; ſed nec illis profuit quod poterant credere, quia prædeſtinati non erant ab eo cujus inſcrutabilia ſunt judicia, & inveſtigabiles viæ; nec iſtis obfuiſſet, quod non poterant credere, ſi ita prædeſtinati eſſent, ut eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre.

Deindè oſtendit, quod quamvis iſta verba Chriſti aliter poſſent intelligi; ſemper tamen eſt certum, nullum credere, niſi cui fuerit datum; & nulli dari ut credat, niſi priùs fuerit electus & prædeſtinatus: ſic enim proſequitur: *verùm quod dixit Dominus* de *Tyris* & *Sidoniis aliquo alio modo poteſt fortaſſis intelligi:* NEMINEM *tamen* VENIRE AD CHRISTUM, NISI CUI FUERIT DATUM, *&* EIS DARI, QUI IN ILLO ELECTI SUNT *ante conſtitutionem mundi, procul dubio confitetur, à quo non ſurdis auribus cordis eloquium divinum auribus carnis auditur:*

Ne quis verò obmurmuret; ſi datur nobis quod credamus, & in fide perſeveremus, nihil erit nobis agendum, ſed totum à Deo expectandum. ſtatim ſubjungit: *Et tamen hæc prædeſtinatio, quæ ſatis apertè etiam verbis Evangelicis explicatur, non prohibuit Dominum, & propter incipiendum dicere, quod paulò antè commemoravi: creditis in Deum, & in me credite: & propter perſeverandum, opportet ſemper orare, & non deficere.* AUDIUNT *enim hæc &* FACIUNT QUIBUS DATUM EST, NON AUTEM FACIUNT, SIVE AUDIANT, SIVE NON AUDIANT QUIBUS NON EST DATUM.

Sugillat P. Annatus argumentum ex hoc profundiſſimo Eccleſiæ Solis teſtimonio deductum; ſed profunditatem illius non penetravit. Nam ſincero veritatis amore intellectum, omnibus Moliniſtis ſufficeret, ut à deformitate Scientiæ Mediæ, continuò fugerent. Domine aperi oculos eorum ut intelligant & ampliùs non litigent. Certiſſimum eſt ex illo teſtimonio, dari aliquid *credentibus*, quo credant, quod non datur *non credentibus.* Ex quo meridianâ luce clariùs elucet, in nullo ſtatu poſſe concipi diſcretionem *credentis à non credente*, niſi priùs concipiatur diſcretio in aliquo dato. Nam ſi abſolutè verum eſt dicere, *Petrus credet*, & *Paulus non credet*, eſt quoque abſolutè verum, *Petro dabitur aliquid quo credat*, & *Paulo non dabitur.* Si etiam conditionatè verum ſit dicere, *Si Petrus videret miracula, crederet*, & *ſi Paulus eadem videret, non crederet*; erit quoque conditionatè verùm: *ſi Petrus videret miracula daretur ei aliquid quo crederet*, & *ſi Paulus eadem videret, non daretur ei aliquid, quo crederet.*

In hâc fulgentiſſimâ luce caligant Adverſariorum oculi, nec poſſunt ſe ab eâ abſcondere. Cum enim ad juſtam increpationem, & inanem excuſationem requirant parem *in datis* facultatem; *Perſpicuum eſt*, ait P. Annatus, *inſulſas eſſe ac rationis expertes increpationes ejuſmodi, niſi ſupponatur par facultas in iis, quorum diſpares ſunt effectus*: quâ ratione S. AUGUSTINUM ſibi conciliabunt, qui vult diſparitatem effectuum, videlicet, credentis à non credente, oriri

Digitized by Google

ex diſpari *in datis* facultate? nec iſtam *in datis* diſparitatem impedire increpationis juſtitiam, aut tollere excuſationis vanitatem? Majori ſine dubio & inſuperabili ex parte gratiæ urgentur difficultate. Si patimur difficultatem, cum S. AUGUSTINO patimur eam; illi verò eamdem patiuntur difficultatem, & inſuper AUGUSTINUM ſibi conſtituunt inimicum.

Ne ſuperſit dubitationi locus, colligamus ex loco citato interpretationem S. AUGUSTINI ad illa verba quæ de Tyris & Sidoniis protulit Chriſtus, & eam, quam affert P. Annatus diſp. 1. cap. 4 n. 56.

S. AUGUSTINUS.	P. ANNATUS.
Væ tibi Corozaim, quia juſto Dei te reprobantis judicio non eſt tibi datum aliquid; quo crederes viſis miraculis; quod Tyriis atque Sidoniis fuiſſet datum, ſi ex miſericordiâ Dei eos prædeſtinantis eadem vidiſſent miracula.	Væ tibi Corozaim, quia tu voluntariâ obſtinatione inefficacia reddis atque incongrua media illa, quæ ſi Tyriis atque Sidoniis fuiſſent conceſſa, futurum erat, ut ea illi pro ſuâ libertate congrua & efficacia redderent.

Quam longè ab Annato diſtat S. AUGUSTINUS. Ille in voluntatem refundit diſcretionem, iſte in prędeſtinationem; apertiſſima eſt S. AUG. ſententia, non fuiſſe *datum* Judæis, *quo crederent* viſis miraculis, quia non ex eorum prædeſtinatione facta ſunt eis miracula; E contrà *datum* fuiſſet Tiriis atque Sidoniis *quo crederent* viſis miraculis, quia ex eorum prædeſtinatione fuiſſent eis facta miracula; verùm quia & ipſi fuêre etiam, juſto Dei judicio reprobati, ideò non ſolùm *quò crederent*, ſed etiam *undè crederent* fuit eis denegatum.

Durus eſt hic ſermo Moliniſtis, nec poſſunt eum audire, quia non concipiunt, quâ ratione ſit juſta increpatio & inanis excuſatio, ſi prior ſit in datis, quàm in effectibus diſparitas. Nobis autem utriuſque Solis diſcipulis non eſt durus hic ſermo, & libenter eum audimus, quia captivantes intellectum inſcrutabilibus Dei judiciis, diſtinguimus primam cauſam à ſecundâ, quæ ſuæ libertati relicta infallibiliter deficit, & non niſi præveniente cauſæ primæ auxilio adjuta, in bonum tendit. Si cadimus, libertate noſtrâ cadimus; ſi ſtamus, Dei gratiâ ſtamus, ut de ſe ajebat Apoſtolus, *gratiâ Dei ſum id, quod ſum.*

Quarè juſtè increpatur, & in vanum excuſatur, qui potuit credere & debuit, & tamen non credidit. E contrà mitiùs cum illo agi conveniens eſt, qui non credidit, quia non potuit; credidiſſet tamen, ſi potuiſſet. Primum fuit in Judæis, ſecundum in Tyriis atque Sidoniis, & ideò juſtè increpantur Judæi præ Tyriis atque Sidoniis, qui quoque nullatenus punientur

propter infidelitatem, eo quod undè ab eâ liberari poſſent non acceperunt.

Defectus voluntatis ſine defectu poteſtatis juſtam reddit increpationem, & vanam efficit excuſationem; at defectus voluntatis ex defectu poteſtatis legitimam reddit excuſationem, & injuſtam efficit increpationem. Nulli voluntati negatur poteſtas niſi ponenti obicem, ſemper autem ponet obicem voluntas, ſi ſibi relicta ab omnipotente Deo non præveniatur. Perditio noſtra ex nobis eſt, tantummodò in Deo auxilium noſtrum.

Certum eſt, eum, qui non credit, ſuâ libertate non credere; eum verò qui credit, Dei gratiâ credere, non quidem gratiâ excludente libertatem, ſed eam determinante. Credimus gratiâ, credimus & libertate, ſivè voluntate; ſed ſi credimus libertate determinante gratiam, habet liberum arbitrium undè glorietur; ſi credimus gratiâ determinante libertatem, nihil erit noſtrum undè gloriemur. Hæc eſt *gratia prædeſtinationis*, quam ut depoſitum cuſtodit S. Augustinus; illa eſt *gratia præſcientiæ*, quam ut novam adinvenit Molina; Quem ſequi debet Chriſtianus, judicet Cordatus. Vide cenſuram aſſertionis 4. ſupra art. 2. §. ult.

§. IIJ. *Ex parte libertatis eamdem, & majorem patitur difficultatem Scientia Media a P. Suarez explicata, quam pati videtur ſententia* S. Augustini.

Difficultas ex parte libertatis in ſententiâ S. Augustini oritur ex eo, quòd decretum antecedens omnem liberi arbitrij determinationem non ſit in poteſtate arbitrij; Contra rationem verò libertatis videtur, quod actus liber infallibiliter inferatur ex aliquo, quod non eſt in poteſtate arbitrij. Ita ut *omnis neceſſitas*, ait P. Annatus diſp. 1. citata num. 125: *quæ & inſuperabilis ſit & independens à voluntate, cenſeatur impedire illius libertatem.* Et §. antecedente multis contendit ad libertatem indiſpenſabiliter requiri, quod cum omni prærequiſito poſſit componi *non actio.*

Eamdem prorſus patitur Scientia Media difficultatem, Nam ſecundùm eam dantur etiam in Deo decreta efficacia, ſivè quod idem eſt prædiffinitiones abſolutæ; ita P. Annatus diſp. 3. cap. 2. n. 16. ubi ait: *ſecluſis prædiffinitionibus conditionatis, & admiſſis abſolutis, quas longe probabiliùs eſt, juxtà mentem* S. Augustini *admittendas eſſe, reſpectu bonorum actuum & ſupernaturalium, præſertim in Prædeſtinatis.* Item diſp. 7. cap. 4. n. 51. *Undè patet & non nullum fuiſſe uſum ſcientiæ conditionatæ apud* Augustinum *in tradendâ prædeſtinationis & gratiæ doctrinâ, & Suarianam in hoc apice Theologiam adeo illi eſſe conformem, ut* Augustiniana *dici poſſit.*

Ut Suariana Theologia videri poſſit Augustiniana, concipiamus, eſſe

Digitized by Google

quemdam Medicum, qui multiplicia ſe novit habere medicamenta cuicumque complexioni congrua, quibus infallibiliter ſanetur peſtis quantumcumque gravis fuerit, & in quocumque corpore extiterit. Nec refert utrum medicamenta ex nativâ ſuâ virtute habeant efficaciam, an ex induſtriâ aliquâ Medici, qui tempore opportuno novit ea applicare. Hoc, inquam, non refert, dummodò noverit Medicus eorum efficaciam, ſemper cum tali ſcientiâ ſine ullâ prævisione alicujus medicamenti particularis poterit efficaciter decernere ſanitatem Petri peſte laborantis; & ex illâ voluntate ſanandi Petrum à peſte poterit præparare medicamenta congrua.

Ita Deus Scientiâ Mediâ pręmunitus, quâ novit multiplices eſſe circumſtantias congruas ad quoſcumque actus voluntatis bonos & ſupernaturales in quibus poteſt ponere humanam voluntatem cujuſcumque ſit: Pręmunitus, inquam, tali ſcientiâ poterit independenter à particularibus circumſtantiis, & voluntate particulari Petri etiam ſub conditione prævisâ decernere ſanitatem illius à peccato, quo ſubjicitur; & ex voluntate ſanandi Petrum à peccato, pręparare illi circumſtantias congruas, & Petrum in illis ponere.

Doctrina hæc Suariana, videtur in hoc AUGUSTINIANA, quod ſaluet propoſitum Dei independenter à voluntate cujuſcumque particularis diſcernens bonos a malis. Non enim in intentione finis ſed in electione & præparatione mediorum ſtat differentia. Ad intentionem efficacem finis ſufficit, quod agens ſciat ſe habere media efficacia, nec eſt opus prænoſcere in particulari, undè habeant ſuam efficaciam. In hâc intentione convenire debent S. AUGUSTINUS, & P. Suarez, ut Doctrina Suariana, AUGUSTINIANA videri poſſit. In electione autem & præparatione mediorum poterit ſtare differentia; quia juxtà S. AUGUSTINUM præparat Deus media, quæ de ſe nullo habito reſpectu ad aliquas circumſtantias de nolentibus volentes faciunt. At juxtà P. Suarez præparat Deus media, quæ in circumſtantiis congruis volentes inveniunt, & ideò nullus fuit uſus Scientiæ Mediæ, apud S. AUGUSTINUM, ſed eâ uti debuit P. Suarez.

Quidquid ſit de hâc differentiâ, ſufficit ad noſtrum intentum Decretum illud antecedens, quo Deus ſciens multiplices eſſe circumſtantias congruas ad quoſcumque actus ſupernaturales, in quibus poteſt ponere voluntatem cujuſcumque hominis, decernit efficaciter ſanare Petrum à peccato, ſine prævisione alicujus conſenſus in particulari, & ex illâ voluntate poſtmodùm eligit iſtas circunſtantias congruas, & non illas, & conſequenter iſtum conſenſum Petri, & non illum.

Dico decretum iſtud (in quo ſolùm Doctrina P. Suarez AUGUSTINIANA videri poteſt) eamdem pati difficultatem ac Decretum S. AUGUSTINI prædeterminans; Nam iſtud Decretum antecedit omnem determinationem liberi

Digitized by Google

arbitrii in particulari conſideratam, & non eſt in poteſtate arbitrii, nec cum eo poteſt componi *non actio.* Quod clarius fiet ſi notetur, quod conſenſus voluntatis non neceſſitetur ad iſtas circumſtantias congruas, ſed ſunt plures aliæ circumſtantiæ congruæ, in quibus infallibiliter conſentiret voluntas. Vocemus circumſtantias congruas A. B. C. & Petrus conſentiat in circumſtantiis congruis A. eo quod iſtas elegerit Deus, non verò circumſtantias congruas B. & C.

Sic urgeo difficultatem. Decretum Suarianum eſt independens à conſenſu dato in circumſtantiis congruis A.; ſiquidem potuiſſet per alium conſenſum datum in circumſtantiis congruis B. aut C. æque benè & efficaciter executioni mandari. Datur ergò antecedens inferens actum liberum, quod à voluntate non poteſt tolli, & cum quo non poteſt componi *non actio.* Patet conſeq. Decretum Suarianum infert conſenſum voluntatis in circumſtantiis congruis A. & antecedit illum, nec poteſt tale decretum tolli à voluntate nec cum eò componi *non conſenſus:* ergò, &c.

Ex quo manifeſtum eſt, voluntatem conſentire in circumſtantiis congruis A. vi decreti, quod ipſam antecedit, quodque non eſt in illius poteſtate, nec cum quo poteſt componi *non conſenſus.* Eamdem igitur difficultatem patitur decretum Suarianum, ac decretum S. Augustini prædeterminans.

Imò majorem patitur, eo quòd non ſalvat diſcretionem in ipſis donis & datis, & gratiam ſemper faciat voluntatis pediſſequam, ac conſequenter multùm tribuat arbitrio, undè glorietur. Ad quæ eâdem veritate, & S. Augustini authoritate compellente debuiſſet P. Suarez moveri, ſicut motus fuit ad diſcretivum propoſitum S. Augustini ſuſtinendum.

§. IV. *Cæteri Moliniſtæ in eamdem libertatis difficultatem profundiùs immerguntur.*

Juniores Moliniſtæ, videntes in Scyllam incidiſſe P. Suarem cupientem evitare Charybdim, refugiunt decreta efficacia & prædiffinitiones Suarianas. Nec ideò ab eâdem difficultate ſe ſubtrahunt, ſed lapſu graviore ruunt. Quod eamdem & ipſi patiantur difficultatem, oſtenditur ex eo, quòd admittant voluntatem poni in circumſtantiis congruis independenter ab omni liberi arbitrij determinatione. Dico enim, quod *poſitio in circumſtantiis congruis* ſe habeat ad voluntatem ſicut Gratia prædeterminans; ſiquidem ad illam poſitionem ſequitur infallibiliter conſenſus voluntatis, antecedit illum, & non eſt in poteſtate voluntatis, nec cum illâ poteſt componi non actio. Et conſequenter etiam apud Juniores Moliniſtas datur aliquod antecedens inferens actum liberum, quod non poteſt tolli à voluntate, &

Digitized by Google

cum quo non poteſt componi *non actio*.

Verùm nobis ſtatim obtrudent iſti Juniores, magnam eſſe diſparitatem inter *poſitionem in circumſtantiis congruis*, & GRATIAM PRÆDETERMINANTEM, quia *poſitio* ſupponit *libertatem præſcitam*, non autem GRATIA PRÆDETERMINANS, & ideò neceſſitas, quæ eſt ex *poſitione in circumſtantiis congruis* eſt ſolùm neceſſitas ſuppoſitionis & conſequens, ut potè ortum habens à libertate. Neceſſitas verò GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS, cum nullo modo ſupponat libertatem, ſed ſemper eam antecedat, eſt neceſſitas abſoluta & antecedens.

Scio magnam eſſe diſparitatem inter GRATIAM PRÆDETERMINANTEM, & *poſitionem in circumſtantiis congruis*; differunt enim ſicut verum & falſum, & ſicut ſententia S. AUGUSTINI differt ab opinione ſuorum impugnatorum: Nullam tamen agnoſco diſparitatem in ordine ad ſalvandum libertatem, Nec ullus Cordatus talem diſparitatem agnoſcet, ſi conſideret GRATIAM PRÆDETERMINANTEM non minùs ſupponere *libertatem prævolitam*, quàm *poſitio in circumſtantiis congruis* ſupponat *libertatem præſcitam*. Sicut in *poſitione* relucet divinæ ſcientiæ univerſalitas: ita in GRATIÂ PRÆDETERMINANTE refulget divinæ voluntatis efficacia.

Quid minùs habet *libertas prævolita*, quàm *libertas præſcita*? Antecedens inferens infallibiliter actum liberum, quod non eſt in poteſtate voluntatis, nec cum eo componi poteſt *non actio*, non præjudicat juxtà Adverſarios libertati, quia ſupponit *illam præſcitam*; Cur ergò ſimile antecedens juxtà ſententiam S. AUGUSTINI præjudicaret libertati, ſi ſupponat eam *prævolitam*? An non in bonis æquè latè patet voluntas Dei, ac ejus ſcientia? Libertas in bonis magnum quoddam bonum eſt, ergò eſt ſimul *præſcita & prævolita*. Si quodcumque antecedens, dummodò fundetur in *libertate præſcitâ*, non tollat libertatem; longè minùs antecedens illud tollet libertatem, quòd fundatur in libertate ſimul *prævolitâ* & *præſcitâ*.

Ecce idipſum, quod Adverſarii dicunt ad ſtabiliendam libertatem, & nos jucunctanter dicimus, nempè, gratiam inferre actum liberum ex ſuppoſitione *libertatis præſcitæ*. Ibi ſiſtunt Adverſarij, ut primas partes dent arbitrio, & in ſeipſis glorientur. Nos, qui non niſi in Domino gloriari deſideramus, ulteriùs pergimus, & agnoſcimus, libertatem in bonis non ſolùm eſſe *præſcitam*, ſed etiam *prævolitam*, & ideò *præſcitam*, quia *prævolitam*. Fortiùs igitur ſalvat libertatem GRATIA PRÆDETERMINANS, quam poſitio in circumſtantiis congruis; quia hæc ſolùm eam ſalvat ex *libertate præſcitâ*; GRATIA verò PRÆDETERMINANS ſalvat eam ex *libertate prævolitâ & præſcitâ*.

Libertas ſolùm *præſcita* non ſubditur divinæ voluntati, omne enim, quod à divinâ voluntate cauſatur non ſolùm eſt *præſcitum*, ſed etiam *prædeſtinatum*, ita S. AUG. de prædeſt. SS. cap. 10. *Prædeſtinatio eſt, quæ ſine præſcientiâ eſſe non*

Digitized by Google

poteſt; poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia. Prædeſtinatione quippè Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus: undè dictum eſt, fecit, quæ futura ſunt; præſcire autem poteſt etiam, quæ ipſe non facit, ſicut quæcumque peccata. Quare ſi connexio conſenſus boni cum iſtis circumſtantiis ſit ſub aliquâ ratione *præſcita*, & non *prædeſtinata*, ſivè *prævolita*; opportet ut iſta connexio ſub aliquâ ratione nullam involuente malitiam non fiat à Deo. Et hoc eſt, in quo majorem patiuntur Adverſarii difficultatem à quâ ſe expedire non poſſunt, nam eo ipſo, quòd concedant in actione bonâ aliquam rationem eſſe *præſcitam*, & non *prædeſtinatam*, debent neceſſariò concedere, in actione bonâ eſſe aliquam rationem, quam non facit Deus.

Graviore etiam lapſu ruunt ac P. Suarez; eo quod à decreto diſcretivo totaliter recedunt, à quo qui magis recedit, magis in materiâ gratiæ & prædeſtinationis labitur, ut ex dictis conſtat.

Si dixeris, implicare *libertatem* eſſe *prævolitam*, oſtende implicantiam. Nam ſi libertas ex eo quòd ſit quoddam verum ſit *præſcita*; cur etiam ex eo quòd ſit quoddam bonum non poterit eſſe *prævolita*? Si ſcientia extendens ſe tam ad ſubſtantiam actus, quàm ad ejus modum, faciat *libertatem* eſſe *præſcitam*, cur & voluntas extendens ſe tam ad ſubſtantiam actus, quàm ad ejus modum, non faciet *libertatem* eſſe *prævolitam*? Dicant, quæſo, Adverſarij, an non velint, *libertatem* eſſe à Deo *cauſatam*? Si *libertas* ſit à Deo *cauſata*; ergo & a Deo *prævolita*; cum enim Deus agit per intellectum & voluntatem, nihil eſt à Deo *cauſatum*, quin ſimul ſit *præſcitum*, & *prævolitum*. Non igitur majorem dicit implicantiam *libertas prævolita*, quàm *libertas cauſata*, ſivè ut ex Aug. vidimus, libertas prædeſtinata.

Aperiant tandem oculos Moliniſtæ, & videant luce meridianâ clarius eſſe, GRATIAM PRÆDETERMINANTEM minùs lædere libertatem, quàm *gratiam* congruam. Non enim ſecundùm apparentiam eſt de rebus judicandum. Primo aſpectu videtur non intelligentibus GRATIA PRÆDETERMINANS non ita favere libertati, ſicut *gratia congrua*: ſed re benè perſpectâ magis eam ſalvat, quia ſubdit illam ſuo adæquato principio, voluntati, nempè, divinæ, & ſcientiæ; cum *gratia congrua* ſoli ſcientiæ eam ſubdat, & ſubtrahat voluntati. Non ita mihi lucet Sol in meridie, ſicut veritas hæc affulget intellectui meo. Soli Deo honor, & gloria in ſæcula ſæculorum.

§. V. *Eaſdem ex parte* actus *peccati patitur Difficultates Scientia Media, quas pati videtur ſententia* S. Augustini.

TOta difficultas, quæ ex ſententiâ utriuſque Solis art. 3. §. 4. hujus capitis relatâ oritur circa *actum* peccati, in hoc conſiſtit, quòd *actui* peccati inſeparabiliter conjungitur *malitia*, quam certiſſimè credendum eſt non poſſe à Deo

à Deo cauſari: Nam difficile videtur quod ex iis, quæ inſeparabiliter connexa ſunt, unum poſſit attingi, & non aliud. Et quod magis auget difficultatem eſt, quòd *malitia* videatur ſequi ad *actum* peccati ſicut relatio ad ſuum fundamentum. Cum ergò, qui eſt cauſa fundamenti, non poſſit non eſſe cauſa relationis, ita qui verè eſt cauſa *actus* peccati, non poteſt non eſſe cauſa malitiæ.

Non intendimus hîc decidere iſtam difficultatem; hoc abundè facimus cap. ſeq. art. 3. ubi omnes cavillos P. Annati efficaciter rejicimus, ita ut diſtinctioni ibi datæ nulla poſſit ſolida fieri inſtantia. Solùm hîc volumus declarare eâdem difficultate, & majori premi Scientiæ Mediæ defenſores cum ſuo concurſu pediſſequo, ac utriuſque Solis diſcipuli cum concurſu prævio.

Negare *actionem* peccati cauſari à Deo, eſt duplici errori propinquiſſimum, ut infrà n. 197. ex D. THOMÂ refertur. Tenentur ergò Moliniſtæ admittere *actionem* peccati eſſe à Deo per ſuum concurſum ſimultaneum, id eſt, Deum effectivè concurrere ad actionem peccati, non concurrendo effectivè ad malitiam. Ex quo clariſſimum eſt, eos urgeri difficultate prædictâ. Nam difficile videtur, quòd ex iis quæ à parte rei inſeparabiliter connexa ſunt, Deus concurrat effectivè ad unum, & non ad aliud. Et ſi *malitia* ſequatur ad *actionem* peccati ſicut relatio ad fundamentum, non poterit Deus concurrendo effectivè ad *actum* peccati, non concurrere effectivè ad malitiam, ſicut non poteſt Deus concurrendo effectivè ad fundamentum, non concurrere effectivè ad relationem.

Efficacia paritatis conſiſtit in hoc, quòd Deus ſit cauſa phyſica *actionis* peccati, & non ſit cauſa phyſica *malitiæ*. Ex ipsâ cauſalitate phyſicâ tota oritur difficultas. Quâ ratione, ſcilicet, cauſalitas phyſica (quæcumque illa fuerit, dummodò vera ſit cauſalitas phyſica) poſſit præſcindere unam rationem ab aliâ, cui realiter identificatur? Eo modo quo ab hac difficultate ſe expedierint Adverſarii, eo nos etiam emergemus.

Si dixerint, duas eſſe in actu peccati rationes, unam, ad quam ſequitur *malitia*, & eſt extra ſphæram divini concurſus, aliam, ad quam nulla ſequitur *malitia*, quæ à concurſu divino attingitur: ſimiliter & nos diſtinguemus. Nam ſi ex duabus rationibus realiter identificatis una poſſit attingi cauſalitate phyſicâ à concurſu Dei ſine aliâ, quia eſt extra ſphæram divinæ cauſalitatis; cur etiam ad unam non poterit Deus determinare non determinando ad aliam, ſi fuerit extra ſphæram divinæ determinationis; & cur etiam non prædeterminare, ſi etiam fuerit extra ſphæram Dei prædeterminantis?

Nec poſſunt paritatis difficultatem evadere adverſarii dicentes, concurſum divinum à voluntate malâ determinari, non autem determinare voluntatem malam; ſed è contrà in foveam cadunt profundiorem: quod evidenter

Digitized by Google

oſtendemus, poſtquam primò aperverimus adhuc eos non evadere difficultatem.

Deus à voluntate malâ determinatus adhuc eſt cauſa phyſica *actionis* peccati. *Hæreticum eſt dicere*, ait D. Thomas 2. ad Annib. diſt. 37. q. unica art. 1. *aliquod ens in quantùm ens non eſſe à Deo, nec ſolùm fidei contrarium eſt, ſed etiam rationi.* Debet ergò *actio* peccati in quantùm eſt ens à Deo phyſicè cauſari, ſed juxta Moliniſtas non poteſt aliquod liberè voluntarium à Deo phyſicè cauſari, niſi voluntate Deum determinante; ſola autem voluntas mala determinare Deum poteſt ad *actionem* peccati: ſtat ergò firmiter Deum à voluntate malâ determinatum, adhuc eſſe cauſam phyſicam *actionis* peccati. Et tamen non poteſt ſic à voluntate malà determinatus, eſſe cauſa phyſica *malitiæ.* Undè ſemper remanet difficultas, quomodò voluntas mala determinet Deum ad cauſandum phyſicè *actionem* peccati, & non determinet Deum ad cauſandum phyſicè *malitiam.* Quòd ſi voluntas creaturæ poſſit determinare ſuum Creatorem ad cauſandum phyſicè *actionem* peccati non determinando eum ad *malitiam*, cur Creator non poterit voluntatem ſuæ creaturę determinare ad *actionem* peccati non determinando eam ad malitiam?

§. VI. *Majores patitur difficultates ex parte* actus *peccati.*

Maniſeſtiſſimum eſt Adverſarios eâdem ſemper, quidquid dixerint, urgeri difficultate. Nunc oſtendamus eos majori laborare difficultate, & in profundiorem cecidiſſe foveam. Non poſſunt Adverſarii reddere rationem, cur Deus non ſit cauſa phyſica *malitiæ*, in *actu* peccati, ſicut eſt cauſa phyſica *bonitatis moralis* in *actu* virtutis, ergò majori laborant difficultate, & in profundiorem ceciderunt foveam.

Probatur conſequentia Primò quoad majorem difficultatem. In noſtrâ ſententiâ facilè diſcernitur, quâ ratione Deus ſit cauſa phyſica *bonitatis moralis* & non *malitiæ*; Deus enim non applicat ad agendum niſi virtutem ſibi ſubjectam: voluntas tam ut cauſa *actionis* virtutis, quàm ut cauſa *bonitatis*, eſt virtus Deo ſubjecta, & ideò ad utramque rationem à Deo applicatur: voluntas autem ut eſt cauſa *actionis* peccati eſt quidem virtus Deo ſubjecta, non tamen ut eſt cauſa *malitiæ*; ſic enim ſe liberè ſubtrahit à divinâ ſubjectione; quid ergò mirum ſi applicetur à Deo ad *actionem* peccati, & non ad illius *malitiam?* vidè infrà art. 3. jam citatum. Majori igitur laborant imò, & inſuperabili difficultate Adverſarii, ſi non valeant reddere rationem, cur Deus non ſit cauſa phyſica *malitiæ*, ſicut eſt cauſa phyſica *bonitatis.*

Secundò quoad graviorem lapſum probatur conſequentia. Qui enim non valet reddere rationem, cur Deus non ſit cauſa phyſita *malitiæ* ſicut eſt cauſa phyſita *bonitatis*, videat quomodò ſe expediat à canone 6. Tridentini ſeſſ. 6.

Digitized by Google

ſi quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed MALA OPERA ITA, UT BONA DEUM OPERARI, *non permiſſivè ſolùm, ſed etiam propriè & per ſe, adeo ut* SIT PROPRIUM EJUS OPUS NON MINÙS PRODITIO JUDÆ, QUAM VOCATIO PAULI, *Anathema ſit.* Hîc nihil cenſuro, ſed ſolùm expoſtulo, ut Cordatus judicet, qualiter ſtare poſſit veritas hujus canonis apud eum, qui aſſereret, Deum eſſe æqualiter cauſam phyſicam *malitiæ* in *actu* peccati, & *bonitatis* in *actu* virtutis. Vide §. ultimum art. 3. cap. ſeq. & confer ea, quæ nobis exprobrat P. Annatus cum hâc humili expoſtulatione.

Nunc probemus antecedens, nempè, non poſſe Adverſarios reddere rationem, cur Deus non ſit cauſa phyſica *malitiæ* in *actu* peccati ſicut eſt cauſa phyſica *bonitatis moralis* in *actu* virtutis. Signanter dico, *cauſa phyſica*, ut diſtinguam eam à cauſâ morali, quæ conſulendo, præcipiendo, intendendo cauſat: ſicut qui dormiendo occideret hominem, eſſet verè cauſa phyſica occiſionis, non tamen cauſa moralis; E contrà, qui imperat, conſulit, præcipit, intendit occiſionem hominis per alium phyſicè ponendam, eſt cauſa occiſionis moralis, & non phyſica: non enim immediatè concurrit, ſed mediante voluntate alterius. Deus autem etſi determinetur à voluntate, adhuc tamen immediatè efficit actionem voluntatis, non minùs ac ſervus, qui cum Domino trahit navim, licet id non faciat niſi à Domino determinatus, ipſe tamen immediatè trahit, & eſt cauſa phyſica tractionis navis. De hâc ergò cauſalitate phyſicâ præciſâ ab omni morali procedit antecedens, & dicit, non poſſe Adverſarios reddere rationem, cur Deus non ſit cauſa phyſica *malitiæ*, ſicut eſt cauſa phyſica *bonitatis*.

Hoc facilè probatur, quia de ſe clarum eſt. Concurſus quem Deus offert & exhibet voluntati, eſt indifferens ut determinetur à voluntate ad *actionem* peccati & ad *actionem* virtutis: Et eodem concurſu quantùm eſt ex parte Dei, quo Deus à voluntate determinatus concurrit phyſicè ad *actionem* virtutis, potuiſſet concurrere phyſicè ad *actionem* peccati, ſi voluntas voluiſſet. Similiter eodem prorsùs concurſu quantùm eſt ex parte Dei, quo Deus à voluntate determinatus concurrit phyſicè ad *actionem* peccati, potuiſſet concurrere phyſicè ad *actionem* virtutis, ſi voluntas voluiſſet. Quæ ergò poteſt ab Adverſariis reddi ratio, cur Deus phyſicè concurrens, non æqualiter phyſicè cauſet *malitiam* ac *bonitatem*. Non enim juxtà adverſarios aliter concurrit phyſicè ad *bonitatem* in *actu* virtutis, quàm exhibendo concurſum, quem voluntas determinat ad *actionem virtuoſam*: ſed etiam exhibet ſuum concurſum, quem voluntas determinat ad *actionem vitioſam*: ergò etiam concurret phyſicè ad *malitiam* in actu peccati.

Nec hoc ipſum diffiteri videtur P. Annatus dum diſp. 1. num. 80. ait: *Nec quidquam obſtat quòd Deus etiam producat determinationem Angeli ad actum malum. Hoc enim non ſufficit, ut cenſeatur Angelum determinare. Quia, ut dixi,*

Digitized by Google

producit illam tantùm ut cauſa ſine quâ non, nòn autem ut cauſa cur producatur: ſivè quia producit indifferenter, & ita ut ſit in poteſtate Angeli ſuſpendere, aut non ſuſpendere productionem illam, quibus verbis liquidò conſtat, Deum concurrere effectivè phyſicè ad malitiam ſicut concurrit effectivè phyſicè ad bonitatem: ſiquidem non aliter producit determinationem Angeli ad actum bonum, quàm *producendo illam indifferenter, & ita, ut ſit in poteſtate Angeli ſuſpendere, aut non ſuſpendere productionem.*

Nec obeſt quod P. Annatus addat: *ſitque Deus ex ſe propenſior in non productionem, quàm in productionem, quam etiam prohibet.* Major propenſio cauſæ in non productionem, dummodò actu influat in productionem, non tollit cauſalitatem phyſicam, & prohibitio ſolùm removere poteſt cauſalitatem moralem de quâ non diſceptamus. Solummodò in præſenti volumus, quòd Deus per ſuum concurſum indifferentem eſt cauſa phyſica *malitiæ*, & ſicut per concurſum ſimultaneum, dicunt Adverſarij, Deum eſſe cauſam phyſicam immediatam omnis actionis contrà Durandum.

Notare dignetur Cordatus Lector, P. Annatum negare Deum determinare Angelum ad actum malum, quia licet producat determinationem ad actum malum, ipſa tamen ſolùm producit indifferenter, & ità ut ſit in poteſtate Angeli ſuſpendere aut non ſuſpendere productionem illam. *Quod autem*, ait P. Annatus, *eâ ratione producit determinationem, non determinat propriè loquendo, dicique debet potiùs permittere determinationem quàm exequi.* Ita ſimiliter Deus non determinabit Angelum ad actum bonum, quia licet producat determinationem ad actum bonum, ipſam tamen ſolùm producit indifferenter, & ita, ut ſit in poteſtate Angeli ſuſpendere aut non ſuſpendere productionem illam. Quòd autem eâ ratione producit determinationem, non determinat propriè loquendo, ſed potiùs permittit, ut fatetur P. Annatus. Fateri ergò etiam debet, Deum non determinare liberum arbitrium ad actum bonum, ſed potiùs eum permittere. Quomodò ergò erit verum, quòd Deus faciat liberum arbitrium agere actum bonum, ſivè in præceptis Domini ambulare? Ideò non immeritò num. 5. dixi Adverſarios pati Spiritus contradictionem, dum ex unâ parte coguntur ex ſcripturis admittere Deum facere, quod benè agamus, & ex aliâ parte non aliter hoc explicant, quàm per concurſum ſimultaneum, & pedisſequum.

Redeamus ad cauſalitatem phyſicam malitiæ, quam Deo concedit P. Annatus, & tenentur concedere omnes Moliniſtæ, ſi velint conſequenter, & ſincerè loqui. Eam optimè hoc exemplo dilucidat prædictus Pater: *Sole atque homine in eamdem indiviſibiliter actionem concurrentibus, non poteſt non concedi Solem facere determinationem hominis ad producendum hominem: & tamen non dicitur Sol determinare hominem ad productionem hominis, ſed ab eo potiùs determinari,*

Digitized by Google

Sicut ergò Sol, licet ab homine determinatus, concurrit phyſicè ad productionem hominis; ita Deus, licet ab homine determinatus concurret phyſicè ad actionem malam, attingetque malitiam, ſicut Sol attingit hominis naturam.

Judicet modò CORDATUS THEOLOGUS, Quis ex duobus majores patiatur difficultates circa canonem iſtum Tridentini ſeſſ. 6. *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera ita ut bona, Deum operari non permiſſivè ſolùm, ſed etiam propriè & per ſe*, &c.

An ille, qui docet Deum prædeterminare phyſicè ad actum peccati, nullo tamen modo ad malitiam? An iſte, qui docere deducitur Deum concurrere phyſicè tam ad actum peccati, quàm ad ejus malitiam? Certum eſt iſtum canonem agere de cauſalitate phyſicâ, eſt enim formatus ad damnationem Calvini, qui nequaquam docebat Deum eſſe cauſam moralem malitiæ, ſed ſolùm effectivè Deum producere malitiam, ſicuti bonitatem, & tam proprium eſſe opus Dei malitiam, quàm ſit bonitas.

Judicet etiam CORDATUS quâ ratione Deus univerſa propter ſemetipſum operatus ſit, ſi ſit cauſa phyſica malitiæ. An malitiam propter ſemetipſum operatum fuiſſe dicendum eſt? Abſit. Quomodò ergò cauſa phyſica illius? Si quidem omne quod Deus phyſicè cauſat, propter ſemetipſum operatus eſt; omne enim agens phyſicum in quâcumque actione agit propter finem: Ad hoc judicium Moliniſtas appello, ut pœna Talionis eis inferatur. Interim deformitatem *ſcientiæ*, quam defendunt, nec non & *gratiæ verſatilis*, intueri dignentur in ſequenti ſpeculo.

SPECVLVM SCIENTIÆ MEDIÆ

In quo clarè conſpicitur, Scientiam Mediam eaſdem, & majores pati difficultates, quas pati videtur ſententia Augustini.

Non niſi duplex eſt modus conciliandi libertatem voluntatis creatæ cum divinis decretis. Unus, quo libertas decernitur ex omnipotentiâ ſine ullâ ſcientiâ priùs explorante. Alter, quo libertas dedecernitur ex præſcientiâ, quam opportet antecedere efficaciam divini decreti. Primus modus convenienter dicitur *præſcientia libertatis*, & hunc adinvenit P. Molina. Secundus, quem invictè defendit S. Augustinus, non incongruè nominatur *prædeſtinatio libertatis*. Utrumque in hoc ſpeculo proponimus, ut ſe proſpiciant Moliniſtæ, & Cordati mirentur, quàm in vanum laboraverint in ædificatione Scientiæ Mediæ, eo ipſo quòd Dominus in S. Augustino loquens non ædificavit eam.

LIBERTATIS

PRÆDETERMINATIO.	PRÆSCIENTIA.
DECRETVM EX Omnipotentiâ.	*DECRETVM EX Præſcientiâ.*

Eaſdem patiuntur difficultates.

Deus decernit Petrum crediturum, ſine læſione libertatis: quia *vult* quòd in iſtis circumſtantiis non ſolùm credat, ſed etiam liberè credat.	Deus decernit Petrum crediturum, ſine læſione libertatis: quia *ſcit* quòd in iſtis circumſtantiis non ſolùm credet, ſed etiam liberè credet.
Ideò in iſtis circumſtantiis li-	Ideò in iſtis circumſtantiis li-

Digitized by Google

berè credit, quia *prævolitum eſt*, quòd ſe determinaret ad credendum.

Neceſſe eſt, fieri quod eſt à Deo *prævolitum*: ſi ergo *prævolitum* eſt, quòd Petrus in iſtis circumſtantiis ſe determinet liberè ad credendm; Neceſſe erit, Petrum in iſtis circumſtantiis ſe determinare liberè ad credendum.

Neceſſitas dependens à libertate *prævolitâ* non eſt antecedens ſed conſequens: quia non minùs conjungitur libertati, quòd *infert* libertatem, quàm quod *ſupponit* libertatem.

Minores patitur diffic.

Decretum ex *omnipotentiâ* ſubdit totaliter Deo liberam voluntatis creatæ determinationem.

Defenditur à S. AUGUSTINO contra ſuos impugnatores.

Deprimit arbitrium, ut in Domino, non in ſeipſo glorietur.

berè credit, quia *præſcitum eſt*, quòd ſe determinaret ad credendum.

Neceſſe eſt, fieri quod eſt à Deo *præſcitum*: ſi ergò *præſcitum* eſt, quòd Petrus in iſtis circumſtantiis ſe determinet liberè ad credendum; Neceſſe erit, Petrum in iſtis circumſtantiis ſe determinare liberè ad credendum.

Neceſſitas dependens à libertate *præſcitâ* non eſt antecedens, ſed conſequens: quia non minùs conjungitur libertati, quod *ſupponit* libertatem, quàm quod *infert* libertatem.

Majores patitur diffic.

Decretum ex *præſcientiâ* non ſubdit totaliter Deo liberam voluntatis creatæ determinationem.

Defenditur ab Impugnatoribus contra S. AUGUSTINUM.

Elevat arbitrium, ut in ſeipſo, non in Domino glorietur.

GRATIA DETERMINANS. | GRATIA DETERMINATA.

Eaſdem patiuntur difficultates.

Datur uni gratia determinans arbitrium, quæ non datur alteri.

Cur uni detur gratia determi-

Dantur uni certæ circumſtantiæ, quæ non dantur alteri.

Cur uni dentur circumſtantiæ

nans arbitrium & non alteri; Reſpondet Apoſtolus, Tu *homo, quis es, qui reſpondeas Deo?*

Dicunt Judæi, quid præ Tyriis increpamur? Nam æquè benè ac Tyrii credidiſſemus, ſi voluiſſet Deus nobis dare gratiam determinantem, quam dediſſet Tyriis.

Væ tibi Corozain, quia voluntariâ tuâ obſtinatione poſt tot ſigna auxilium determinans arbitrium tibi paratum impedivisti, quod ſibi paratum Tyrii non impediviſſent gratiâ determinante eorum arbitrium, ſi tot ſigna eis facta fuiſſent.

Minores patitur diffic.

Gratia determinans arbitrium eſt prima radix diſcretionis bonorum à malis.

In gratiâ determinante, voluntas eſt *pediſſequa*, & gratia *Domina*. Hæc totum tribuit Deo, ut in nullo glorietur, cùm nihil ſit noſtrum.

congruæ, quæ non dantur alteri? Reſpondet Apoſtolus, Tu *homo, quis es, qui reſpondeas Deo?*

Dicunt Judæi quid præ Tyriis increpamur; Nam æquè benè ac Tyrii credidiſſemus, ſi voluiſſet Deus nos ponere in circumſtantiis illis, in quibus poſuiſſet Tyrios.

Væ tibi Corozain quia voluntariâ tuâ obſtinatione poſt tot ſigna auxilium ab arbitrio determinandum tibi paratum reddidiſti inefficax: quod ſibi paratum Tyrii reddidiſſent efficax arbitrio eorum determinante gratiam, ſi tot ſigna eis facta fuiſſent.

Majores patitur diffic.

Arbitrium determinans gratiam eſt prima radix diſcretionis bonorum à malis.

In gratiâ determinatâ voluntas eſt *Domina*, & gratia *pediſſequa*. Hæc partem ſibi vendicat, partem relinquit Deo, & primam ſibi dat.

LIBERTAS *prævolita.*

LIBERTAS *præſcita.*

Eaſdem patiuntur difficultates.

Quidquid fit ex ſuppoſitione libertatis non poteſt lædere libertatem; etiam ſi antecedat actum liberum.

Quidquid fit ex ſuppoſitione libertatis non poteſt lædere libertatem, etiam ſi antecedat actum liberum. Ergô

Ergò quod fit ex ſuppoſitione libertatis *prævolitæ*, non poteſt lædere libertatem, etiam ſi antecedat actum liberum.

Ratio conſequentiæ eſt, quòd *eſſe prævolitum* non eſt conditio deſtruens libertatem; alioqui non poſſet dici *libertas prævolita*, ſed deberet dici *neceſſitas prævolita*.

Minores patitur diffic.

Libertas *prævolita* facit ſecundum liberum in ſuâ liberâ determinatione dependere à primo libero. Similiter & ſecundum determinans à primo determinante.

Ideò gratia prædeterminans ſupponens libertatem *prævolitam*, eſt congrua libertati *ſecundi liberi*.

Ergò quod fit ex ſuppoſitione libertatis *præſcitæ*, non poteſt lędere libertatem, etiamſi antecedat actum liberum.

Ratio conſequentiæ eſt, quòd *eſſe præſcitum* non eſt conditio deſtruens libertatem; alioqui non poſſet dici *libertas præſcita*, ſed deberet dici *neceſſitas præſcita*.

Majores patitur diffic.

Libertas *præſcita* tollit dependentiam ſecundi liberi in ſuâ liberâ determinatione à primo libero. Similiter & ſecundi determinantis à primo determinante.

Ideò gratia congrua ſupponens libertatem *præſcitam*, eſt incongrua libertati *ſecundi liberi*.

CONCVRSVS prævius ad materiale peccati.

CONCVRSVS pediſſequus ad materiale peccati.

Eaſdem patiuntur difficultates.

Deus concurſu prævio determinat voluntatem ad actum odii hìc & nunc liberè ponendum.

Non tamen determinat ad *malitiam*, quia actus odii hìc & nunc liberè ponendus habet duas rationes, unam, *ad quam ſequitur malitia*, aliam, *ad quam non ſequi-*

Deus concurſu pediſſequo determinatur à voluntate ad actum odii hìc & nunc liberè ponendum.

Non tamen determinatur ad *malitiam*, quia actus odii hìc & nunc liberè ponendus habet duas rationes, unam, *ad quam ſequitur malitia*, aliam, *ad quam non ſequitur*

Digitized by Google

tur malitia. Deus autem *determinat* actum odii hìc & nunc liberè ponendum ſub illâ ratione, *ad quam non ſequitur malitia.*

Minores patitur diffic.

Concurſus prævius non poteſt eſſe cauſa phyſica *malitiæ*, quia voluntas *ut deficiens* non ſubditur illi. Eſt tamen cauſa phyſica *bonitatis*, quia voluntas *ut efficiens*, ſubditur illi.

Ideò perditio noſtra ex nobis, & auxilium noſtrum in ſolo Deo eſt, cui gloria & honor in ſæcula ſæculorum. Amen.

malitia. Deus autem *determinatur* ad actum odii hìc & nunc liberè ponendum ſub illâ ratione, *ad quam non ſequitur malitia.*

Majores patitur diffic.

Concurſus pediſſequus debet eſſe cauſa phyſica *malitiæ*, non minùs ac eſt cauſa phyſica bonitatis; quia quantùm eſt ex parte Dei æqualiter determinatur à voluntate, ad *malitiam* vel *bonitatem.*

Ideò perditio noſtra ex Deo, & auxilium noſtrum à propriâ voluntate eſt, cui vituperium & opprobrium in ſęcula, &c. Amen.

Digitized by Google

ARTICVLVS. V.

Et in naturâ ſanâ Scientia Media probatur SS. AVGVSTINO *&* THOMÆ *contraria.*

QUidam S. THOMAM à S. AUGUSTINO, diſcipulum fideliſſimum à ſuo magiſtro ſapientiſſimo ſeparantes ad Scientiam Mediam pro Angelis & ſtatu innocentiæ habuerunt recurſum. Et quod in homine lapſo tribuunt S. AUGUSTINI Impugnatoribus, hoc in Angelis & ſtatu innocentiæ S. Doctori concedunt. Etenim exiſtimant non aliter ſtare poſſe diſcrimen gratiæ ab eo conſtanter aſſignatum inter gratiam naturæ ſanæ, & gratiam naturæ infirmæ. Ego igitur qui ſincero cordis affectu utriuſque Solis diſcipulos deſidero in veritate gratiæ adunare, ut quantùm fieri poteſt pro omni ſtatu idem ſapiant; intendo in hoc articulo primùm oſtendere principiis communibus à S. AUGUSTINO ſtabilitis Scientiam Mediam repugnare: deindè conabor demonſtrare diſcrimen ſupradictum nullo Scientiæ Mediæ indigere præſidio; nec propterea ſeparandum eſſe ſolem à ſole dummodò Solis Angelici Doctrina ſufficienter explicetur. Idque præſtare contendo ex Doctrinâ cap. 11. de correp & gratiâ, cui totaliter innituntur Scientiæ Mediæ in naturâ ſanâ defenſores.

§. I. *Principiis communibus* S. AUGUSTINI *Scientia Media in naturâ ſanâ repugnat.*

ASſertionem iſtam optimè ſtabiliunt MM. P. Gonet & P. Baron de Doctrinâ Angelicâ benè meriti & ſuis libris nuper editis notiſſimi. Nec ſilentio præterire poſſum Eximium Dominum ac Magiſtrum noſtrum D. Eſtium Almæ hujus Univerſitatis lapidem fundamentalem & orbis univerſi ex Angelico Sole ſplendorem. Hic in 2. diſt. 25. §. 7. efficaciter demonſtrat neceſſitatem in naturâ ſanâ GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS, cui Scientia Media totaliter repugnat. Ne quod præclarè ab his Doctoribus actum eſt, iterum à nobis agatur, eorum rationes ſecundum præconceptam & intentatam à nobis concordiam ordinabimus, ad tria principia omnes illas revocantes, nempè; efficaciam divinæ Voluntatis, cauſalitatem divinæ Scientiæ, & defectibilitatem liberi arbitrii.

I. S. Augustini *Principium Scientiæ Mediæ repugnans.*

PRimum S. Augustini principium & quaſi omnium baſis, cui Scientia Media repugnat, eſt efficacia divinæ voluntatis à quâ omnia, ſolo peccato excepto, effectivè procedunt. Ita S. Doctor lib. 5. de civitate Dei cap. 9. *In ejus voluntate ſumma poteſtas eſt, qui creatorum ſpirituum voluntates bonas adjuvat, malas judicat, omnes ordinat.* Et paucis interjectis: *Omnia maximè Dei voluntati ſubdita ſunt; cui etiam voluntates omnes ſubjiciuntur, quia non habent poteſtatem niſi quam ille concedit.*

Et poſtmodùm concludit: *Quapropter & voluntates noſtræ tantùm valent* QUANTÙM DEUS VALERE VOLUIT ATQUE PRÆSCIVIT: *& ideò quidquid valent, certiſſimè valent, & quod facturæ ſunt, ipſæ omninò facturæ ſunt: quia valituras atque facturas ille præſcivit: cujus præſcientia falli non poteſt.* Notetur iſta cauſalis, omninò facturæ ſunt, quia facturas præſcivit.

Quapropter ſi mihi fati nomen alicui rei adhibendum placeret magis dicerem fatum eſſe infirmioris, potentioris voluntatem, qui eum habet in poteſtate, quam illo cauſarum ordine, quem non uſitato, ſed ſuo more Stoici fatum appellant, arbitrium noſtræ voluntatis auferri. His plura alia addi poſſent ejuſdem tenoris teſtimonia, quæ recentiores communiter recenſent, dum agunt de decretis Dei prædeterminativis.

Magiſtro ſuo ſapientiſſimo totaliter ſe conformat diſcipulus ejus fideliſſimus Doctor Eccleſiæ Communis; cujus inter multa alia, teſtimonium hoc ſelegimus, quo q. 23. de veritate a. 5. dicit: *Voluntas autem divina eſt agens fortiſſimum. Undè opportet ejus effectum omnibus modis ei aſſimilari, ut non ſolùm fiat id quod Deus vult fieri, quod eſt quaſi aſſimilari ſecundum ſpeciem ſed ut fiat eo modo, quo Deus vult illud fieri, ut neceſſariè vel contingenter, citò, vel tardè, quod eſt quaſi quædam aſſimilatio ſecundum accidentia, & hunc quidem modum rebus divina voluntas præfigit ex ordine ſuæ ſapientiæ.* Et ſtatim: *& ſic non dicimus, quod aliqui divinorum effectuum ſint contingentes ſolummodò propter contingentiam cauſarum ſecundarum, ſed magis propter diſpoſitionem divinæ voluntatis, quæ talem ordinem rebus providit.*

Certiſſimum eſt, ex jis quæ art. 1. & 2. diximus, Scientiam Mediam non habere locum, niſi ubi aliquid eſt à libero arbitrio, quod non ſit à divinâ voluntate. Certiſſimum quoque eſt ex citatis teſtimoniis, omnem naturæ ſanæ bonam actionem procedere à divinâ voluntate. Certiſſimè igitur concludi debet, Scientiam Mediam in naturâ ſanâ non habere locum.

Digitized by Google

II. S. Augustini *Principium Scientiæ Mediæ repugnans.*

Secundum S. Augustini principium, cui Scientia Media repugnat, eſt cauſalitas divinæ Scientiæ. De quâ lib. 15. de Trinit. cap. 13. hæc ait: *univerſas creaturas ſuas ſpirituales aut corporales, non quia ſunt ideò novit Deus: ſed ideò ſunt quia novit. Non enim neſcivit quæ fuerat creaturus: quia ergò ſcivit creavit non quia creavit ſcivit.* Capitale Scientiæ Mediæ principium eſt, res ideò eſſe futuras, quia novit illas Deus.

Eandem veritatem docet fulgentiſſimus Eccleſię Sol lib. 11. de civitate Dei cap. 10. ubi probat rationes omnium rerum quæ factæ ſunt eſſe in Deo, ſicut artificiata in artifice: *quoniam non Deus aliquid neſcius fecit, quod nec de quolibet homine artifice rectè dici poteſt. Porrò ſi ſciens fecit omnia ea utique fecit quæ noverat. Ex quo occurrit animo quid mirum, ſed tamen verum, quod iſte mundus nobis notus eſſe non poſſet, niſi eſſet: Deo autem* NISI NOTUS ESSET, ESSE NON POSSET.

Scientiam Dei habere ſe ad creaturas omnes, ſicut ſcientia artificis habet ſe ad artificata, docet etiam alter Eccleſiæ Sol D. Thomas 1. p. q. 14. a. 8. ubi in argumento ſed contra adducit teſtimonium citatum ex lib. 15. de Trinit. & in corpore art. ait: *Reſpondeo dicendum quod ſcientia Dei eſt cauſa rerum. Sic enim ſcientia Dei ſe habet ad omnes res creatas, ſicut ſcientia artificis ſe habet ad artificiata. Scientia autem artificis eſt cauſa artificiatorum, eò quòd artifex operatur per ſuum intellectum. Undè opportet, quòd forma intellectus ſit principium operationis, ſicut calor eſt principium calefactionis.*

Cùm determinatio liberi arbitrii in circumſtantiis quibuſcumque ſit ſemper res creata; opportet ut juxtà utrumque Eccleſiæ Solem Scientia Dei ſe habeat ad determinationem liberi arbitrii in circumſtantiis quibuſcumque, ſicut Scientia artificis ſe habet ad artificiata. Quo poſito nullus eſt Scientiæ Mediæ locus.

Nam Scientia artificis non habet ordinem ad determinatum effectum ſine determinatione voluntatis. Determinatio liberi arbitrii in iſtis circumſtantiis eſt determinatus effectus; ergo ad determinationem liberi arbitrii in iſtis circumſtantiis Scientia Dei nullum habet ordinem ſine determinatione voluntatis divinæ. Quis igitur Scientiæ Mediæ locus, cùm ipſa reſpiciat determinationem liberi arbitrii in quibuſdam circumſtantiis ſine determinatione voluntatis? vel determinatio liberi arbitrii in quibuſdam circumſtantiis non eſt determinatus Scientiæ Dei effectus, quod à nullo Cordato dici poteſt; vel Scientia Media non eſt Scientia Dei, quod ab omnibus Cordatis dicendum eſt.

Digitized by Google

Deſumitur hæc ſequela ex Angelico Sole qui loco citato ait: *Cum enim forma intelligibilis ad oppoſita ſe habeat (cum ſit eadem Scientia oppoſitorum) non produceret determinatum effectum, niſi determinaretur ad unum per appetitum, ut dicitur in 9. Metaph. Manifeſtum eſt autem quòd Deus per intellectum ſuum cauſat res: cùm ſuum eſſe ſit ſuum intelligere. Unde neceſſe eſt quòd ſua ſcientia ſit cauſa rerum ſecundum quod habet voluntatem conjunctam. Unde Scientia Dei ſecundum quod eſt cauſa rerum, conſuevit nominari ſcientia approbationis.*

Ulteriùs Scientia Media ſupponit ſuum objectum, &. eſt poſterior illo: non ergo ſe habet ſicut Scientia artificis ad artificiatum; & conſequenter utrique Soli manſit ignota. De hâc ſequelâ ſic Magiſter noſter ibid. ad 3. *Res naturales ſunt mediæ inter ſcientiam Dei, & ſcientiam noſtram. Nos enim ſcientiam accipimus à rebus naturalibus, quarum Deus per ſuam ſcientiam cauſa eſt. Undè ſicut ſcibilia naturalia ſunt priora quàm ſcientia noſtra, & menſura ejus: ita ſcientia Dei eſt prior quàm res naturales, & menſura ipſarum. Sicut aliquâ domus eſt media inter ſcientiam artificis, qui eam fecit; & ſcientiam illius, qui ejus cognitionem ex ipſâ jam factâ capit.*

Dices. Iſtam Doctrinam habere locum in objectis Scientiæ divinæ abſolutis, non in objectis conditionatis. Sed Contra. Iſta Doctrina habet locum, ubi aliquid extrahitur à purâ poſſibilitate: nihil enim extrahitur à poſſibilitate artificis ſine determinatione voluntatis: ſed in objectis conditionatis aliquid extrahitur à purâ poſſibilitate: ergò & in objectis conditionatis ſupradicta Doctrina habet locum.

Minor probatur in hoc conditionato, *ſi apud Tyrios ſigna facta fuiſſent, credidiſſent.* Cum apud Moliniſtas nullus credat niſi poſitus in circumſtantiis congruis, prædictum conditionatum æquivalet iſti, *ſi apud Tyrios ſigna facta fuiſſent, poſiti fuiſſent in circumſtantiis congruis*, quod eſt abſolutè dicere: *ſigna facta Tyriis fuiſſent conjuncta cum circumſtantiis congruis.* Indè ſic arguo: Miracula facta Tyriis poterant conjungi cum circumſtantiis congruis, & poterant conjungi cum circumſtantiis incongruis; ſed ab iſtâ poſſibilitate extrahuntur, dum dicitur, *Miracula facta Tyrijs fuiſſent conjuncta cum circumſtantijs congruis*: ergo cum iſtud dictum æquivaleat iſti conditionato, *ſi miracula apud Tyrios facta fuiſſent, credidiſſent*, manifeſtè ſequitur in objectis conditionatis aliquid extrahi à poſſibilitate.

Certè inconceptibile eſt, quod Deus præintelligens miracula poſſe conjungi cum circumſtantiis congruis, & poſſe conjungi cum circumſtantiis incongruis, tranſeat ad præintelligendum ſine ullâ determinatione voluntatis, quod in Tyriis conjungerentur cum circumſtantiis congruis, non verò conjungerentur cum circumſtantiis incongruis. Et ne obtrudatur voluntas futura, eadem eſt difficultas de voluntate; quia inconceptibile eſt, quod Deus præintelligens ſe poſſe velle conjunctionem miraculorum cum cir-

Digitized by Google

cumſtantiis congruis, &c. ſe poſſe velle conjunctionem miraculorum cum circumſtantiis incongruis tranſeat ad præintelligendum ſine præſenti aliquo propoſito, quod volet unam conjunctionem & non aliam. Non dicam, quod nihil ita utrique Soli adverſum, quàm decretis æternis tribuere aliquam rationem futuri.

Qua propter in hoc caligant Adverſarii, quod futurum conditionatum non diſtinguant à poſſibili conditionato. Prius eſt aliquid poſſibile, quàm futurum; & ideo ſi futurum ſit abſolutè, prius fuit poſſibile abſolutè; ſi futurum conditionatè, prius fuit poſſibile conditionatè. Similiter ſine voluntate artificis non tranſit artificiatum ad eſſe futurum; & ideo ſine voluntate artificis abſolutâ non tranſit ad eſſe futurum abſolutè, nec ſine voluntate artificis conditionatâ tranſit ad eſſe futurum conditionatè. Quod totum nervosè expreſſit S. AUGUSTINUS dicens: *& voluntates noſtræ tantum valent, quantum Deus valere* VOLUIT, *atque præſcivit*.

III. *S.* AUGUSTINI *principium Scientiæ Mediæ repugnans.*

TErtium S. AUGUSTINI principium Scientiæ Mediæ repugnans petitur ex defectibilitate liberi arbitrii. De quâ univerſaliter docet lib. de correp. & grat. cap. 11. *Liberum arbitrium ad malum ſufficit: ad bonum autem nihil eſt niſi adjuvetur ab omnipotente bono.* Ne quis putet ſufficere *adjutorium ſine quo*, attendat quid dixerit tract. de cantico novo cap. 8. *Quid enim valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipſo Adam demonſtratum eſt, ad malum ſufficit ſibi, ad bonum non niſi adjuvetur à Deo.*

Certum eſt non defuiſſe Adamo *adjutorium ſine quo*; ſiquidem de iſto adjutorio intelligitur quod ibid. ait S. Doctor, *ſi autem hoc adjutorium vel Angelo vel homini quum primùm facti ſunt, defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere ſi vellet, non utique ſuâ culpâ cecidiſſent. Adjutorium quippè defuiſſet, ſine quo manere non poſſent.*

Dum ergo ait S. AUGUSTINUS quòd arbitrium Adami *non adjutum* ad malum ſibi ſufficit, non poteſt intelligi meliùs, quàm ſi dixiſſet, in ipſo Adam demonſtratum eſt, quod liberum arbitrium etiamſi ſufficientiſſimam ex *adjutorio ſine quo* habeat poteſtatem, ſi tamen adhuc voluntati ſuæ relinquatur, ad malum ſufficit ſibi, ad bonum non niſi ulteriori *auxilio quo* adjuvetur ab omnipotente bono.

Undè in formâ ſic efficaciter argui poteſt: Auxilium quo Adam adjutus non fuit eſt *auxilium quo*: ſed ut Adam non caderet, indigebat aliquo auxilio quo adjutus non fuit: ergo ut Adam non caderet, indigebat *auxilio quo*.

Iſtam indigentiam *auxilii quo* in naturâ ſanâ efficaciter etiam probant illa

Digitized by Google

loca, in quibus S. Augustinus reputat abſurdiſſimum, melius eſſe id quod à nobis quàm quod à Deo eſt. Sic enim lib. 2. de peccat. meritis cap. 18. arguit: *Nam ſi nobis libera quædam facultas ex Deo eſt quæ adhuc poteſt eſſe bona vel mala: bona verò voluntas ex nobis eſt, melius eſt à nobis quam quod ab illo eſt. Quod ſi abſurdiſſimè dicitur, opportet fateantur etiam bonam voluntatem nos divinitùs adipiſci.*

Efficaciam hujus argumenti in iſtis S. Augustini verbis propoſiti ſic retorqueo in Adverſarios: Nam ſi Adamo quædam gratia à Deo eſt, quâ adhuc poteſt uti vel benè, vel malè; bonus vero uſus Adamo ſit, melius eſt ab Adamo, quam quod à Deo eſt. Quod ſi abſurdiſſimè dicitur, oportet fateantur Adverſarii Adamum etiam bonum gratiæ uſum Divinitùs adipiſci.

Fortaſſis Adverſarii extenſionem argumenti iſtius ad Adamum non ſunt recepturi quia S. Augustinus non extendit illud ad Adamum. Ne propterea à veritate recedant, ipſum audiant S. Augustinum urgentem idem argumentum in Angelis cum quibus par eſt Adamo conditio. Sic enim lib. 12. de civitate Dei cap. 9. arguit: *Si autem boni Angeli fuerunt prius ſine bonâ voluntate, eamque in ſeipſis Deo non operante fecerunt: ergo meliores à ſeipſis, quàm ab illo facti ſunt........ Aut ſi non potuerunt ſeipſos facere meliores, quàm eos ille fecerat, quo nemo melius quidquam facit: profectò & bonam voluntatem quâ meliores eſſent, niſi operante adjutorio Creatoris habere non poſſent.*

Mirari ſatis nequeo, eos qui in S. Augustino ſe putant oculatiſſimos, urgere hoc argumentum contra inimicos gratiæ, & tamen non videre, quod eâdem prorſus efficaciâ probet, perſeverantiam in Angelis haberi ex auxilio Dei. Perſeverantia in bono non fit ſine bonâ voluntate permanendi: & cum veritas dixerit, *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſaluus erit*; melior ſine dubio eſt, qui ex bonâ voluntate permanendi in bono perſeverat, quàm ſi ſolùm poſſit perſeverare, & non perſeveret.

Hoc ſuppoſito eâdem prorſùs efficaciâ probatur perſeverantiam in Angelis haberi ex auxilio Dei, quâ probat S. Augustinus bonam voluntatem eſſe ex auxilio Dei. Tota vis argumenti S. Augustini conſiſtit in hoc, quod Angeli *non potuerunt ſeipſos facere meliores, quàm eos ille fecerat, quo nemo melius quidquam facit.* Ex hoc antecedente concludit, *profectò & bonam voluntatem, quâ meliores eſſent, niſi operante adjutorio Creatoris habere non poſſent.* Quæ conſequentia non valet, niſi & iſta valeat, profectò & perſeverantiam, quâ meliores eſſent, niſi operante adjutorio Creatoris habere non poſſunt.

§. II. *Confir-*

§. II. *Confirmatur præcedens argumentum verbis* S. AUGUSTINI *ſubſequentibus, quæ nequeunt intelligi de adjutorio beatitudinis.*

VTramque conſequentiam paulò inferiùs apertiſſimè intulit fulgentiſſimus Eccleſiæ Sol, dum ait: *Iſti autem qui cùm boni creati eſſent, tamen mali ſunt malâ propriâ voluntate......... aut minorem acceperunt amoris divini gratiam, quam illi qui in eâdem perſtiterunt; aut ſi utrique boni æqualiter creati ſunt, iſtis malâ voluntate cadentibus, illi* AMPLIÙS ADJUTI, *ad eam beatitudinis plenitudinem, undè ſe nunquam caſuros certiſſimi fierent, pervenerunt.*

Nec audiendi ſunt qui ampliùs illud adjutorium dicunt eſſe adjutorium, non ad perſeverandum, ſed adjutorium beatitudinis. Nam *primò*, interpretationem iſtam facere ſenſum ineptum, docet Eximius Dominus ac Magiſter noſter Eſtius in 1. diſt. 41. §. 13. ubi ait: *ſi hoc adjutorium, quo beati Angeli dicuntur ampliùs adjuti, eſſet ipſa beatitudo, ſenſus redderetur ineptus: ſcilicet Angelis collatam eſſe beatitudinem, quâ ad beatitudinem pervenirent.*

Secundò. Verba iſta conſequuntur ad antecedentia, & vi horum inferuntur. In antecedentibus autem docuerat, Angelos non poſſe à ſeipſis meliores eſſe quàm facti ſunt à Deo. Et cùm certitudo beatitudinis faciat Angelos meliores, quæ ſine perſeverantiâ in bono non poteſt haberi, utrumque refundit in Deum, ſed duplici viâ; vel quià qui perſtiterunt majorem gratiam ab initio creationis habuerunt, quâ certi de ſuâ beatitudine, in bono perſeverarent; vel quia poſt inſtans creationis majorem illam gratiam acceperunt, quâ perſeverantes in bono certi redderentur de ſuâ beatitudine.

Ne ullus ſit de legitimâ hâc interpretatione dubitandi locus, appareatque Adverſarios nullatenùs mentem S. AUGUSTINI attigiſſe, ſciendum eſt, certitudinem non cadendi à beatitudine eſſe, ſecundum S. AUGUSTINUM, & veritatem, de perfectione beatitudinis; & ſecundum hanc certitudinem Angeli fuere diſcreti; illi enim qui perſtiterunt fuerunt certi de non amittendâ beatitudine; illi vero qui non perſtiterunt fuerunt incerti. Quænam eſſet cauſa iſtius diſcretionis, diu inquiſivit S. AUGUSTINUS formans ſibi hanc rationem dubitandi; vel enim ab initio creationis aliqui fuerunt certi & alii incerti, vel ab initio omnes incerti fuerunt & poſtea diſcreti ſunt. Si ab initio fuere diſcreti, quo merito factum eſt ut aliqui fuerint certi, aliqui incerti? Si verò ab initio omnes fuere æqualiter incerti, requirenda quoque eſt ratio cur poſteà aliqui certi fuerint, alii non?

Iſtam quæſtionem propoſuit primò S. AUGUSTINUS lib 11. de Geneſi ad litteram cap. 26. Deindè aliquot annis poſt illam iterùm propoſuit lib. 11. de civitate Dei cap. 13. Sed eam apertè reſoluit lib. 12. cap. 9. ubi expreſſè inquirit cauſam diſcretionis Angelorum. Et docet, quòd ſivè ab initio,

Digitized by Google

ſivè poſteà fuerint diſcreti, ſemper tamen diſcretionis inæqualitas ab inæqualitate gratiæ proceſſit: Nam ſi ab initio fuere diſcreti, hoc ideò fuit, quia aliqui, ut ait, *minorem acceperunt divini amoris gratiam*, alij majorem, propter quam & in bono perſtiterunt; Si autem ab initio æqualiter incerti, & poſteà in certitudine diſcreti ſunt, hoc etiam ideò fuit, quia licet ab initio æqualiter fuerint adjuti; poſteà tamen aliqui ampliùs adjuti in bono perſiſtentes certitudinem ſuæ beatitudinis meruerunt; aliis ſuâ malâ voluntate cadentibus. Iſte eſt germanus illius loci ſenſus, cui nihil obſtat reſolutio, quam eidem quæſtioni tribuit lib. de corrept. & grat. cap. 10. Ubi in liberum arbitrium refundit diſcretionem, quâ quidam in bono ſteterunt & certitudinem ſuæ beatitudinis meruerunt, dum ait: *cæteri autem per ipſum liberum arbitrium in veritate ſteterunt, eamque de ſuo caſu nunquam futuro certiſſimè ſcire meruerunt.* Hoc, inquam, nihil prorſus obſtat, quia utrumque verum eſt, & quòd gratia diſcernat in Angelis, & quòd eorum liberum arbitrium ſit etiam cauſa diſcretionis, ut infrà explicabitur.

Quare reſolutio quam dat S. AUGUSTINUS de corrept. & grat. in hoc ſolùm differt à reſolutione quam dederat de civitate Dei, quòd in iſtâ ſub dubio reliquerat, an diſcretio certitudinis ex inæqualitate gratiæ fuiſſet facta ab initio, an verò poſteà; ſed in loco de corrept. & grat. determinat diſcretionem poſteà fuiſſe factam, aliquibus per liberum arbitrium cadentibus, & aliis per idem liberum arbitrium in veritate ſtantibus, id eſt, aliquibus *ex præcedente conſilio & voluntate* ab amore caſto recedentibus, & aliis *ex præcedente conſilio & voluntate* in amore caſto ſtantibus. Cum quo ſtat optimè, eos qui ſteterunt ampliori dono accepiſſe, quòd *ex præcedente conſilio & voluntate* in amore caſto perſeveraverint; alioquin meliores ſe feciſſent, quàm facti à Deo fuiſſent, quod abſurdiſſimè dici, docet S. AUGUSTINUS.

Quem deniquè ſic eſſe explicandum teſtatur Canon 19. Concilij Arauſicani ex verbis S. Doctoris epiſt. 106. compoſitus, dum ait: *Natura humana etiamſi in illa integritate in quâ eſt condita permaneret, nullo modo ſeipſam Creatore ſuo non adjuvante ſervaret: undè cum ſine gratiâ Dei ſalutem non poſſit cuſtodire quam accepit, quomodò ſine illâ poterit reparare quod perdidit?* Quibus verbis apertè colligitur, eamdem gratiam eſſe neceſſariam naturæ ſanæ ad continuandum amorem caſtum, quæ fuit ei neceſſaria ad initiandum amorem caſtum; ut ſicut eſt continuatio amoris, ita & ſit continuatio gratiæ Dei. Cùm ergò non diffiteantur Adverſarii amorem caſtum fuiſſe naturæ ſanæ datum auxilio GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS, ſivè gratiæ de ſe efficacis; opportet, ut continuatione iſtius auxilii continuetur in naturâ ſanâ amor caſtus, & cùm perſeverare in Angelis non fuerit aliud quàm amorem caſtum continuare, ſequitur quòd indiguerint ad perſeverandum continuatione illius auxilij, à quo caſtum amorem primò acceperunt.

Digitized by Google

Ita Magiſtrum ſuum intellexerunt fideliſſimi diſcipuli S. Fulgentius & S. Thomas Magiſter noſter. Nam S. Fulgentius lib. 2. ad Traſimundum ſic loquitur: *ipſa etiam* (gratia) *homini reparando fuit neceſſaria: quia non alia ſtantem Angelum potuit à ruinâ cuſtodire, niſi illa quæ lapſum hominem poſt ruinam potuit reparare. Vna eſt in utroque gratia operata: in hoc ut ſurgeret, in illo ne caderet: in illo ne vulneraretur, in iſto ut ſanaretur: ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non ſinit.* Gratia quæ facit ſurgere, & quæ impedit caſum, eſt gratia efficax. Cùm admittant Adverſarii gratiam, quæ facit ſurgere hominem infirmum, eſſe de ſe efficacem, admittere quoque tenentur, gratiam, quæ impedivit Angeli ſani caſum, eſſe etiam de ſe efficacem.

Angelicus Sol. 1. 2. q. 109. a. 1. ſic loquitur: *Quantumcumque natura corporalis, vel ſpiritualis ponatur perfecta, non poteſt in ſuum actum prodire, niſi moveatur à Deo.* & art. 2. *Sic igitur virtute gratuitâ ſuperadditâ virtuti naturæ indiget homo in ſtatu naturæ integræ quantum ad unum: ſcilicet ad operandum & volendum bonum ſupernaturale; ſed in ſtatu naturæ corruptæ quantum ad duo; ſcilicet ut ſanetur, & ulteriùs ut bonum ſupernaturalis virtutis operetur quod eſt meritorium. Ulteriùs autem,* IN UTROQUE STATU INDIGET HOMO AUXILIO DIVINO, UT AB IPSO MOVEATUR AD BENE AGENDUM. Et in reſponſ. ad 1. dicit, *quod mens hominis etiam ſani, non ita habet Dominium ſui actus, quin indigeat moveri à Deo.*

Hæc eſt conſtantiſſima utriuſque Solis Eccleſiæ Doctrina, à quâ recedere, ut proprias ſequamur adinventiones, quaſi peccatum ariolandi eſt.

§. III. *Redditur ratio, cur non obſtantibus tribus illis clariſſimis, nec non ſolidiſſimis, utriuſque Solis principiis quidam* Thomam *ab* Augustino *ſeparaverint, & ad Scientiam mediam confugerint.*

Mirum certè videbitur tria ſupradicta utriuſque Solis principia attentè ponderantibus, qùi fieri potuit, ut Thomam ab Augustino ſepararent, & pro integritate naturæ ad Scientiam mediam confugerent intrepidi gratiæ Chriſti defenſores. Verùm ſi librum de correptione & gratia legerint, quem ultimis vitæ ſuæ temporibus compoſuit S. Augustinus, & in majori propterea habetur auctoritate; tria alia eis occurrent gratiæ principia, quæ non minùs ac præcedentia tueri intrepidè debet fideliſſimus S. Augustini diſcipulus.

I. Gratiæ Principium.

Primum gratiæ principium, quod intrepidè tueri debet fideliſſimus S. Augustini diſcipulus, eſt, Gratiam naturæ ſanæ eſſe talem ut det

libero arbitrio poteſtatem juſtè vivendi ſi velit; Gratiam vero naturæ infirmæ eſſe talem, ut non det libero arbitrio poteſtatem juſtè vivendi ſi velit, ſed ſi Deus fecerit arbitrium velle. Laborioſâ hujus principii probatione non eſt opus; tot enim pro iſtâ Doctrinâ occurrent teſtimonia, ut tædium lectori parerent, ſi omnia proferrentur. Nam toto capite 11. & 12. libri de corrept. & grat. eam ex profeſſo tradit.

Primo itaque homini, inquit cap. 12. *qui in eo bono, quo factus fuerat, acceperat poſſe non peccare, & poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret, ut perſeveraret; ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet.* Et aliquantò inferiùs: *Qui eis* (lapſis) *non ſolùm dat adjutorium, quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeverare ſi velint; ſed in eis etiam operatur & velle.* Et paulò pòſt: *Habens* (Adam) *virtutem liberi arbitrij, quamvis non defuturo adjutorio Dei, ſine quo non poßet perſeverare, ſi vellet; non tamen tali, quo in illo Deus operaretur ut vellet.*

Item ſuperiore capite apertiſſimè: *ſanè habuit* (gratiam) *in quâ ſi permanere vellet, nunquam malus eſſet, & ſine quâ etiam cum libero arbitrio bonus eſſe non poßet; ſed eam tamen* PER LIBERUM ARBITRIUM *deſerere poßet.* Et rursùm: *Tale quippè erat adjutorium quod deſereret, cum vellet, & in quo permaneret, ſi vellet; non quo fieret ut vellet.* Et iterum inſtantiùs: *ſic adjuvabatur, ut ſine hoc adjutorio in bono non maneret, ſed hoc adjutorium, ſi vellet, deſereret.* Et paulò inferiùs: *Poſſet ergo permanere, ſi vellet: quia non deerat adjutorium, per quod poßet, & ſine quo non poſſet perſeveranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profectò ejus culpa eſt.*

II. *Gratiæ principium.*

SEcundum gratiæ principium, quod intrepidè tueri debet fideliſſimus S. Augustini diſcipulus, ex primo ſequitur, nempè, uſum gratiæ in naturâ ſanâ à libero pependiſſe arbitrio; uſque adeo ut in ejus arbitratu, nutu, ac voluntate non minùs eſſet ſitum, uti gratiâ, quàm non uti; dictamini gratiæ conſentire, quàm diſſentire; gratiam tenere, quàm deſerere; ſtare, quàm cadere; perſeverare, quàm non perſeverare. Quod quamvis per ſe ex iſtis jam citatis S. Augustini teſtimoniis ſequatur, imò manifeſtum ſit; ipſe tamen, ne quis cavillando nodum in ſcirpo quæreret diſertis verbis iterùm iterùmque Augustinus aſſervit:

Nec ipſum ergo Deus eſſe voluit ſine ſuâ gratiâ, QUAM RELIQUIT IN EJUS LIBERO ARBITRIO, lib. de corrept. & grat. cap. 11. & non multò pòſt: *Dederat & adjutorium ſine quo in eâ* (bonâ voluntate) *non poſſet permanere, ſi vellet: ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio.* Et apertiſſimè: *Poßet enim perſeverare etiam* (cum illo adjutorio) *ſi vellet; quod ut nollet* DE LIBERO DESCENDIT

Digitized by Google

ARBITRIO: *quod tunc ita liberum erat, ut benè velle poſſet & malè.*

Item cap. ſequenti adhuc uberiùs: *ut ergo non acciperet hoc donum Dei, id eſt in bono perſeverantiam primus homo, ſed perſeverare & non perſeverare* IN EJUS RELINQUERETUR ARBITRIO, *tales vires habebat ejus voluntas &c. ut dignè tantæ bonitati, & benè vivendi facilitati perſeverandi* COMMITTERETUR ARBITRIUM. Totam deniquè diſputationem brevibus & ipsâ antitheſi utriuſque adjutorii clariſſimis verbis finiens: *Fortiſſimo quippe dimiſit atque permiſit facere quod vellet; infirmis ſervavit, ut ipſo donante inviſtiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere inviſtiſſimè nollent.*

Quod nemini profectò mirum videri debet. Cùm enim naturæ ſanæ nihil in eſſet, ut S. AUGUST. loquitur, *Quod carnem animumque hominis feliciter viventis offenderet*, de civitat. Dei 14. cap. 10. hoc eſt, *cùm nihil ex ſeipſo concupiſcentialiter reſiſteret*, de corrept. & grat. c. 12. Sequebatur indè magna tranquillitas, & ex iſtâ tranquillitate volendi quoque & perſeverandi ſumma facilitas. Erat quippè inſtar bilancis in æquilibrio conſtitutus, & inſtar globi rotundiſſimi in planitie perfectiſſima verſus omnem partem æquè mobilis: ut quemadmodùm facillimè *ex præcedente conſilio & voluntate* poterat ſe ad cadendum applicare; ita eâdem facilitate *ex præcedente conſilio & voluntate* poterat ſe ad permanendum applicare: ſicut modò habemus poteſtatem loquendi, & ambulandi. Ipſum quippè *velle juſtitiam* cùm nihil volenti reſiſteret, jam erat quoddam *poſſe ſufficiens applicativum.* Ubi enim volenti nihil reluctatur intùs, jam hoc ipſum *velle juſtè vivere* eſt ſe ad juſtè vivendum applicare. Nunc autem poſtquam in illam miſeriam peccato præcipitati ſumus, ut voluntas reſiſtat voluntati, & ipsâ ſuâ propriâ diviſione debilitata ſuâ ſecum cupiditate terrenâ quaſi languore confligat, *velle juſtitiam*, aut *velle juſtè vivere* non eſt ſatis forte, ut ex eo poſſit ſe ad juſtè vivendum applicare. Fortis enim concupiſcentiæ amor, fortiore amore juſtitiæ eſt devincendus, quem voluntas infirma *ex præcedente conſilio & voluntate* tribuere ſibi non poteſt, ſed ſpeciali debet ei donari auxilio.

III. *Gratiæ Principium.*

TErtium gratiæ principium, quod intrepidè tueri debet fideliſſimus S. AUGUSTINI diſcipulus, ex ſecundo ſequitur, videlicet, uſum gratiæ tribui libero arbitrio in naturâ ſanâ, non ſpeciali Dei auxilio; In naturâ vero infirmâ uſum gratiæ tribui ſpeciali Dei auxilio, non libero arbitrio. Ideò de corrept. & grat. cap. 10. dixit S. AUG. *Deniquè Angeli quidam, quorum princeps eſt, qui dicitur Diabolus,* PER LIBERUM ARBITRIUM *à Domino Deo refugæ facti ſunt........ cæteri autem* PER IPSUM LIBERUM ARBITRIUM *in veritate ſteterunt.* Quibus verbis non minùs tribuitur libero arbitrio perſeverantia bonorum,

Digitized by Google

quàm caſus malorum. Hoc idem repetit cap. 11. dicens: *Quia noluit permanere* EJUS CULPA EST, CUJUS MERITUM FUISSET, *ſi permanere voluiſſet, ſicut fecerunt Angeli Sancti, qui cadentibus aliis* PER LIBERUM ARBITRIUM, PER IDEM LIBERUM ARBITRIUM *ſteterunt & ipſi.*

Item cap. 12. *Placuit enim Deo, quo maximè humanæ ſuperbiam præſumptionis extingueret, ut non glorietur omnis caro coram ipſo, id eſt, omnis homo. Vndè autem non glorietur caro coram ipſo, niſi de meritis ſuis? quæ quidem potuit habere ſed perdidit: &* PER QUOD HABERE POTUIT, PER HOC PERDIDIT, *hoc eſt*, PER LIBERUM ARBITRIUM, *propter quod non reſtat liberandis niſi gratia liberantis.*

Hæc tria gratiæ principia, cùm ita plana ſint in Augustino, ut qui ea negaverit non poſſit illius eſſe diſcipulus, quibuſdam fuerunt in muſcipulam, ut deſertis aliis tribus principiis non minùs planis in Augustino, iſtis ſolùm attenderent, & viam mediam inter duas ſententias extremè oppoſitas ſcrutarentur, ſuo deficientes ſcrutinio. Diviſi erant Theologi in duas ſententias, Moliniſtæ adinventiones Patris ſui Molinæ ſequentes docebant, liberum arbitrium determinare gratiam; Thomiſtæ depoſitum utriuſque Solis fideliter ſervantes docebant, gratiam determinare liberum arbitrium. Quidam ſupervenerunt, qui tribus gratiæ principiis attendentes, & tria principia Scientiæ Mediæ repugnantia negligentes, optimam ſe crediderunt capeſſere viam, ſi pro naturâ ſanâ Moliniſtas ſequerentur, & pro naturâ infirmâ Thomiſtis adhærerent. Non enim putabant poſſe concordari, tria illa gratiæ principia, quæ docet S. Augustinus cum motione Dei prædeterminante, quam docet S. Thomas. Nec vitio illis eſt hoc tribuendum; quia ſi non diſtinguatur à Thomiſtis motio Dei prædeterminans concordia iſta erit impoſſibilis, ſicut paragraphus ſequens demonſtrabit.

§. IV. *Sine diſtinctione duplicis auxilii prædeterminantis non poſſunt ſalvari tria aſſignata gratiæ principia, quæ docet* S. Augustinus.

Nihil nobis hic cum Moliniſtis; quos in materiâ gratiæ apertè à S. Augustino recedere, Cordatis pluſquam eſt manifeſtum. Neque de hoc aliquandò multùm fuere ſoliciti, cum in omnem terram exierit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba dicentium:

1. Miſeram fore Eccleſiam ſi Sancti Augustini *placitis obſtricta maneat.*

2. Eccleſiam à tutelâ & pædagogiâ Augustini *eſſe vindicandam.*

Digitized by Google

3. Augustini *auctoritatem non plus valere, quàm rationes, quas allegat, evincant.*

4. Augustinum *fuiſſe doctorem perindè ac alium quempiam etiam modernorum.*

5. Augustini *dotes ſivè naturales ſivè infuſas non fuiſſe altioris ordinis, quàm aliorum Doctorum etiam Theologorum.*

6. Volentem ſuſtinere partes Iuliani, non poſſe Augustini *rationibus convinci.*

7. Augustini *Doctrinam de originalis peccati traduce eſſe ruſticanam.*

8. Augustini *locutiones quamvis aliquo ſenſu veras, improprias tamen eſſe, nec frequentandas.*

9. Utrum Augustinus *contra quod ſentiamus ſentiat, non admodùm referre.*

10. Non rectè dici poteſt, illud ſaltem neceſſariò ab omnibus tenendum quod Augustinus *tenuit nec retractavit.*

Hæc omnia evomuerunt Ieſuitæ Lovanienſes in articulis cenſuratis: & certè ſatis conformiter ad Ducem ſuum P. Molinam, qui non veritus eſt dicere:

11. Augustinum *Sacrarum ſcripturarum auctoritatem ſuâ expoſitione evacuare, & ludibrio infidelium exponere.* De opere ſex dierum diſp. 1. §. poſtremò.

12. Augustinum *quaſi ſub caligine conſtitutum ad veritatem à Patribus intentam non attendiſſe.* 1. p. q. 25. a. 4. & 5. diſp. 1. m. 6.

13. Augustini *ſententiam fidelium non paucos turbaſſe; ejuſque veritate perculſos in Pelagianiſmum declinaſſe.* In concordia q. 23. a. 4. & 5. diſp. 1. m. ult. §. credens.

14. Augustini *ſententiam à multis duram nimis, indignamque divinâ bonitate ac clementiâ judicari, non mirum.* 1. p. q. 23. diſp. 1. m. 6. §. ex his patet.

Moliniſtis relictis, & ad examen Cordati Theologi revocatis; cum illis nobis agendum eſt; qui SS. Augustinum, & Thomam, ut geminum Eccleſiæ Solem reverentur, & in eorum tutissimis atque inconcussis dogmatibus maximè gloriantur, omnem ſuum captivantes eis intellectum. Iſtis utriuſque Solis diſcipulis probare intendimus, ſine diſtinctione duplicis auxilii prædeterminantis non poſſe Doctrinam S. Augustini ſalvari.

Imprimis ſine motione Dei prædeterminante non poſſe ſalvari Doctrinam S. Augustini in tribus illis principiis contentam, quæ §. 1. retulimus, ſatis ſuperque ex ibid. dictis conſtat. Quòd autem ſine diſtinctione motionis Dei prædeterminantis non ſalventur tria principia gratiæ §. 3. relata, unico hoc argumento, ſed efficaciſſimo, demonſtratur. Indigentia motionis prædeterminantis eſt communis omni agenti creato cujuſcumque ſit ordinis, & in quocumque fuerit ſtatu. Ergo indigentia motionis prædeterminantis non poteſt diſtinguere ſanos ab infirmis. Patet conſeq. quia illud, quo indigent tam ſani, quam infirmi, non poteſt eos diſtinguere, ita ut per illud de infirmis verificetur, eos indigere aliquo, quo ſani non indigent. Tùm ſic ſubſumitur. Tria principia gratiæ ſuprà relata dicunt, actuali aliquo auxilio indigere naturam infirmam, quo non indiget ſana. Ergo iſta diſtinctio non poteſt peti ex indigentiâ motionis prædeterminantis; ſiquidem tam ſani quàm infirmi, indigent motione prædeterminante. Ut igitur ſalvetur, actiones ab infirmis procedentes indigere actuali aliquo auxilio, quo non indigent

Digitized by Google

indigent actiones à ſanis procedentes, neceſſarium erit diſtinguere auxilium prædeterminans, & factâ diſtinctione oſtendere, quòd iſto auxilio prædeterminante indigent infirmi, quo non indigent ſani.

Confirmatur. Diſcrimen a S. Augustino aſſignatum inter naturam ſanam & infirmam in hoc maximè conſiſtit, quòd in naturâ ſanâ uſus gratiæ ſubdebatur libero arbitrio, in naturâ vero infirmâ uſus gratiæ non ſubdatur libero arbitrio. Quod diſcrimen cordatè dicitur baſis & fundamentum totius Augustinianæ Doctrinæ, & totius ædificii gratiæ, quod Sanctus Doctor adverſus Pelagianos extruxit: & quaſi clavis ſine quâ miſteriorum gratiæ intelligentia aperiri & reſerari non poteſt.

Hoc autem diſcrimen ſalvari nequit cum ſolâ indigentiâ motionis prædeterminantis. Nam ſi homini infirmo tanta detur gratia antequam operetur, ut ſolum indigeat auxilio prædeterminante, verum erit dicere, hominem infirmum *ſubdere ſibi gratiam quoad uſum*; *per liberum arbitrium ſtare*; *operari juſtitiam ſi velit*; *poſſe perſeverare ſi velit*; *ipſam voluntatem perſeverandi Deum reliquiſſe in ejus libero arbitrio*. Quæ omnia affirmat S. Augustinus eſſe naturæ ſanæ, non infirmæ. Si dixeris ea non poſſe dici de homine infirmo propter Gratiam prædeterminantem quâ indiget; mox infertur, ergo nec ea potuit affirmare S. Augustinus de naturâ ſanâ, quandoquidem & ipſa indigeat Gratia prædeterminante.

§. V. *Diſtinguendo auxilium prædeterminans in univerſale, & ſpeciale, tota* S. Augustini *Doctrina optimè ſalvatur.*

Qua propter, ſalvo meliori judicio, diſtinguere opportet auxilium prædeterminans in univerſale, & ſpeciale; ſicque tota S. Augustini Doctrina optimè ſalvatur. Iſtud præcipuè motioni prædeterminanti videtur obſtare, quod uſus gratiæ ſubdatur libero arbitrio; cum enim motio Dei prędeterminans ſubdat ſibi liberum arbitrium, nullâ ratione poterit dici liberum arbitirum ſibi ſubdere gratiam, nec verè dicetur, liberum arbitrium uti gratiâ, ſed magis gratiam uti libero arbitrio dicendum erit.

Nullum eſt hoc obſtaculum, quia in nomine *gratiæ* latet æquivocatio. Gratia dividitur in eam quæ dat *poſſe*, & in eam quæ dat *agere*, uſus non dicitur reſpectu gratiæ dantis *agere*, ſed reſpectu gratiæ dantis *poſſe*: non enim utimur actibus, ſed potentiis, & habitibus: ſiquidem Magiſter noſter Sol Angelicus 1. 2. q 16. a. 1. docet, *quòd uſus rei alicujus importat applicationem rei illius ad aliquam operationem.* Applicari ad operationem non competit gratiæ danti *agere* ſed gratiæ danti *poſſe*. In hoc maximè decepti videntur Adverſarii, quòd gratiam actualem exiſtimaverint debere ſubdi libero arbitrio.

Digitized by Google

ut ſalvetur Doctrina S. Augustini, cùm tamen ſufficiat, gratiam dantem *poſſe* ſubdi libero arbitrio. Pro quo ſciendum eſt quòd *poſſe*, ſivè principium actus (quodcumque illud ſit) ſubditur libero arbitrio, quandò voluntas poteſt *ex præcedente conſilio & volitione* applicare principium ad ſuum actum. Quandò verò voluntas non poteſt *ex præcedente conſilio & volitione* applicare principium ad ſuum actum, tunc *poſſe*, ſivè principium actus, non ſubditur libero arbitrio, ſed arbitrio illius, cujus conſilio & voluntate debet ſpecialiter applicari.

Hinc poſſumus ſumere diſtinctionem duplicis auxilii prædeterminantis. Primum eſt Universale, quo voluntas prædeterminatur ad actum *ex aliquo præcedente conſilio & volitione.* Cùm conſilium noſtrum non ſit niſi de iis quæ ſunt in noſtrâ poteſtate, manifeſtum eſt, quòd auxilium prædeterminans ad actum dependenter à noſtro conſilio & volitione præcedente, prædeterminet ad actum qui eſt in noſtrâ poteſtate. Secundum eſt Speciale, quo voluntas prædeterminatur ad actum independenter *ab aliquo præcedente conſilio & volitione.* Dicitur *ſpeciale*; quia in ordine ad talem actum Deus ſe habet ut cauſa movens particularis, cujus ſpeciali conſilio & volitione voluntas tunc movetur. Sed quandò voluntas *ex præcedente conſilio & volitione* ſe applicat ad aliquam operationem, tunc in ordine ad talem actum voluntas eſt cauſa movens particularis, Deus cauſa movens univerſalis. Undè *auxilium prædeterminans* convenienter dicitur auxilium universale, quandò procedit à Deo, ut movente univerſali: & convenienter dicitur auxulium speciale, quandò procedit à Deo, ut movente particulari.

Cum hac diſtinctione optimè ſalvatur Doctrina S. Augustini quoad diſcrimen naturæ ſanæ ab infirmâ. In naturâ ſanâ tantæ ſunt vires propter perfectam ſubjectionem virium inferiorum ad ſuperiores, ut *facere juſtitiam* ſivè *juſtè vivere*, quocumque occurrente præcepto ſit in ejus poteſtate, ſicut & *in juſtitiâ perſeverare*: hoc eſt dicere, quòd natura ſana habeat poteſtatem applicandi gratiam dantem *poſſe* ad volendum quemcumque actum, qui hîc & nunc præceptus fuerit, *ex præcedente conſilio & volitione*; poteſt etiam ipſam voluntatem perſeverandi ſibi tribuere, *ex præcedente conſilio & volitione*: undè ſolùm indiget auxilio universali prædeterminante.

Natura verò infirma, propter prævenientem motum concupiſcentiæ, non poteſt *ex præcedente conſilio & volitione* habere voluntatem implendi præceptum hic & nunc occurrens; & ideò indiget speciali auxilio prædeterminante; tùm ad volendum hic & nunc *implere* præceptum, *ſicut oportet*; tùm ad volendum *in juſtitiâ permanere.* Undè Deus movet naturam ſanam ad ſuum finem, ut movens univerſale; ſed naturam infirmam movet ad ſuum finem, ut movens particulare. Ex quo fit, quòd actiones

naturæ ſanæ non aliter tribuuntur Deo, quàm actiones artificis Deo tribuuntur: ſicut enim pictor v. g. utitur ſuâ arte cùm voluerit, nec propter-reà excluditur quin debeat ad pingendum à Deo prædeterminari; ita natura ſana utitur gratiâ quâcumque dante *poſſe* cùm voluerit, nec propterea excluditur, quin debeat ad quamlibet actionem bonam à Deo prædeterminari. Similiter ſicut pictio tribuitur pictori ut cauſæ particulari, Deo ut moventi univerſali; ita actio bona naturæ ſanæ tribuitur libero arbitrio ſicut cauſę particulari, Deo ut moventi univerſali: nec minùs eſt in poteſtate arbitrij ſani actio quæcumque ſupernaturalis, quàm ſit in poteſtate pictoris quæcumque pictio intrà latitudinem ſuę artis.

Hanc Doctrinam latè explicamus cap. ſeq. toto primo articulo: & juxtà illam conciliamus fideliſſimum diſcipulum S. THOMAM cum ſapientiſſimo ſuo Magiſtro S. AUGUSTINO, ac utriuſque Solis diſcipulos ad eamdem concordiam invitamus. Solùm hîc præmittimus, motionem univerſalem prædeterminantem, cùm ſit ad actum, qui eſt in noſtrâ poteſtate, poſſe in materiâ gratiæ vocari *auxilium fiduciæ*, ſeu *confidentiæ*; Fiducia, enim, ſeu confidentia *important motum iraſcibilis in id quod æſtimatur ut facultatem non excedens*, ut docet Sol Angelicus in 3. diſt. 26. q. 1. a. 3. ad 5. De hoc adjutorio intelligitur quod dicit S. AUGUSTINUS lib. 14. de civitate Dei cap. 27. *Sic erat inſtitutus ut ſi de* ADJUTORIO DEI FIDERET *bonus homo malum Angelum vinceret.* Et inferiùs: *Quia &* IPSUM CONFIDERE *de adjutorio Dei non quidem poßet ſine adjutorio Dei.* Quibus verbis clariſſimè exprimitur, dari *auxilium fiduciæ*, eoque indiguiſſe Adamum ad vincendum malum Angelum.

Motio autem ſpecialis prædeterminans, cùm ſit ad actum qui non eſt in noſtrâ poteſtate, in materiâ gratię vocari poteſt *auxilium orationis*; de quo ſic loquitur S. AUGUSTINUS de nat. & grat. cap. 18. *Quid ſtultiùs, quàm orare Deum, ut facias, quod in poteſtate habeas?* Et epiſt. 105. *Quidquid impetrat evidenter donum Dei eſſe oſtendit, ne homo exiſtimet à ſeipſo ſibi eſſe, quod* SI IN POTESTATE HABERETUR, NON UTIQUE POSCERETUR. Iſtud eſt auxilium quo indiget natura infirma, ut impleat quæ præcipit ei Deus. Undè S. AUGUSTINUS epiſt. 89. ait: *ad implenda ea, quæ nobis jubentur, ab illo petendum adjutorium, a quo jubentur.* Et lib. 2. de pec. meritis cap. 5. pluribus docet, quòd cùm oramus nihil aliud dicimus, quàm, DA QUOD JUBES.

Quidam probant Adamum indiguiſſe auxilio orationis antè peccatum, eò quòd Magiſter noſter S. THOMAS 1. p. q. 94. a. 4. ad 5. dicat: *Adamo non fuiſſe collatum auxilium ad reſiſtendum tentationi, quia non habuit recurſum ad Deum pro illo obtinendo.* Pace illorum dixerim, S. THOMAM loqui de auxilio ad vitandam deceptionem poſt peccatum. Nam in iſto articulo quærit, utrùm homo in primo ſtatu decipi potuiſſet? & cùm reſpondiſſet, quòd rectitudo primi ſtatus non compateretur aliquam deceptionem circà intellectum; in

Digitized by Google

quinto argumento ſibi objicit: *Primus homo neſcivisſet cogitationes hominum, & futura contingentia: ſi igitur aliquis ſuper his ſibi falſum diceret, deceptus fuiſſet.*

Ad hoc argumentum primò dicit, quòd alicui dicenti falſum de contingentibus futuris, vel cogitationibus cordium, homo in ſtatu innocentiæ non credidiſſet ità eſſe: ſed credidiſſet, quòd hoc eſſet poſſibile: & hoc non eſſet exiſtimare falſum. Secundò ſubjungit poſſe dici, quòd divinitùs ei ſubventum fuiſſet, NE DECIPERETUR in his, quorum ſcientiam non habebat.

Contrà quod inſtat: *Nec eſt inſtantia, quam quidam afferunt, quòd in tentatione non fuit ei* SUBVENTUM NE DECIPERETUR: *licet tunc maximè indigeret. Quia jam* PRÆCESSERAT PECCATUM IN ANIMO, *& ad divinum auxilium recurſum non habuit.* Ex quo liquet, S. THOMAM loqui de recurſu ad divinum auxilium poſt peccatum; quaſi diceret, homo deceptus fuit, ſed poſt peccatum; Nec tamen poſt peccatum primum deceptus adhuc fuiſſet, ſi ad divinum auxilium recurſum habuiſſet.

Opportet ergò concludere, *auxilium orationis* eſſe auxilium infirmitatis; *auxilium fiduciæ* eſſe auxilium ſanitatis. Utrumque eſt prædeterminans, & Scientiam Mediam excludens. Omnis igitur *Moliniſmus* à cordibus Cordatorum excludatur; nec ſit utriuſque Solis diſcipulus, qui minimum ei præbeat aſſenſum. Quid eſt *Moliniſmus?* Domini Dei depreſſio, ſervi arbitrii elevatio. Quid GRATIA PRÆDETERMINANS? Servi arbitrii depreſſio, Domini Dei elevatio. Si *Deus ſuperbis reſiſtit & humilibus dat gratiam*; An non illis reſiſtet, quos *Moliniſmi* inflat ſcientia? An non illis aderit, quos GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS ædificat charitas? Judicet Cordatus Theologus: nos neminem judicamus, & Adverſariorum perſonas, ut noſtros in Chriſto fratres, ex corde diligimus. Si Deus pro nobis quis contra nos? Congregent Moliniſtæ pro ſe & adverſum nos quoſcumque voluerint Patronos, omnis cæli & terræ poteſtas pertranſibit; verbum autem Domini permanet in æternum, quo dixit; *Qui non eſt mecum, contrà me eſt: & qui non congregat mecum, ſpargit.* Matth. 12. Ad Pigmenta tranſeamus. *

Digitized by Google

CAPUT IJ.

VANITAS PIGMENTORUM Scientiæ Mediæ.

LXIJ. DEformitatem Scientiæ mediæ ſenſibiliter, & efficaciter diſcooperui. Senſibiliter, dico, quià è multis quibus oppugnatur argumentis, unum ſelegi, quod à varijs ſubtilitatum verſutiis expeditum hanc deformitatem minus doctis ad oculum demonſtraret. Imitatus in hoc Eximium D. Arnaldum Doctorem Sorbonicum, qui in Libro ſuo aureo de Perpetuitate fidei Euchariſticæ, relictis plurimis Cardinalium Peronij, & Bellarmini argumentis, illud ex eis ſelegit, quod ſenſibiliùs, & ipſi populo prædictæ Fidei perpetuitatem demonſtrare poſſet. Ità minus doctis prodeſſe volens aſſumpſi illud principium, quòd effectus cauſę ſuperioris exequendus per cauſam inferiorem habet infallibilem & abſolutam certitudinem, ſi omnis diſpoſitio neceſſaria ad effectum, & quidquid poteſt illum impedire, ſubjaceat cauſalitati cauſæ ſuperioris. Ex quo principio in has anguſtias rediguntur Molinæ diſcipuli, ut in Deo decernente amorem liberum exequendum per liberum arbitrium debeant; vel Scientiam Mediam explodere, vel admittere determinationem liberi arbitrij, quam debet prævidere Deus, non ſubeſſe cauſalitati divinæ.

Hanc deformitatem multiplicatis pigmentis cooperire conati ſunt Molinæ diſcipuli; miſerunt legatos ſuos procul, id eſt, Doctores ſuos per Orbem ſparſos excitarunt, ut varia pigmenta quærerent; nec alibi potuerunt invenire, quam in apothecis Impugnantium Augustinum, pridem ab Eccleſiâ decineratis. Ideò, jure merito illi applicuimus in Proœmio illud Iſaiæ: *Multiplicaſti pigmenta tua. Miſiſti legatos tuos procul, & humiliata es*, id eſt, conſors facta es, Impugnantium Augustinum. Hæc autem pigmenta ad quinque reducuntur: tria petuntur ex ſummâ Dei bonitate, contrà cujus decentiam nihil poteſt Divina Poteſtas: contrà decentiam divinæ bonitatis eſt, quòd præcipiat impoſſibilia, quòd neceſſitet liberum arbitrium, quòd ſit cauſa peccati: quæ tria difficile eſt, aiunt Molinę diſcipuli, non admittere, ſi ſecludatur Scientia Media: Alia duo uſupantur ex authoritatibus S. Augustini, & D. Thomæ truncatis, & perperam intellectis; tolle hos fucos, & Scientiæ Mediæ deformitas revelabitur.

ARTICVLVS. I.

Secluſâ Scientiâ mediâ Deus non præcipit impoſſibilia.

LXIIJ. CUm prædeterminatio phyſica, vel gratia de ſe efficax non ſit in poteſtate liberi arbitrii, videtur Deus præcipere impoſſibilia, dum multis non dat gratiam efficacem, ſine quâ præceptum non impletur. Hanc impoſſibilitatem videtur tollere Scientia Media, cùm juxtà eam gratia non ſit efficax, niſi ad quam liberum arbitrium ſe determinaturum prævifum eſt. Ut hæc difficultas in ſuâ radice evacuetur, neceſſe eſt explicare differentiam primi hominis in ſtatu innocentiæ, ab homine lapſo in ſtatu miſeriæ. Et quia mihi perſuadeo in præcipuo principio, ac nodo hujus diverſitatis non eſſe differentiam quoad rem inter diſcipulos S. Augustini, & S. Thomæ, antè omnia præmitto, quæ diverſa fuerit utrique Doctori ratio ſcribendi.

§. I. *Quæ diverſa fuerit ratio ſcribendi* S. Augustino, *&* S. Thomæ.

NUllo modo ſunt audiendi qui ſibi perſuadent, Doctorem Angelicum principiis Ariſtotelis nimium inhæſiſſe, & Theologiæ materias, maximè de gratiâ, ad prædicta principia reduxiſſe. Hi ignorant myſterium Dei, nec ſufficienter attendunt ad Doctrinam ejus ab Eccleſiâ approbatam.

LXIV. Pro quo ſciendum eſt, Chriſtum Dominum veritatem fidei, quam ſuo Sanguine fundaverat, membrorum quoque ſuorum Sanguine voluiſſe eam per totum Orbem prædicari, contra poteſtates hujus mundi, & Tyrannos. Deinde inſurgentibus hæreticis, quaſi intraneis inimicis, Sanctos Patres, & Eccleſiæ Doctores deſtinavit, ut ex ipſis Scripturis, quas hæretici admittebant, illos confutarent, & veritatem fidei inconcuſſam oſtenderent: inter quos Doctores elucet S. Augustinus, ut Sol inter ſtellas.

Supererat fidei veritatem defendere contrà Philoſophos, & mundi Sapientes, qui contendebant principiis rationis naturalis principia fidei contradicere: ac proindè alterum horum non eſſe à Deo. Ad hoc præcipuè vi-

Digitized by Google

dentur deſtinati Scholaſtici Doctores: inter quos ſimiliter emicuit D. Thomas, ſicut Sol inter ſtellas.

Ex hoc diverſo ſcopo procedit diverſus modus Theologiam tractandi; S. Augustinus cum SS. Patribus eam tractârunt, ſecundùm quòd Hæreticæ opiniones diverſis temporibus exurgentes expoſtulabant; idque primò intendebant, ut veritatem fidei ex ſacris Scripturis ſecundùm traditionem Seniorum intellectis firmiſſimè probarent. Sanctus verò Thomas cum Scholaſticis methodum quamdam, quæ rationi magis eſſet conſentanea tenuerunt; nec veritatem fidei ex rationibus Philoſophicis contenderunt probare; ſed ſolùm oſtendere, quòd nihil contra rationem naturalem doceret fides.

Nam qui myſteria fidei nititur probare naturali ratione, fidei dupliciter derogat, D. Thomâ id aſſerente. Primò quidem, quantum ad dignitatem fidei, quæ eſt ut ſit de rebus inviſibilibus, quæ rationem humanam excedunt. Secundò, quantum ad utilitatem trahendi alios ad fidem. Credunt enim infideles quòd hujuſmodi rebus innitamur, & propter eas credamus. Undè ea quæ ſunt fidei probanda ſunt per authoritates, iis qui illas ſuſcipiunt, aliis verò ſufficiet oſtendere, non eſſe impoſſibile quod fides prædicat. Ita D. Thomas 1. p. q. 32. a. 1.

LXV. Hoc proſpiciens Doctor Angelicus, quòd lumen fidei non poſſet eſſe contrarium lumini rationis (cùm utrumque ſit à Deo; nec verum vero contrarietur) ad hoc inter alia incubuit, ut toti mundo oſtenderet, fidem nihil contra rationem docere, ſed eam elevando perficere. Ideò inter omnes mundi Sapientes aſſumpſit Ariſtotelem, in quo ratio naturalis videbatur virtutis ſuæ maximum quod ſic explicuiſſe. Si enim principiis Ariſtotelis, quæ vi luminis rationis potuere attingi, principia fidei non ſunt contraria, ſufficienter mundi Sapientibus oſtenditur, nihil contra rationem fidem edocere.

Non ergò principiis Philoſophi utitur Angelicus Præceptor, ut probet Myſteria fidei, ſed ut oſtendat, non eſſe impoſſibile quod fides prædicat; & tam fidem, quàm gratiam, non deſtruere, ſed perficere naturam. Nec ideò doctrina ejus ut vera, & miraculoſa à Summis Chriſti Vicariis prædicatur, quòd omnia, quæ docuerit, certiſſima ſint & demonſtrata: ſed quia certa ex certis, & probabilia ex probabilibus concluſit; eaſque Philoſophorum opiniones ſelegit, quæ doctrinę fidei magis deſervirent. Cùm enim omnes Philoſophicæ diſciplinæ ancillæ ſint Theologiæ, ſapientiæ Angelicæ fuit, eas ancillas ſeligere, quæ dominæ poſſent aptiùs, & utiliùs famulari.

Nec in hoc alicui Scholaſticorum volumus derogari; ſed conſtanter ſolùm aſſerimus, nullum Scholaſticorum ab Eccleſiâ poſitivè approbatum, ſicut D. Thomam. De quo enim Scholaſticorum aliquando dixit ipſum Caput Eccleſiæ Chriſtus: *Bene ſcripſiſti de me?* Ad quem Scholaſticorum ipſum Corpus

Eccleſiæ, Concilia dico, ſicut ad Lydium lapidem confugerunt, ſicut ad D. THOMAM? Quis denique Scholaſticus à Summis Pontificibus, Clypeus Eccleſię nominatus; in quo hæreticorum tela feliciter elidantur? Cujus doctrinam ſine ullo prorsùs errore conſcriptam, ex ſpeciali Dei infuſione acceptam, & tot miraculis abundare, quot articulis, declarârunt?

LXVJ. Quæ præſumptio Molinæ diſcipulis fuit, à tanto Doctore recedere, ut ſententiam ex ingenio unius privati Scriptoris natam, non ſine ſuorum contradictione amplecterentur? (*Iac. Fulgatta, & Sylveſter à Petrâ Sanctâ in vitâ Bellarmini, lib. 3. c. 5.*) Quis etiam diſcipulus S. AUGUSTINI audebit ſibi arrogare meliorem Doctrinæ AUGUSTINIANÆ intelligentiam, quàm eam quæ a ſummis Pontificibus Doctori Angelico tribuitur? Ipſi enim proclamarunt, quòd *Beati* AUGUSTINI *veſtigia inſecutus, Eccleſiam doctrinis & ſcientiis quam plurimis adornavit.* Imò idipſum S. AUGUSTINUS Alberto de Brixiâ revelavit. Nam cùm Albertus ſtupefactus, quid viſio (in quâ Lumen Eccleſię AUGUSTINUS cum D. THOMÂ ſimul apparebat) ſignificaret, ſupplex ab illis quęreret; ſic ille qui Pontificalibus ornamentis erat inſignitus, reſpondit: *Quid miraris Alberte? Ego ſum* AUGUSTINUS *Doctor Eccleſiæ, qui ſum miſſus ad declarandam gloriam* S. THOMÆ; *is eſt qui mecum eſt, qui doctrinam meam & Apoſtolicam in omnibus ſecutus eſt, quique totam Dei Eccleſiam ſuæ doctrinæ fulgoribus mirabiliter illuſtravit.* Apud D. Anton. 3. p. hiſt. tit. 33. c. 7. §. 12.

LXVIJ. Dimicans igitur S. AUGUSTINUS contra hęreticos, Scripturas, quas recipiebant, aſſumpſit; huic verò prælio ſuperaddens aliud contra mundi Sapientes Doctor Angelicus, Scripturis principia Philoſophi conjunxit: Scripturis quidem utens directè & à priori, iiſque ſecundùm traditionem Patrum, & maximè S. AUGUSTINI intellectis: Principiis verò Philoſophi indirectè oſtendens, veritatem fidei præter rationem, non contra rationem, immobilem permanere.

Hęc adduxi, ut oſtenderem, D. THOMAM in S. AUGUSTINO, & S. AUGUTINUM in D. THOMÂ legendum, ab eo qui non voluerit à viâ veritatis deviare, aut de veritate eſſe ſuſpectus. Undè fit, utriuſque Doctoris diſcipulos nunquam veritatem aſſecuturos, ſi unum Lumen ab alio ſejungant, & ſi in utroque Lumine lumen veritatis non requirant.

§. II. *Primum principium, ad conciliandum utriuſque Solis diſcipulos circa differentiam naturæ ſanæ, & lapſæ.*

PRæcipua diſſidii inter utriuſque Solis diſcipulos cauſa eſt, Prædeterminatio phyſica ex parte diſcipulorum Angelici Doctoris, & diverſus ſtatus naturæ ſanæ ab infirmatâ per peccatum ex parte diſcipulorum S. AUGUSTINI. Hi enim non credunt, cum prædeterminatione phyſicâ ſtare poſſe differentiam utriuſque naturæ toties à S. AUGUSTINO inculcatam. Quòd ſi eis oſtendi

poſſit,

poſſit, prædeterminationem phyſicam nihil obeſſe doctrinæ S. Augustini, ſed potius eam firmare, veluti effectum ex ſuis principiis prognatum, facilè Thomiſtis concedent concurſum generalem eſſe prædeterminantem. Duobus autem principiis videtur mihi (ſalvo ſemper meliori judicio) id fieri congruè poſſe, quibus ritè intellectis, unum ſapere poterunt omnes intrepidi perfectæ gratiæ defenſores, quod ſanè à Cordato Theologo maximè eſt expetendum. Primum principium ex doctrinâ S. Augustini deſumitur, & præſenti Paragrapho explicatur: ſecundum ex doctrinâ Angelici Doctoris excerptum ſequenti Paragrapho reſervatur.

LXVIIJ. Primum principium tangit principia actûs liberi, quæ ad duo revocavit S. Augustinus, videlicet voluntatem faciendi actum, & poteſtatem illum faciendi. Unâ ex his duabus deficiente nunquam fit actus liber, & infallibiliter fit, ſi ambæ conjungantur. Nomine voluntatis intelligitur volitio ſufficiens faciendi actum, qui vi iſtius volitionis fieret, ſi adeſſet poteſtas: amico dicimus, condonet mihi, ſi quod petit, non faciam, defectus poteſtatis eſt, non meæ voluntatis. Sub poteſtate faciendi actum comprehenditur quidquid eſt ſeparabile ab actu, ſine quo non fit actus. Hinc patet, prædeterminationem phyſicam ad voluntatem, non ad poteſtatem pertinere, quia mediâ volitione applicat Deus potentias voluntati ſubjectas.

Voluntas quandoque eſt ſine poteſtate, & poteſtas ſine voluntate. In divite eſt poteſtas dandi eleemoſynam, & ſæpe non eſt voluntas. In paupere poteſt eſſe voluntas dandi eleemoſynam, non poteſtas; ita ut vi ſuæ volitionis revera daret eleemoſynam, ſi præſtò eſſent pecuniæ. Idem in cœco explicat S. Augustinus lib. de nat. & grat. cap. 51. *Quoniam cæcus puto quòd velit videre, ſed non poteſt. Si autem vult, & non poteſt, ineſt voluntas, ſed amiſſa eſt poſſibilitas.* Et lib. de grat. & lib. arb. oſtendit inutilem eſſe poteſtatem ſine voluntate, & è converſo: *Tunc utile eſt*, inquit, *velle cùm poſſumus, & tunc utile eſt poſſe cùm volumus Nam quid prodeſt, ſi quod non poſſumus, volumus, aut ſi quod poſſumus, nolumus.*

Ad rectè igitur vivendum requiritur & voluntas rectè vivendi, & poteſtas. Voluntas rectè vivendi eſt amor juſtitiæ, ſine quo præceptum non impletur. Docet enim S Augustinus eum, *qui non amore juſtitiæ ſe ſentit abſtinere ab opere peccati, nondum liberum eſſe, nec alienum à voluntate peccandi. In ipsâ enim voluntate reus eſt*, &c. lib. de nat. & grat. cap 57. Item lib. de ſpiritu & litt. cap. 8. ait: *Quicumque faciebant id quod lex jubebat non adjuvante ſpiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant, non amore juſtitiæ; ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus erat in opere. Potiuſque ex illo rei tenebantur*, &c.

LXIX. Magiſtrum ſequitur Angelicus Præceptor 1. 2. q. 100. a. 9. ubi docet, modum illum virtutis, quo quis operatur ex intentione finis illius virtutis, ſive quod idem eſt, ex amore virtutis, cujus actus præcipitur, cadere

Digitized by Google

ſub præcepto; ſic enim ait: *Secundum autem eſt, ut aliquis operetur volens vel eligens, & PROPTER HOC ELIGENS, in quo importatur duplex motus, interior, ſcilicet voluntatis, & intentionis, de quibus ſupradictum eſt, & iſta duo non dijudicat lex humana, ſed ſolùm divina.* Ad rectè igitur vivendum ſecundùm Angelicum Præceptorem requiritur duplex motus interior, unus quo quis velit rectè vivere, alius quo ex amore rectæ vitæ, ſive juſtitiæ, velit rectè vivere; hoc enim ſignificant verba iſta, *& propter hoc eligens.* Id confirmat ad 3. dicens, quod *delectabiliter operari, ſive cum lætitiâ, vel hilaritate, quodammodo cadit ſub præcepto, cùm amor ſit cauſa delectationis*: quaſi diceret, in tantum operari cum delectatione cadit ſub præcepto, in quantum operari ex amore cadit ſub præcepto. Unde ly *quodammodo*, non eſt particula diminuens, ſed diſtinguens duas delectationes, unam, quæ ſequitur ad amorem, quæ cum ipſo amore cadit ſub pręcepto: aliam, quæ ſequitur ad habitum, & ſub præcepto non cadit: ut patet ex verbis, quæ præcedentibus connectit: *& quodammodò non, ſecundùm quod delectatio conſequitur habitum, delectatio enim operis eſt ſignum habitûs generati: ut dicitur in 2. Ethic. Poteſt enim aliquis actus eſſe delectabilis, vel* PROPTER FINEM*, vel propter convenientiam habitûs*: * quod idem eſt, ac ſi dixiſſet: poteſt aliquis actus eſſe delectabilis, vel quia ex amore procedit, vel quia fit ex habitu. *

LXX. Poteſtas rectè vivendi eſt duplex; prima eſt ipſa cognitio agendorum, quaſi quædam ars rectè vivendi: undè ſicut ars ſcribendi dat poteſtatem benè ſcribendi, ita prudentia quæ eſt recta ratio agibilium, & quaſi quædam ars rectè vivendi, dat poteſtatem rectè vivendi. Hæc poteſtas prout includit actualem cognitionem eorum, quæ hìc & nunc agenda ſunt, multoties à voluntate ſeparatur, illiusque defectus ignorantia à S. Augustino nominatur: *Nolunt homines, ait, facere quod juſtum eſt, ſive quia latet an juſtum ſit, ſive quia non delectat*, id eſt non amatur. Et S. Thomas 1. 2. q. 111. a. 9. docet, quod in juſtis remanet quędam ignorantię obſcuritas in intellectu, ſecundùm quam propter varios rerum eventus, & quia nosipſos non perfectè cognoſcimus, non poſſumus ad plenum ſcire quid nobis expediat.

Secunda poteſtas rectè vivendi oritur ex amore juſtitiæ. Cùm enim amor ſit principium omnium affectuum voluntatis, & omnium actuum liberorum, ſecundùm diverſos amores oriuntur diverſæ poteſtates: amor boni delectabilis dat poteſtatem faciendi, quę delectabilia cognoſcuntur: amor boni honeſti, ſive juſtitię dat poteſtatem faciendi, quæ honeſta eſſe judicantur. Si unus amor excludat alium, ſequitur in amante impotentia ad faciendum ea, quæ ex amore contrario fieri debent. Undè ſuppoſito quòd amor boni delectabilis non ſubordinetur amori juſtitię, oportet, ut qui amat delectabilia impotens ſit in ſenſu compoſito, & impotentiâ voluntariâ, ad perficiendum ea,

quæ juſta ſunt. Sic autem ſe habet homo infirmus, qui continuò quærens quæ ſua ſunt, & quæ eum delectent, impotens fit ad perficiendum quæ juſta ſunt, niſi ſpeciali quodam auxilio gratiæ, faciat Deus eum magis amare hic, & nunc juſtitiam, quam delectabilia; illud enim de duobus bonis eligit, & ſectatur voluntas, quod plus hic & nunc amat.

LXXI. Hanc impotentiam voluntariam, & ex amore ortam expreſſit S. Augustinus, dum lib. de gratiâ, & lib. arbit. cap. 17. dixit: *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam, poterit autem cùm magnam habuerit & robuſtam. Ipſam charitatem* (hoc eſt, magnam voluntatem bonam quâ poſſet) *Apoſtolus Petrus nondùm habuit, quando timore Dominum ter negavit*, &c. *Et tamen quamvis parva & imperfecta non deerat, quando dicebat Domino, Animam meam pro te ponam. Putabat enim ſe* Posse, *quod ſe velle ſentiebat.* Quibus verbis ſatis oſtenditur amorem *ſui* in Petro fuiſſe fortiorem amore Domini, etiam quando dicebat, *Animam meam pro te ponam*, ex hoc amore *ſui* impotentiam quamdam habebat Petrus confitendi Dominum recurrente periculo mortis, & Deo robuſtiorem charitatem non inſpirante: ſuam impotentiam ignorans Petrus, putabat ſe Posse, quod ſe velle ſentiebat.

De hâc impotentiâ, nec-non & fortioris amoris victoriâ loquitur etiam Angelicus Præceptor q. 3. de malo, a. 9. ad 7. ubi diſpoſitionem tam continentis, quàm incontinentis clariſſimè deſcribit, dicens: *Tam continens, quàm incontinens dupliciter movetur; ſecundùm rationem quidem ad vitandum peccatum, ſecundùm concupiſcentiam verò ad committendum: ſed in continente vincit judicium rationis*, id eſt, amor juſtitiæ; *in incontinente verò motus concupiſcentiæ*, id eſt, amor delectabilis. *Unde uterque utitur ſyllogiſmo quatuor propoſitionum: ſed ad contrarias concluſiones. Continens enim ſic ſyllogizat*, Nullum *peccatum eſt faciendum, & hoc proponit ſecundùm judicium rationis* (cui judicio correſpondet in voluntate amor juſtitiæ) *ſecundùm verò motum concupiſcentiæ verſatur in corde ejus, quod omne delectabile eſt proſequendum* (ad quod judicium excitatur in voluntate amor delectabilis) *Sed quia judicium rationis*, id eſt, amor juſtitiæ, *in eo vincit, aſſumit, & concludit ſub primo; hoc eſt, peccatum: ergo non eſt faciendum. Incontinens verò in quo vincit motus concupiſcentiæ*, id eſt, amor delectabilis, *aſſumit, & concludit ſub ſecundo, hoc eſt delectabile: ergo eſt proſequendum: & talis propriè eſt, qui peccat ex infirmitate.*

LXXII. Ex quo luculentiſſimo teſtimonio apparet primò, eum, qui abſtrahitur & illicitur à concupiſcentiâ ſuâ, non poſſe implere præceptum, ſi amor delectabilis ſit fortior amore juſtitiæ; ſiquidem ſemper vincet motus concupiſcentiæ, & conſequenter aſſumet, & concludet, *hoc eſt delectabile: ergo eſt proſequendum.* Quare ſi ex viribus propriis, quas de facto habet homo infirmus, non poſſit habere amorem juſtitiæ fortiorem, quam ſit amor dele-

Digitized by Google

ctabilis, impotens erit ſecundùm vires præſentes quas habet implendi præceptum: & ſic ſemper impotens manebit, donec ſpeciali auxilio gratiæ præparantis, voluntas ejus à Domino præparetur per inſpirationem fortioris amoris erga juſtitiam, quam ſit amor, quem habet erga delectabile. Hæc tamen impotentia non excuſat à tranſgreſſione præcepti, cum ſit voluntaria, utpote ex amore libero orta.

Apparet ſecundò, amorem eundem juſtitiæ in uno vincere concupiſcentiam, in alio vinci à concupiſcentiâ; imò in uno & eodem quandoque vincere, quandoque vinci. Nam amor juſtitiæ ut quatuor v. g. qui vincit concupiſcentiam ut tria, vincitur ſive in eodem, ſive in alio, à concupiſcentiâ ut quinque. Quapropter non immeritò dixit S. Augustinus, habentem parvam charitatem non poſſe facere mandatum, ſiquidem fortior eſt concupiſcentia, ſive amor delectabilis; poterit autem cùm magnam habuerit charitatem, & robuſtam, id eſt, concupiſcentiâ fortiorem. Hoc, quæſo, animadvertant, qui putant, auxilium prædeterminans non poſſe conciliari cum inæqualitate Gratiæ victricis. Si enim auxilium prædeterminet ſolùm ad amorem juſtitiæ ut tria, vincetur à concupiſcentiâ impellente ut quatuor, non in eo, quod non ponatur amor juſtitiæ ut tria, ſed in hoc, quod cum amore ut tria impotens erit ad faciendum mandatum, inſurgente concupiſcentiâ ut quatuor.

§. III. *Secundum principium ex doctrinâ Angelicâ deſumptum pro concordiâ intentatâ.*

LXXIIJ. Secundum principium ſtabiliendæ concordiæ tangit prædeterminationem phyſicam, quam adeò clarè docuit Angelicus Præceptor, ut non niſi ab ignorantibus doctrinæ Angelicæ principia, atque ea malignantibus, hoc in dubium verti poſſit. Quare veſtigiis præceptoris noſtri inſiſtendo, diſtinguendæ ſunt duæ prædeterminationes, ſivè, quod idem eſt, Dei motiones, ad duplicis generis actûs, quos in voluntate diſtinguit Communis Doctor. Prima prædeterminatio eſt univerſalis, quâ voluntas prædeterminatur ad eliciendum actum mediante conſilio, & dependenter ab aliquo actu præcedente. Secunda prædeterminatio eſt ſpecialis, quâ voluntas prædeterminatur ad eliciendum actum independenter à conſilio, & aliquo actu præcedente. Cùm autem ſpecies prædeterminationis phyſicæ venanda ſit ex naturâ actûs, ad quem voluntatem prædeterminat, harum motionum differentia petenda eſt ex diverſitate actuum, quos ſic diſtinguit Sanctus Doctor 1. 2. q. 9. a. 4.

„ Eo modo quo movetur (*voluntas*) ad exercitium actûs, neceſſe eſt „ ponere voluntatem ab aliquo principio exteriori moveri: omne enim quod

„ quandoque eſt agens in actu, & quandoque in potentiâ indiget moveri „ ab aliquo movente. Manifeſtum eſt autem quòd voluntas incipit velle aliquid cùm priùs non vellet, neceſsè eſt ergò quòd ab aliquo moveatur ad „ volendum. Et ſi quidem, ſicut dictum eſt, ipſa movet ſeipſam, in quantum per hoc quod vult finem, reducit ſeipſam ad volendum ea, quæ „ ſunt ad finem: hoc autem non poteſt facere, niſi conſilio mediante. Cùm „ enim aliquis vult ſanari, incipit cogitare quomodo hoc conſequi poſſit: & „ per talem cogitationem pervenit ad hoc quòd poteſt ſanari per medicinam, & hoc vult. Sed quià non ſemper ſanitatem actu voluit, neceſsè eſt „ quòd inciperet velle ſanari ab aliquo movente. Et ſi quidem ipſa moveret ſeipſam ad volendum, oportuiſſet quòd mediante, conſilio hoc ageret ex aliquâ voluntate præſuppoſitâ, hoc autem non eſt procedere in infinitum. Unde hoc neceſſe eſt ponere quòd in primum motum voluntatis voluntas prodeat ex inſtinctu alicujus exterioris moventis, ut Ariſtoteles concludit.

LXXIV. Quæ verba ſatis oſtendunt, eſſe aliquos actus in voluntate dependentes à conſilio, & aliquo præcedente actu: alios eſſe independentes à conſilio & voluntate præſuppoſitâ. Horum actuum differentia non eſt petenda ex naturalitate, & ſupernaturalitate, ità ut ſolùm in naturalibus locum habeat prædicta diſtinctio. Cùm enim gratia perficiat naturam, & natura voluntatis ſit habere duos iſtos diverſi generis actus, oportet ut etiam in ſupernaturalibus ſalvetur prædictorum actuum diſtinctio: non minùs ac in intellectu ſalvatur in ſupernaturalibus cognitio principiorum, & actus diſcurrens à principiis ad concluſiones. Cujus ratio eſt, quòd utraque diſtinctio non tam petitur ex objecto, quàm ex modo tendendi in objectum. Nam ſicut idem objectum poteſt cognoſci & per diſcurſum, & ſine diſcurſu, ita & idem objectum poteſt amari dependenter ab aliquâ voluntate præcedente, & amari independenter ab iſtâ.

LXXV. Hinc elucet vera prædictorum actuum differentia. In actu, quem voluntas elicit dependenter ab aliquo actu præcedente, voluntas amat dando ſibi velle: in actu verò, quem elicit independenter à conſilio, & voluntate præſuppoſitâ, voluntas amat accipiendo velle. Primus actus eſt à voluntate tam *elicitivè*, quàm *applicativè*: ſecundus actus eſt ſolùm à voluntate *elicitivè*, non *applicativè*. Ideò primus actus non tribuitur Deo applicanti, ſed libero arbitrio in cujus poteſtate eſſe dicitur: non quòd Deus illum non prædeterminet, ſed quià prædeterminatione univerſali fit iſta applicatio, cujus natura eſt, ita applicare ad actum, ut liberum arbitrium etiam ſe applicet mediante conſilio, ratione cujus actum illum dicitur habere in ſuâ poteſtate: non enim conſiliamur de his quæ non ſunt in noſtrâ poteſtate. Secundus autem

Digitized by Google

actus, qui fit independenter à conſilio, & voluntate præſuppoſitâ, non tribuitur libero arbitrio, ſed Deo ſpecialiter ad illum applicanti: nec enim eſt in poteſtate liberi arbitrij, ſed magis in poteſtate Dei, cujus conſilio dirigitur, non voluntatis conſilio: qui adhuc poterit eſſe liber, non quidem libertate *voluntatis ſe applicantis*, ſed libertate *voluntatis applicatæ tantùm*; ſivè quod idem eſt, non liber *applicativè*, ſed liber *elicitivè*. De quo vide opuſc. 3. cap. 11. §. 2.

Hujus diſtinctionis ratio poteſt reddi ex doctrinâ S. Augustini, qui ſæpius dicit, illud eſſe in poteſtate noſtrâ, quod voluntas *ſi vult facit*, *ſi non vult non facit*, lib. de ſpirit. & lit. cap. 31. actus enim, qui fit ex voluntate præſuppoſitâ, eſt talis, ut illum voluntas eliciat ſi velit, & ſi non velit non eliciat, & conſequenter rectiſſimè dicitur eſſe in poteſtate voluntatis. Actus verò, qui fit independenter à voluntate præſuppoſitâ non tam eſt in poteſtate voluntatis, quàm in poteſtate Dei, quia voluntas non illum elicit quandò vult, ſed quandò Deus facit eam velle: ſicut enim ille actus eſt in poteſtate voluntatis, quem ſi vult facit, ſi non vult non facit: ita ille actus eſt in poteſtate Dei, quem ſi Deus facit velle, voluntas facit, & ſi Deus non facit velle, voluntas non facit. De illo verificatur quod poſſumus, ſi velimus; de hoc verò quòd poſſumus, ſi Deus priùs dederit velle; hæc ſiquidem poteſtas non fundatur in actu præcedente.

LXXVJ. Horum actuum diſtinctionem ſatis dilucidè tradit fideliſſimus S. Augustini diſcipulus, Angelicus noſter Præceptor 1. 2. q. 111. a. 2. his verbis: *Operatio enim alicujus effectus non attribuitur mobili, ſed moventi. In illo ergo effectu in quo mens noſtra eſt mota, & non movens, operatio Deo attribuitur, & ſecundùm hoc dicitur gratia operans. In illo autem effectu in quo mens noſtra & movet, & movetur, operatio non ſolùm tribuitur Deo, ſed etiam animæ, & ſecundùm hoc dicitur cooperans. Eſt autem in nobis duplex actus. Primus quidem interior voluntatis: & quantum ad iſtum actum voluntas ſe habet ut mota, Deus autem ut movens, & præſertim cùm voluntas incipit bonum velle, quæ priùs malum volebat. Et ideò ſecundùm quod Deus movet humanam mentem ad hunc actum, dicitur gratia operans. Alius autem actus eſt exterior, qui cùm à voluntate imperetur, ut ſupra habitum eſt, conſequens eſt, quòd ad hunc actum operatio attribuatur voluntati. Et quia etiam ad hunc actum Deus nos adjuvat, & interiùs confirmando voluntatem, ut ad actum perveniat, & exteriùs facultatem operandi præbendo: reſpectu hujuſmodi actûs dicitur gratia cooperans. Unde poſt præmiſſa verba ſubdit* Augustinus, *ut autem velimus operatur: cùm autem volumus, ut perficiamus nobis cooperatur.*

Ecce clarè habetur, illum actum, qui non eſt ex præſuppoſitâ voluntate tribui Deo, & non voluntati, ſolùmque *elicitivè*, & non *applicativè* eſſe à voluntate: illum verò actum, qui dependet ab actu præcedente, & qui ideò ab Angelico Doctore exterior nominatur, non tribui ſolùm Deo, ſed etiam

Digitized by Google

voluntati, à quâ tam *applicativè*, quàm *elicitivè* progreditur. Quod ſubtiliter animadvertit Eminentiſſimus Dominus D. Cajetanus in ſuis Commentariis acutiſſimis ſupra Summam D. Thomæ. Nam ad prædicta verba ſic commentatur: *Nomine primi actûs non intelligitur ſolus ille, quem voluntas in principio operationum ſuarum omnium habet, ſed quicumque primus abſque conſilio, & prævio motivo ad bonum, & propterea author dixit:* & præſertim cùm voluntas incipit bonum velle, quæ priùs malum volebat: *ſimiliter igitur ſe habet voluntas mota à Deo ad hujuſmodi velle, ſicut grave ad motum deorſum: & propterea ſicut grave non movet ſeipſum ad deſcenſum, ſed eſt motum à generante; ita voluntas mota à Deo ad hujuſmodi novum velle,* NON MOVET SEIPSAM AD HOC, SED EST TANTÙM MOTA À DEO. EST TAMEN TALE VELLE IPSIUS ELICITIVÈ, *ſicut deſcendere eſt motus gravis,* ET EST LIBERUM: *quia poteſt diſſentire à tali velle: Deus enim movet ſuaviter liberum arbitrium ſecundùm conditionem ejus.*

Deindè, duplicem voluntatis prædeterminationem exprimit dicens: *Nam facere ut velimus, non contingit uno modo, ſed duobus, ſcilicet* UT VELIMUS MOVENDO NOSIPSOS AD HOC, ecce prædeterminatio univerſalis, & UT VELIMUS MOTI TANTÙM AB IPSO DEO, ecce prædeterminatio ſpecialis. Cui ſubſcribit eximius Dominus ac Magiſter noſter Sylvius, qui loco citato ex 1. 2. ait: *Ut ſcilicet mens noſtra intelligatur in eo effectu eſſe mota, & non movens; quia* ETIAMSI ILLUM EFFECTUM EFFICACITER ET LIBERÈ FACIAT, AD EUM TAMEN NON SEIPSAM MOVET: QUIA NON EX ALIQUO PRIORE MOTU QUASI IMPERANTE, *ſe ad illum excitat, vel movet.* Et inferiùs ait: *Quamvis enim voluntas in primâ ſuâ volitione velit, & volitionem illam efficiat,* NON TAMEN FACIT SE VELLE, *aut cauſare volitionem, ſed ſolus Deus.* Et pro hoc ſenſu refert Conrad. Medin. Alvarez, & Eſtium.

LXXVIJ. Sufficienter ex Angelico Doctore, ſuiſque diſcipulis, explicata & probata manet, DUPLEX phyſica voluntatis prædeterminatio: una, ſcilicet, UNIVERSALIS ad actum *dependenter à conſilio, & actu alio præcedente*; alia SPECIALIS ad actum *independenter à conſilio, & actu alio præcedente*; Ex cujus ignorantiâ plurimum hallucinati ſunt Moliniſtæ in omnibus illis locis, in quibus docet S. Thomas, voluntatem ſeipſam movere, & determinare, non verò à Deo moveri, aut ab illo determinante determinari. Ignorantes enim duplicem ſupradictam prædeterminationem; putaverunt Angelicum Doctorem excludere omnem phyſicam prædeterminationem ab illis actibus, ad quos voluntas dicitur ſe movere, & determinare: cùm tamen ſolùm ab illis excludatur prędeterminatio phyſica ſpecialis: non univerſalis, quâ Deus in omni operante operatur non tam producendo & conſervando virtutes agendi, quàm eas applicando ad agendum, eo modo quo ſecuris applicatur ad ſcindendum, in quâ priùs eſt, quod motum recipiat, quàm quod activè in lignum operetur.

Digitized by Google

Pro hàc Moliniſtarum hallucinatione ſufficiet unum locum Angelici Doctoris ex 2. diſt. 39. q. 1. a. 1. expendere; ubi S. Doctor ait: *Ipſa enim potentia voluntatis quantum in ſe eſt, indifferens eſt ad plura, ſed quod determinatè exeat in hunc actum, vel illum, non eſt ab alio determinante, ſed ab ipſâ voluntate.* In his verbis inaniter gloriari Moliniſtas ſupradicta prædeterminationis phyſicæ diviſio demonſtrat. Nam D. Thomas loquitur de illo actu voluntatis, qui *dependenter à conſilio, & actu alio præcedente* procedit à voluntate, ut patet ex intentione, & contextu articuli. In illo enim articulo quærit, *utrum voluntas poſſit perverti per peccatum?* & reſpondet diſtinguendo ſupradictos actus, unum ad quem voluntas ſe applicat: alium ad quem non ſe applicat, ſed applicatur, ſicut & agentia naturalia applicantur ad agendum, & non ſe applicant: verba D. Thomæ ſunt hæc: *Sed ſciendum, quòd aliquis actus eſt ab aliquo dupliciter, uno modo tam ſecundùm ſubſtantiam actûs, quàm ſecundùm determinationem agentis, ut eſt in voluntate.* Ecce actus ad quem voluntas ſe applicat. Alio modo actus aſt ab agente *ſecundùm ſubſtantiam actûs*, & non *ſecundùm determinationem agentis*; in hoc actu convenit voluntas cum agentibus naturalibus, non quòd non ſit liber, ſed quòd voluntas ad illum non ſe determinet, ſicut & agentia naturalia non ſe determinant ad ſuos actus; & propter hanc convenientiam proſequitur D. Thomas ſecundum membrum ſuæ diviſionis in agentibus naturalibus, in quibus ait: *actus progreditur ab agente: ſed tamen determinatio ad hunc actum non eſt ab agente, ſed ab eo qui agenti talem naturam dedit, per quam ad hunc actum determinatum eſt.* Cujuſmodi eſt actus, qui à voluntate elicitur *independenter à conſilio, & actu alio præcedente.* Objectum enim judicii indifferentis, à quo regulatur prædictus actus, eſt quaſi forma voluntatis: & cùm prædictum judicium indifferens non ſit à voluntate, ideò actus regulatus prædicto judicio non eſt à voluntate *ſecundùm determinationem agentis*, ſed ab illo agente, ſcilicet Deo, qui voluntati tale judicium dedit, per quod ad hunc actum liberum determinata eſt.

LXXVIIJ. Signanter dicit Angelicus Præceptor, actum illum, qui non eſt *applicativè* à voluntate, non eſſe ab illâ *ſecundùm determinationem agentis*, quamvis ſit ab illâ *ſecundùm ſubſtantiam actûs*, ut innueret, quod n. 74 docuimus, nempe diſtinctionem illam non peti ex objecto, & ſubſtantiâ actûs: ſed ex modo quo progreditur ab agente; ita ut ſi actus quodcumque objectum habeat, ſive naturale, ſive ſupernaturale, exeat ab agente applicante ſe ad agendum, tunc ille actus ſecundùm D. Thomam erit ab agente, tam *ſecundùm ſubſtantiam actûs*, id eſt, *elicitivè*, quàm *ſecundùm determinationem agentis*, id eſt, *applicativè*. Si verò actus non exeat ab agente applicante ſe, tunc actus erit ab agente *ſecundùm ſubſtantiam actûs*, ſivè *elicitivè*, non verò *ſecundùm determinationem agentis*, ſivè *applicativè*.

Ratio autem, quare S. Thomas dixit illum actum, qui eſt *applicativè* à voluntate,

Digitized by Google

à voluntate, non eſſe ab alio determinante, quamvis reverà Deus ad illum actum prædeterminet voluntatem, ratio inquam reddi poteſt ex eo, quòd *eſſe à Deo determinante* eſt quid genericum ad omnes actus voluntatis, qui in duas ſpecies quoad præſens dividuntur: aliqui enim ſunt actus voluntatis, qui ità ſunt à Deo prædeterminante, ut voluntas etiam ad illos ſe determinet; alij verò ità ſunt à Deo prædeterminante, ut voluntas etiam ad illos non ſe determinet mediante conſilio, & præſuppoſito alio actu, cùm igitur nobilius ſit voluntati ſe determinare, quàm ſolùm determinari, ideò illi actus, ad quos voluntas ſe non determinat, retinent, quaſi ignobiliores, nomen generis, & dicuntur eſſe à Deo determinante, alij verò non dicuntur eſſe à Deo, ſed à voluntate determinante. Solet in doctrinâ Angelicâ, ut nôrunt Thomiſtæ, quandòque genus ſumi pro ignobiliori ſpecie. Sed jam tempus eſt, utriuſque Solis diſcipulos ex duobus ſuprà jactis principiis ad concordiam revocare contra Moliniſtas, Gratiæ victricis et prædeterminantis inimicos.

§. IV. *Concordia diſcipulorum utriuſque Solis quoad naturæ ſanitatem.*

LXXIX. Si Thomas in Augustino, & Augustinus in Thomâ cordatè legatur, facile erit diſcipulos utriuſque Solis concordare circa differentiam naturæ ſanæ, & infirmæ. Certum eſt ſecundum utrumque Eccleſiæ Solem, Deum feciſſe hominem rectum, & tantâ quidem gratiæ rectitudine, ut ſecundum intellectum perfectam haberet cognitionem agendorum; ſecundum voluntatem Deum amaret & juſtitiam; ſecundum vires iraſcibilis, & concupiſcibilis perfectam ad rationem conſequeretur ſubjectionem.

Voluntatis rectitudinem, atque appetitûs ſubjectionem docet S. Augustinus lib. 19. de Civit. Dei, cap 11. *Fecit Deus, ſicut ſcriptum eſt, hominem rectum, ac per hoc voluntatis bonæ. Non enim rectus eſſet bonam non habens voluntatem. Bona igitur voluntas opus eſt Dei: cum eâ quippe ab illo factus eſt homo.* Et lib. 1. contra Julianum operis imperfecti, cap. 12. *Tales vires habebat ejus voluntas, quæ ſine ullo fuerat inſtituta peccato, & nihil ſibi ex ſeipsâ concupiſcentialiter reſiſtebat.*

Magiſtrum ſequitur Angelicus diſcipulus, & communis Doctor 1. p. q. 95. a. 1. ubi ait: *Erat enim rectitudo ſecundum hoc, quod ratio ſubdebatur Deo, rationi verò vires inferiores, & animæ corpus. Prima autem ſubjectio erat cauſæ ſecundæ & tertiæ. Quamdiu enim ratio manebat Deo ſubjecta, inferiora ei ſubdebantur, ut* Augustinus *dicit.*

Ex hâc rectitudine probat Angelicus Doctor, quòd homo in ſtatu innocentiæ non potuit peccare venialiter, antequam peccaret mortaliter. Quam

rationem placuit ad verbum referre, quia clarè exprimit in quo conſiſtebat ſtatus innocentię rectitudo, ſivè naturæ ſanitas. Verba D. Thomæ ſunt hæc: *Cujus ratio eſt, quia peccatum veniale in nobis contingit, vel propter imperfectionem actûs, ſicut ſubiti motus in genere peccatorum mortalium, vel propter inordinationem exiſtentem circa ea, quæ ſunt ad finem, ſervato debito ordine ad finem. Utrumque autem homini contingit propter quemdam defectum ordinis, ex eo quòd inferius non continetur firmiter ſub ſuperiori. Quòd enim in nobis inſurgat ſubitus motus ſenſualitatis, contingit ex hoc, quòd ſenſualitas non eſt omninò ſubdita rationi. Quòd verò inſurgat ſubitus motus in ratione ipsâ, provenit in nobis ex hoc, quòd ipſa executio actûs rationis non ſubditur deliberationi, quæ eſt ex altiori bono, ut ſuprà dictum eſt. Quòd verò humanus animus inordinetur circa ea, quæ ſunt ad finem, ſervato debito ordine ad finem provenit ex hoc, quòd ea, quæ ſunt ad finem, non ordinantur infallibiliter ſub fine, qui tenet ſummum locum quaſi principium in appetibilibus, ut ſuprà dictum eſt:*

In ſtatu autem innocentiæ; ut in primo habitum eſt, erat infallibilis ordinis firmitas, ut ſemper inferius contineretur ſub ſuperiori, quamdiu ſummum hominis contineretur ſub Deo, ut etiam Augustinus *dicit lib.* 14. *de Civitate Dei: & ideò oportebat, quòd inordinatio in homine non eſſet, niſi inciperet ab hoc, quòd ſummum hominis non ſubderetur Deo, quod fit per peccatum mortale. Ex quo patet, quòd homo in ſtatu innocentiæ non potuit peccare venialiter, antequam peccaret mortaliter*, 1. 2. q. 89. a. 3.

LXXX. Quantum ad perfectam agendorum cognitionem docet Angelicus Præceptor, 1. p. q. 9. a. 3. hominem ſic eſſe à Deo inſtitutum, ut haberet omnium ſcientiam, in quibus natus eſt inſtrui. Et hæc ſunt omnia illa, quæ virtualiter exiſtunt in primis principiis per ſe notis, quæcumque ſcilicet naturaliter homines cognoſcere poſſunt. De ſupernaturalibus tantam docet cognitionem accepiſſe, quanta erat neceſſaria ad gubernationem vitæ humanæ ſecundum ſtatum illum. Art. 4. ex S. Augustino reprobat illos, qui aſſerebant, potuiſſe eſſe aliquem errorem in intellectu primi hominis ante peccatum. Sic enim ait: *Sed hæc poſitio non convenit integritati primi ſtatûs, quia ut.* Augustinus *dicit lib.* 14. *de Civit. Dei, in illo ſtatu erat devitatio tranquilla peccati, quâ manente nullum malum omninò eſſe poterat. Manifeſtum eſt autem quòd ſicut verum eſt bonum intellectûs, ita falſum eſt malum ejus, ut dicitur in* 6. *Ethic. Undè non poterat eſſe, quòd innocentiâ manente intellectus hominis alicui falſo acquieſceret ut vero.*

LXXXI. Hinc fit, ut homo ſanus duplicem illam haberet poteſtatem rectè vivendi, quam in primo principio explicuimus §. 2. hujus Art. Artem nempè rectè vivendi, ex perfectâ agendorum cognitione, & amorem juſtitiæ ex perfectâ appetitûs ſubjectione. Ex hâc enim ſubjectione poterat homo ſanus in particulari operabili *mediante conſilio, & ex præcedente alio actu* ſibi dare amorem juſtitiæ, ſine quo præcepta impleri non poſſunt. Undè poterat in

Digitized by Google

bono, quod acceperat perſeverare ſi vellet, id eſt, poterat ſine aliquo ſpeciali auxilio ſibi dare voluntatem perſeverandi, quamvis ad hoc indigeret auxilio generali quo Deus in omni operante operatur. Ideò juxta ſecundum principium adimpletio præceptorum, ſivè naturalium, ſivè ſupernaturalium, tribuebatur libero arbitrio, ut applicanti, non Deo, eratque in poteſtate hominis ſani abſque aliquo ſpeciali auxilio ea adimplere: non minùs ac eſt in noſtrâ poteſtate loqui, & ambulare: ſicut enim quando volumus loqui, & ambulare, loquimur, & ambulamus; ita quando homo ſanus volebat credere, ſperare, & amare Deum ex toto corde, credebat, ſperabat, & ex toto corde amabat. Et ſicut loqui, & ambulare eſt in poteſtate noſtrâ, etiamſi ad loquendum, aut ambulandum debeamus à Deo prædeterminari; ita credere, ſperare, & amare erat in poteſtate hominis ſani, etiamſi ad credendum, ſperandum, & amandum debebat à Deo prædeterminari. Ratio utriuſque eſt, quòd illa prædeterminatio ſit UNIVERSALIS, quâ Deus in omni operante operatur, & quæ, ut dictum eſt, non tollit, quin actus ſit in poteſtate voluntatis, eique, & non Deo tribuatur.

LXXXII. Hanc hominis ſani poteſtatem variis in locis inculcat S. Augustinus, dum ſæpiùs ait, adjutorium primi hominis eſſe tale, *ut in eo maneret ſi vellet*; *ut illud per liberum arbitrium deſerere poſſet: ut in ejus libero arbitrio relinqueretur*; *quod deſereret cùm vellet*; *in quo permaneret ſi vellet, non quo fieret ut vellet.* Hoc enim adjutorium eſt illa poteſtas ſe applicandi ex præcedente actu, & mediante conſilio, ad quamcumque præcepti adimpletionem, ſine prævio actu non potuiſſet homo ſanus ad rectè vivendum ſe applicare, non tamen eo fiebat, ut ſe applicaret.

Nec ex hâc doctrinâ S. Augustini ſequitur, merita ſtatus innocentiæ non eſſe ſimpliciter dona Dei. Sunt enim dona Dei, quia à gratiâ gratis datâ eliciuntur, & à prædeterminatione ſupernaturalis ordinis prædeterminantur: eo modo quo opera naturalia ſunt dona Dei, quia à naturâ gratis datâ eliciuntur, & à prædeterminatione naturalis ordinis prædeterminantur. Non enim opera ſupernaturalia ſtatus innocentiæ differunt ab operibus naturalibus ex modo operandi, ſed ex objecto. Et ideò non alio ſpeciali modo tribuuntur Deo, quàm opera naturalia, niſi quòd hæc ſint dona Dei, ut authoris naturæ, illa ſint dona Dei, ut authoris gratiæ. Secùs eſt de operibus bonis, tam naturalibus, quàm ſupernaturalibus, hominis infirmi, quæ ex ſpeciali modo operandi tribuuntur Deo, eo quòd eliciantur à libero arbitrio, accipiente *velle*, non verò dante ſibi *velle* ex aliquâ voluntate præſuppoſitâ. Quo ſpeciali modo opera ſtatus innocentiæ non dicuntur dona Dei, cùm ita ſint à Deo prædeterminante, ut etiam ſint à libero arbitrio ſe ad volendum applicante.

Digitized by Google

§. V. *Concordia diſcipulorum utriuſque Solis quoad naturæ infirmitatem.*

LXXXIIJ. SI quoad rem ipſam non ſit diſcordia inter utriuſque Solis Eccleſiaſtici diſcipulos penes naturę ſanitatem, nulla etiam poterit intereſſe diſcordia penes naturę infirmitatem, cùm hæc nihil ſit aliud, quàm quidam ſanitatis defectus ex peccato primi hominis conſequutus. Duplex ſupradicta poteſtas rectè vivendi erat naturæ ſanitas, quam ſuo peccato noſter primus parens amiſit, & nos omnes, qui ab eo ſeminaliter naſcimur, cum illo amiſimus. Nam ex ignorantiâ agendorum caremus arte rectè vivendi, & ex rebellione concupiſcentię, non poſſumus nobis dare in particulari operabili amorem juſtitię: ſi enim, ut ait Apoſtolus, non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: multò minùs poterimus rectè operari à nobis, quaſi ex nobis dantibus amorem juſtitiæ, ſine quo præceptum non poteſt impleri. Amor delectabilis prævenit rationem, & ſi amore fortiori juſtitiæ non vincatur, non poteſt voluntas ex aliquo prę̨cedente actu ſibi dare amorem juſtitię in particulari operabili.

Undè hæc propoſitio (quod valdè notandum eſt) *Voluntas abſtracta à concupiſcentiâ ſuâ peccabit*, eſt ſuo modo infallibiliter vera, ſuppoſito quòd voluntas auxilio Gratiæ victricis non adjuvetur; ſicut & iſta eſt infallibilis, *Voluntas adjuta* Gratiâ victrice rectè operabitur. Quemadmodùm in ſenſu compoſito Gratiæ victricis, ſivè quod idem eſt, *prævenientis inſpirationis*, non datur mala operatio; ita in ſenſu compoſito *abſtractionis à concupiſcentiâ*, non ſtat recta operatio: & ſicut cum *præveniente inſpiratione*, quæ non eſt in poteſtate voluntatis, conjungitur potentia ad malè agendum, ita ut voluntas poſſit diſſentire ſi velit; ſimiliter cum *abſtractione concupiſcentiæ*, quæ etiam non eſt in poteſtate voluntatis, conjungitur potentia ad rectè vivendum, ita ut voluntas poſſit diſſentire ſi velit.

Ratio eſt, quia illud, quod facit *præveniens inſpiratio* effectivè ex parte agentis, hoc facit *abſtractio concupiſcentiæ* moraliter ex parte objecti: neutrum eſt negandum, ſed utrumque admittendum. Primum magis ponderant Angelici diſcipuli, ſecundum magis attendunt Augustini diſcipuli. Hinc inter illos diverſitas quoad verba, nulla tamen quoad ſenſum diſcordia.

LXXXIV. Pro quo animadvertendùm eſt, ad libertatem contrarietatis nihil aliud requiri, quàm quòd intellectus practicè judicet hanc partem eſſe amplectendam, & ſimul ſpeculativè judicet oppoſitam eſſe amplectibilem. Undecumquè oriatur determinatio judicii practici, ſemper actus voluntatis erit liber contrariè, ſive quoad ſpecificationem, ſi cum tali judicio practico adſit ſimul prædictum judicium ſpeculativum. Nunc dico, quòd præveniens

inſpiratio applicat voluntatem ad amandum, determinando effectivè judicium practicum remanente judicio ſpeculativo de amabilitate oppoſiti. Abſtractio verò concupiſcentiæ moraliter determinat judicium practicum remanente etiam judicio ſpeculativo. Et ſic utrobique actus voluntatis & liberè fit, & infallibiliter: *liberè*, propter conjunctionem judicii ſpeculativi; *infallibiliter*, propter determinationem judicii practici.

Abſtractionem concupiſcentiæ exprimit nervosè S. AUGUSTINUS lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 4. *Ut ſi fortè tentari cæperimus à concupiſcentiâ noſtrâ, adjutorio ejus non deſeramur, ut in eo poſſimus vincere*, NE ABSTRAHAMUR ILLECTI. Ipſam verò infallibilitatem peccandi nomine neceſſitatis ſufficienter indicavit idem Sanctus, qui lib. de perfectione juſtitiæ, cap. 4. ſic ait: *Ipſa enim ſanitas eſt vera libertas, quæ non periiſſet, ſi bona permanſiſſet voluntas; quia verò peccavit voluntas, ſequuta eſt peccantem* PECCATUM HABENDI DURA NECESSITAS. Libertas viæ apud S. AUGUSTINUM eſt illa poteſtas applicandi ſe ex proprio conſilio, tam ad bonum, quam ad malum: quæ, non permanente voluntate bonâ, periiſſe dicitur; quia non ampliùs ad bonum volendùm poteſt voluntas ex proprio conſilio ſe applicare, ſed ſolùm ad malum: ad quod ſemper ſe applicabit, ſi gratiâ vincente concupiſcentiam non præveniatur. Ideò ſubjunxit S. AUGUSTINUS, *Sequuta eſt peccantem* PECCATUM HABENDI DURA NECESSITAS, id eſt, infallibilitas. Et rationem reddit lib. 3. de lib. arb. cap. 18. dicens: *Illa eſt enim peccati pœna juſtiſſima, ut amittat unuſquiſque, quo benè uti noluit; cùm ſine ullâ poſſet difficultate, ſi vellet. Id eſt autem, ut qui ſciens rectè non facit, amittat ſcire quid rectum ſit, & qui rectè facere cùm poſſet noluit, amittat poſſe cùm velit.* Quaſi diceret, qui ſciens quid eſſet rectè agendum, non tamen rectè operatus eſt, juſtè ponitur in illo ſtatu, in quo ignoret quid agendum ſit: & qui potuit facere bonum dando ſibi velle ex præcedente actu, & tamen non dedit, juſtè ponitur in illo ſtatu, in quo, cùm dederit ſibi velle ex præcedente actu, non poſſit implere quod velit.

LXXXV. De hâc eâdem peccandi infallibilitate rursùm loquitur S. AUGUSTINUS lib. de perfectione juſtitiæ, dicens: *Per arbitrii libertatem factum eſt, ut eſſet homo cum peccato; ſed jam pœnalis vitioſitas ſubſecuta* EX LIBERTATE FECIT NECESSITATEM. *Undè ad Deum fides clamat: de neceſſitatibus meis erue me: ſub quibus poſiti vel non poſſumus quod volumus intelligere, vel quod intellexerimus volumus, nec valemus implere.......... Victa enim vitio, in quod cecidit voluntate*, CARUIT LIBERTATE NATURA, id eſt, poteſtate applicandi ſe æqualiter ad bonum, & malum; ac proindè libertate quâdam dominii oppoſitâ ſervituti caret natura infirma; non verò libertate indifferentiæ oppoſitâ determinationi ad unum: quamvis enim non adjuta GRATIÆ VICTRICIS auxilio infallibiliter ex præcedente voluntate delectabilis ſe applicet ad malum,

potentiam tamen habet cum prædicto auxilio ad bonum ſe applicandi; & ita non ex judicio ad unum determinato, ſed ex judicio indifferenti ſequitur concupiſcentiam.

Abſtractio igitur concupiſcentiæ cum ignorantiâ agendorum hìc, & nunc, eſt ipſa naturæ infirmitas. Ex abſtractione concupiſcentiæ, oritur quòd præcedens actus, puta volitio boni, ex quâ voluntas poteſt ſe applicare ad volendum, eſt ſufficiens ut ſe ad malum volendum applicet cum ſolo concurſu generali ad actum; non verò eſt ſufficiens ut ſe ad volendum juſtitiam applicet. Nam ipſa concupiſcentia in particulari operabili excitat in voluntate amorem delectabilis, qui ſi hìc & nunc non vincatur amore fortiore juſtitię, non poterit voluntas ex volitione præcedente boni concludere volitionem boni oppoſiti concupiſcentiæ. Si ergo Deus ſpeciali auxilio non prædeterminaverit voluntatem ad amorem juſtitiæ fortiorem, quàm ſit amor delectabilis, voluntas remanet impotens (impotentiâ, ut dictum eſt, voluntariâ, utpotè ex contrario amore ortâ) ad volendum ea quæ ſunt juſtitiæ.

LXXXVJ. Hoc præclarè docuit Angelicus Præceptor 1. 2. q. 9. a. 6. ad 3. ubi diſtinguit inter motionem Dei univerſalem, quę requiritur ad omnem actum voluntatis ad quem ſe applicat, & motionem Dei ſpecialem ad illos actus, ad quos voluntas non ſe applicat, ſed per gratiam movetur. Sic enim ait: *Dicendum, quòd Deus movet voluntatem hominis, ſicut univerſalis motor, ad univerſale objectum voluntatis, quod eſt bonum.* Intellige in illis actibus, ad quos voluntas ſe applicat ex præcedente actu. *Et ſine hâc univerſali motione, homo non poteſt aliquid velle*, intellige, applicando ſe. *Sed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc, vel illud, quod eſt verè bonum, vel apparens.* Quia licet Deus voluntatem etiam prædeterminet ad bonum in particulari; hoc ipſo tamen quòd illam determinat ex præcedente volitione boni, non dicitur Deus illam determinare, ſed ipſa voluntas dicitur ſeipſam determinare, ut ſuprà dictum eſt. Voluntas igitur prædeterminata à Deo ad volitionem boni poteſt, quantum eſt in ſe, applicare ſe æqualiter ad volendum illud, quod eſt verè bonum, & ad volendum illud, quod eſt apparens bonum: ſed inſurgente concupiſcentiâ, & trahente voluntatem ad amorem delectabilis; non eſt ſufficiens in voluntate poteſtas, ut ſine ſpeciali auxilio dante fortiorem amorem juſtitiæ, poſſit ſe applicare ad illud quod eſt verè bonum volendum. Ideò ſubjungit S. Doctor: *Sed tamen interdum ſpecialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinatè volendum, quod eſt bonum, ut in his quos movet per gratiam, ut infrà dicetur:* quaſi diceret, in his, quos movet Deus per gratiam, non illos movet ex pręcedente volitione boni, ſed ſine aliquâ pręcedente volitione boni illos ſpecialiter facit magis amare juſtitiam, quàm ex abſtractione concupiſcentiæ ament delectabile: ac proindè æqualiter non ſe habent

Digitized by Google

ad bonum & malum; ad bonum enim non ſe movent, ſed moventur; ad malum autem ex precedente volitione boni ſe movent abſtracti, & illecti à concupiſcentiis ſuis: *Perditio tua ex te Iſraël, tantummodò in me auxilium tuum*, Oſeæ 13.

Iſtam SPECIALIS PRÆDETERMINATIONIS indigentiam in homine infirmo magis expreſſit Doctor Angelicus 1. 2. q. 109. a. 9. dum de homine à peccato per gratiam liberato, ſic loquitur: *Indiget tamen auxilio gratiæ ſecundum alium modum, ut, ſcilicet à Deo moveatur, ad rectè agendum: & hoc propter duo: Primò quidem ratione generali, propter hoc, quod ſicut ſuprà dictum eſt, nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire, niſi virtute motionis divinæ. Secundò, ratione ſpeciali propter conditionem ſtatûs humanæ naturæ, quæ quidem licet per gratiam ſanetur quantùm ad mentem, remanet tamen in eâ corruptio & infectio quantùm ad carnem, per quam ſervit legi peccati, ut dicitur Rom. 7. Remanet etiam quædam ignorantiæ obſcuritas in intellectu ſecundum quam, ut etiam dicitur Rom. 8. Quid oremus ſicut oportet, neſcimus. Propter varios enim rerum eventus; & quia etiam noſipſos non perfectè cognoſcimus, non poſſumus ad plenum ſcire quid nobis expediat, ſecundum illud Sap. 9. Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ. Et ideò neceſſe eſt nobis, ut à Deo dirigamur, & protegamur, qui omnia novit, & omnia poteſt. Et propter hoc etiam renatis in filios Dei per gratiam convenit dicere: Et ne nos inducas in tentationem: Et fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terrâ, & cætera quæ in Oratione Dominicâ continentur ad hoc pertinentia.*

§. VI *Breviter colligitur differentia naturæ ſanæ à naturâ infirmâ ſecundum utriuſque Solis Diſcipulos.*

LXXXVII. Declaratâ naturæ, tam ſanitate, quàm infirmitate, facile erit colligere differentiam naturæ ſanæ à naturâ infirmâ ſecundum utrumque Eccleſiæ Solem; ſimulque videbitur, eorum diſcipulos in ipsâ re non diſſentire. Precipua utriuſque naturæ in ordine ad gratiam *rectè vivendi* differentia ſecundum D. THOMAM eſt, quòd homo ſanus non alio auxilio indigeat, quàm auxilio UNIVERSALIS PRÆDETERMINATIONIS; ſivè concurſus generalis, quo Deus in omni operante operatur, eum ad operandum applicando. Homo infirmus alio auxilio SPECIALIS PRÆDETERMINATIONIS indiget ad rectè operandum. Ideò in homine ſano erat poteſtas æqualiter ſe applicandi ad bonum, & malum volendum *ex præcedente volitione boni, & mediante conſilio*; in homine infirmo eſt impotentia ſe applicandi ad bonum volendum *ex ſupradictâ volitione boni*, ut ſuprà dictum eſt; & ideò debet SPECIALI PRÆDETERMINATIONE ad volendum juſtitiam applicari.

Hominis ſani poteſtatem nomine libertatis indigitavit S. AUGUSTINUS,

Digitized by Google

ut patet ex lib. 3. de lib. arb. cap. 18. ubi ait: *Cùm autem de liberâ voluntate rectè faciendi loquimur, de illâ ſcilicet in quâ homo factus eſt loquimur.* Impotentiam verò hominis infirmi, neceſſitatem peccandi vocavit, prout neceſſitas opponitur dominio, & eſt idem quod ſervitus, non prout opponitur libertati indifferentiæ, & eſt idem quod determinatio ad unum. Cùm enim dominus ſit, qui propriâ voluntate, & proprio conſilio ſe regit, & gubernat, ſervus verò qui alienâ voluntate regitur, & gubernatur; poteſtas applicandi ſe *ex præcedente actu mediante conſilio* dominium rectè dicitur, quo homo ſanus ſe dirigere, regere, & gubernare valebat in lege Domini, & operibus mandatorum, tam naturalium, quàm ſupernaturalium; eo modo quo Rex regit, & gubernat actiones ſibi ſubditorum, quantumvis indigeat auxilio, quo Deus in omni operante operatur. E contrà, impotentia ſe applicandi *ex præcedente actu* ad bonum, & abſtractio concupiſcentiæ ad malum ſervitus rectè nominatur, quâ homo infirmus ſervit vel peccato, vel juſtitiæ, juxta id quod ait Apoſtolus Rom. 6. *Neſcitis quoniam cui exhibetis vos ſervos ad obediendum ſervi eſtis ejus cui obeditis, ſivè peccati ad mortem, ſivè obeditionis ad juſtitiam.*

LXXXVIIJ. Quarè gratia hominis ſani conſtituebat eum juſtitiæ dominum, quâ uti, & non uti poterat ſecundum beneplacitum præcedentis voluntatis: non minùs ac dominus temporalis uti poteſt bonis temporalibus prout voluerit. Sicut autem illa poteſtas domini temporalis non excludit auxilium concursûs prædeterminantis, quo Deus in omni operante operatur, ita nec dominium juſtitiæ in homine ſano excludit prædictum auxilium. Gratia verò hominis infirmi non facit eum juſtitiæ dominum, ſed ſervum, ut ait Apoſtolus Rom. 6. *Liberati autem à peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ.* Quem ſequitur S. Augustinus in Enchirid. cap. 30. dicens: *Undè ad juſta faciendum liber non erit* (intellige poteſtate domini) *niſi à peccato liberatus, eſſe juſtitiæ cœperit ſervus.* Quia licet liberetur à peccato, remanet tamen, ut ait D. Thomas, corruptio, & infectio quantum ad carnem, ex quâ fit, ut inſurgente concupiſcentiâ, non poſſit uti gratiâ ſi voluerit, id eſt, ſi ex præcedente actu dederit ſibi velle, ſed ſolùm dum ſpeciali auxilio Gratiae victricis et praedeterminantis acceperit velle. Rectè igitur dicitur juſtitiæ ſervus, qui non implet juſtitiam quando vult illam implere *ex propriâ voluntate, & conſilio*, ſed ſolùm quando ipſe Dominus juſtitæ, & Rex virtutum facit eum velle. Rectè etiam dicitur peccati ſervus, qui peccati voluntatem, id eſt, concupiſcentiam, non ſuam rationem ſequitur, licet liberè concupiſcentiæ ſe ſubjiciat.

Eadem diſcipuli, & Magiſtri, S. Thomae dico, & S. Augustini concordia patet ex celebri illâ diſtinctione auxilij *ſine quo non*, & auxilii *quo*, toties à S. Augustino inculcatâ. Homo ſanus ſecundum S. Augustinum habebat

Digitized by Google

habebat omne auxilium *ſine quo non* fit actus, ſed non habuit auxilium *quo* fieret. Præcedens actus, qui ſecundùm D. THOMAM dat poteſtatem homini ſano ſe applicandi ad volendum juſtitiam, reſpectu amoris juſtitiæ pertinet ad auxilium *ſine quo non* ſe applicat ad amandum, non verò pertinet ad auxilium *quo* ſe applicat. Et ità etiam verificatur ſecundùm doctrinam Angelicam, quòd homo ſanus habuit omne auxilium *ſine quo non*, cùm præcedens actus fuit in homine ſano ſufficiens ad ſe applicandum ſi voluiſſet: homo verò infirmus non habet omne auxilium *ſine quo non*, cùm deſit illi prædicta ſufficientia præcedentis actus. Hoc ipſo etiam quòd S. AUGUSTINUS dicat, hominem ſanum non habuiſſe auxilium *quo*, concordat cum S. THOMÂ dicente, hominem ſanum indiguiſſe prædeterminatione univerſali, quâ Deus in omni operante operatur.

LXXXIX. Præcipua ergo naturæ ſanæ à naturâ infirmâ differentia eſt, quòd naturæ ſanæ nihil deerat ex parte *poſſe*, nec ullo auxilio adjuvante vires indigeret; naturæ verò infirmæ etiam per gratiam ſanatæ deeſt aliquid ex parte *poſſe*, amor, ſcilicet, juſtitiæ in particulari operabili, ſine quo non poteſt facere ea quæ ſunt juſtitiæ. Hunc amorem poterat homo ſanus ſibi dare *ex præcedente actu æqualiter ſe habente ad bonum, & malum*, propter perfectam ſui appetitus ſubjectionem. Verùm, homo infirmus non poteſt prædictum amorem ſibi tribuere *ex aliquo actu æqualiter ſe habente ad bonum, & malum*: inſurgente enim concupiſcentiâ ſupervenit amor boni proprii, aut delectabilis, qui fortiore amore juſtitiæ debet vinci, & quem ſtante amore boni delectabilis non poteſt ſibi tribuere voluntas infirma, ſed debet illum accipere ſpeciali auxilio GRATIÆ PRÆVENIENTIS, INSPIRANTIS, PRÆPARANTIS, VICTRICIS, & PRÆDETERMINANTIS. Ideò dixit S. AUGUSTINUS potentiorem eſſe gratiam in ſecundo Adam, quàm fuit in primo; quia gratia fecit Adamum potentem ſolùm, & non volentem; gratia autem in ſecundo Adamo facit eum & potentem ſimul, & volentem; Primus Adam potuit, & non voluit; ſecundus Adam vult, & poteſt. Verba S. AUGUSTINI habentur lib. de corrept. & grat. càp 11. *Hæc prima eſt gratia quæ data eſt primo Adam; ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim, quâ fit ut habeat homo juſtitiam, ſi velit: ſecunda ergo plus poteſt, quâ etiam fit ut velit, & tantùm velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem; voluntate ſpiritus vincat*, id eſt, ut amore juſtitiæ amorem delectabilis ſuperet, faciendo ea quæ ſunt juſtitiæ, nonobſtante actuali reſiſtentiâ concupiſcentiæ.

XC. Radicem hujus majoris potentiæ tradit S. AUGUSTINUS cap. 12. ex eo, quòd gratia quæ dat *poſſe* nullatenùs impeditum, ſolo AUXILIO GENERALI opus habet, ut perveniat ad actum, ſed gratia quæ dat *poſſe*, quod ſuperveniente concupiſcentiâ impeditur, non ſolo auxilio generali, ſed

SPECIALI AUXILIO vincente impedimentum indiget, ut perveniat ad actum: loquendo igitur de auxilio actuali applicante, & prædeterminante ad actum, potentius debet eſſe auxilium quod applicat potentiam impeditam vincendo contrarium impedimentum, quàm illud quod potentiam totaliter expeditam ſolùm applicat, & prædeterminat. Et quia impedimentum tenet ſe ex parte potentiæ, prædictum auxilium prædeterminans vincendo impedimentum, jure merito dicitur, non ſolum conferre actum, ſed & ipſum *poſſe* adjuvare. Homo ſanus potentiam ad rectè operandum habuit totaliter expeditam ex perfectâ virium inferiorum ſubjectione. At homo infirmus quantumcumque juſtificetur, ſi cum gratiâ datâ, poſſit ſtare motus concupiſcentiæ, habet potentiam impeditam ad rectè operandum tam in naturalibus, quam in ſupernaturalibus: adeò potentiori indiget prædeterminatione, quæ ita det actum, ut ſimul vincendo actualem concupiſcentiam, det & *poſſe*. Hæc omnia breviter & nervosè docet S. AUGUSTINUS, loco citato his verbis: *Tales vires habebat ejus voluntas* (primi hominis) *quæ ſine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex ſeipsâ concupiſcentialiter reſiſtebat, ut dignè tantæ bonitati, & benè vivendi facilitati perſeverandi committeretur arbitrium. Nunc verò poſtquam eſt illa magna peccati merito amiſſa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remanſit infirmitas.*

Nimirùm quia nullâ interiori rixâ libertas illa ſana diſcerpebatur, nullâ luctâ laſſabatur, nullo deo ſum pondere premebatur, ut non niſi *velle* cum adjutorio UNIVERSALIS PRÆDETERMINATIONIS peteretur. Nunc verò difficultates graviſſimæ ſuperandæ ſunt, non quibus corporis membra, ſed quibus voluntas ipſa à volendo revocatur, dum concupiſcentiali vitio complexa non ſufficit ei adjutorium UNIVERSALIS PRÆDETERMINATIONIS, quâ Deus præſuppoſito completo *poſſe* in omni operante operatur. Adjutorium ſiquidem, cujus natura eſt præſupponere potentiam expeditam, non poteſt prędeterminare ad actum potentiam impeditam. Noluit autem Deus ita ſanare hominem infirmum, ut daret illi ſicut primo homini potentiam expeditam, ne in viribus ſuis, & non in ipſo gloriaretur. Ita S. AUGUSTINUS lib. de corrept. & grat cap. 12. *Ac per hoc nec de ipsâ perſeverantiâ boni*, id eſt, voluntate perſeverandi ex præcedente actu ſibi datâ, *voluit Deus Sanctos ſuos in viribus ſuis, ſed in ipſo gloriari: qui eis non ſolùm dat adjutorium, quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeverare ſi velint ſed in eis etiam operatur & velle; ut quoniam non perſeverabunt, niſi & poſſint, & velint, perſeverandi* POSSIBILITAS, ET VOLUNTAS *divinæ gratiæ largitate donetur. Tantùm quippè Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut* IDEÒ POSSINT, QUIA SIC VOLUNT, *& ideò ſic volunt, quia Deus operatur ut velint.*

XCI. Deniquè ibidem probat, non fore ſatis homini infirmo, quòd poteſtatem applicandi ſe ad rectè vivendum acciperet ex aliquo actu præce-

Digitized by Google

dente, & æqualiter ſe habente ad bonum, & malum, qualem poteſtatem accepit primus homo; ſed debuit ei ſpeciali auxilio dari in particulari operabili amor juſtitiæ, ſivè voluntas efficax faciendi quæ juſta ſunt: quia ſi homo ſanus nullâ concupiſcentiâ reſiſtente ex illo actu ad bonum, & malum indifferenti non dedit ſibi voluntatem faciendi quæ juſta ſunt; multò minùs id faceret homo infirmus, qui præveniente concupiſcentiâ, vel ſuccumberet voluntas illius non dando ſibi amorem juſtitiæ, vel etiam ſi daret ſibi aliquem amorem juſtitiæ, non eſſet fortior amore concupiſcentiæ, ut poſſet, contra concupiſcentiam actualiter reſiſtentem, ea quæ ſunt juſtitiæ perficere. Verba S. AUGUSTINI ſunt: *Nam ſi in tantâ infirmitate vitæ hujus, in quâ tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei, ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent*, id eſt, ſi ſolùm in aliquâ volitione communi, ex quâ poſſent benè, & malè velle, conſtituerentur, nec Deus ſpecialem volitionem, amorem, ſcilicet, juſtitiæ, ſpeciali auxilio in eis operaretur, *inter tot ac tantas tentationes infirmitate ſuâ voluntas ipſa ſuccumberet, & ideò perſeverare* NON POSSENT, *quia deficiente infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent, infirmitate voluntatis, ut* POSSENT, hoc eſt, inter tot, ac tantas tentationes voluntas tam fortiter amaret delectabile, ut nullo modo amaret juſtitiam, aut ſi amaret, tam debiliter amaret, ut ex volitione illâ communi non poſſet concludere hìc, & nunc, ea quæ ſunt juſtitiæ eſſe proſequenda.

XCIJ. Reddenſque rationem, cur homo ſanæ robuſtæque voluntatis divino munitus adjutorio tantâ facilitate corruerit; infirmiſſimus verò inſævientibus tentationum tempeſtatibus perſeveret; docet, quod homo ſanus per virtutem ſui arbitrij regebatur, homo autem infirmus per virtutem Dei; hoc eſt, quod voluntas ſana per vires tam naturales, quàm ſupernaturales mediante propriâ applicatione, & conſilio poterat bonum velle in particulari operabili; voluntas autem infirma id non poſſit ex propriâ applicatione, & conſilio, ſed per virtutem Dei, ſivè per ſpeciale auxilium, quo voluntas non ſe movet, & applicat, ſed movetur, & applicatur. *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia* INDECLINABILITER ET INSUPERABILITER *ageretur, & ideò quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliquâ vinceretur. Ita factum eſt, ut voluntas hominis invalida, & imbecilla in bono adhuc parvo perſeveraret per virtutem Dei, cùm & voluntas primi hominis fortis & ſana in bono ampliore non perſeveraverit.*

Quid enim congruentiùs ſapientiæ, & miſericordiæ Dei, quid ipſis naturis rerum magis conſentaneum, quàm ut voluntas robuſta valens ex præcedente actu, & mediante proprio conſilio ſe dirigere, regere, & gubernare in lege Domini, & operibus mandatorum, ſuæ optioni relinqueretur,

Digitized by Google

ſolo UNIVERSALIS PRÆDETERMINATIONIS auxilio adjuvanda, ita, ut poſſet in bono perſeverare, ſi vellet; infirma verò, quæ non valet ſe dirigere, & gubernare, fortiore *ſpecialis* PRÆDETERMINATIONIS auxilio muniretur, quo non poſſet ſolùm, ſi vellet, ſed quo vellet, & poſſet? Hoc eſt, quod profundiſſimam finiens diſputationem tandem concludit S. AUGUSTINUS dicens: *Fortiſſimo quippè dimiſit, atque permiſit facere quod vellet; infirmis ſervavit, ut ipſo donante, invictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere invictiſſimè nollent.*

§. VII. *Eadem concordia pro phyſicâ prædeterminatione.*

XCIIJ. Optandum certè omnibus Cordatis eſt, intrepidos gratiæ Chriſti defenſores fieri unanimes contra omnes gratiæ inimicos. Concordiâ res parvæ creſcunt, diſcordiâ maximæ dilabuntur. Gratia ſufficiens Moliniſtica, concordiâ Moliniſtarum apud plebem crevit, GRATIA DE SE EFFICAX, quam uterque Eccleſiæ Sol invictè defendit, parùm abfuit, quin diſcipulorum diſcordiâ dilaberetur. Verùm, potiùs cœlum & terra tranſibunt, quàm hæc gratia unum iota ſuæ efficaciæ ſit amiſſura: verbum enim Domini, ex quo ſuam habet efficaciam, permanet in æternum. Bonum ſemen, hanc, inquam, gratiam, ſeminaverat uterque Sanctus in cordibus diſcipulorum. Venit Molina, qui ſuperſeminavit Scientiæ Mediæ zizania, gratiam, videlicet, ſufficientem nullo ulteriori auxilio indigentem. Venerunt & quidam doctiſſimi, Moliniſtis è diametro oppoſiti, qui non diſtinguentes prædeterminationem univerſalem à ſpeciali, doctrinam S. AUGUSTINI de gratiâ, prædeterminationibus phyſicis, quaſi quibuſdam ſpinis, crediderunt ſuffocari: ſicque in Scyllam ſcientiæ mediæ, pro aliquo ſtatu, videntur incidiſſe. Ut ergo Scientia Media ab omni Cordato eliminetur, has ſpinas phyſicæ prædeterminationis apparentes eradicare hoc Paragrapho conabor, omnibus aculeis ſatisfaciens quibus doctrinam S. AUGUSTINI pungere videbantur. Sequentibus autem Paragraphis gratiam ſufficientem Moliniſticam, tamquam Scientiæ Mediæ zizania, in unum faſciculum ab utriſque diſcipulis rejiciendum colligari demonſtrabo. Ut ſic bonum ſemen, gratia, inquam, de ſe efficax in cordibus cordatis creſcere poſſit, varioſque in eis fructus gignere, quorum ſuavitate omnis inimicorum duritia vertatur in dulcedinem: datur enim ut cordis duritia auferatur.

XCIV. Septem aculei ſunt, quibus prædeterminatio phyſica doctrinam S. AUGUSTINI de gratiâ pungere aſſeritur. Illi enim, qui prædeterminationem phyſicam principiis S. AUGUSTINI putant adverſari, ad ſeptem capita revocant illius contrarietatem. Quibus ut ſatisfaciamus, eoſque ad concordiam reducamus, præmittenda eſt regula, ſecundùm quam de naturâ phy-

Digitized by Google

ſicæ prædeterminationis judicare oportet. Hæc regula non eſt alia, quàm ipſe actus, ad quem potentiam applicat, & prędeterminat: omnis ſiquidem motio ex ſuo termino ſpeciem, & naturam ſumit. Undè ſi actus ſit liber, prædeterminatio erit libera; ſi neceſſarius ſit actus, neceſſaria erit prædeterminatio. Si actus dat poſſe ad alium actum, prædeterminatio dabit etiam poſſe, ſi actus non dat poſſe ad alium actum, nec prædeterminatio ad unum actum dabit poſſe ad alium. Si deniquè unus actus ſit fortior alio, & prędeterminatio erit fortior aliâ prędeterminatione; ſi actus dependeat ab alio actu, dependebit quoque una prædeterminatio ab aliâ antecedente. Ita per diverſos actus diverſificatur phyſica prædeterminatio; hoc unum invariatum retinens, quòd ſit invictè efficax illius actus, ad quem immediatè applicat potentiam.

XCV. Recolendum quoque eſt, illud quod dixi num. 56. & 52. Effectum, ſcilicet, præcisè correſpondentem prædeterminationi ſecundùm ſe conſideratæ, eſſe, quòd actus egrediatur à principio; nam ſpecies & omnis modus actûs quantumvis ab eâ etiam cauſetur, non reducitur tamen ad eam ſecundùm ſe ſumptam, ſed ut potentiæ conjunctam, ejuſque virtute modificatam. Prout enim eſt applicatio potentiæ liberæ, prædeterminat ad actum liberum, facitque actum egredi à principio libero. Et prout eſt applicatio potentiæ determinantis ſe, facit actum egredi à determinante ſe. Quare ut rectè concipiatur modus, quo Deus fortiter, & ſuaviter omnem actionem prædeterminat, diſtinguendæ ſunt duæ actiones Dei, una, per quam producit principium, illudque adaptat ad actionem intentam: alia, per quam principium ſic adaptatum applicat ad actionem, quæ applicatio paſſivè accepta eſt ipſa phyſica prædeterminatio. Volens v. g. Deus, quòd Petrus amet liberè, primò adaptat voluntatem Petri ſub judicio indifferenti ad amorem, quo practicè judicat eſſe amandum, & ſpeculativè judicat aliquam rationem mali ineſſe amori, deindè voluntatem ſic adaptatam movet ad amandum. Motio igitur divina ut eſt applicatio voluntatis prædeterminat eam ad volendum; ut eſt applicatio voluntatis adaptatæ ſub judicio ad amorem, prędeterminat eam ad amandum; ut deniquè eſt applicatio voluntatis poſitæ ſub judicio ad amorem, non quocumque, ſed indifferenti, prædeterminat eam ad liberè amandum. His ritè intellectis omnis præfata contrarietas evaneſcet, ut per ſingula capita diſcurrendo perſpicuum erit.

I.

XCVI. Primum contrarietatis caput eſt, quòd prædeterminatio phyſica prorsùs deſtruat totam illam differentiam gratię Adami, & Chriſti, ſeu adjutorii *ſine quo non*, & adjutorii *quo*: ex eo quòd prædeterminatio illius ſit naturę, ut hoc ipſo quòd ponitur, ponatur actio, illâ non poſitâ, nunquam

fiat Illa enim eſt ipſiſſima deſcriptio adjutorii *quo*; nullo modo adjutorii *ſine quo non*, quod Adamo datum fuit.

Hæc contrarietas nulla eſt. Nam doctiſſimi illi Viri adjutorium *ſine quo non* conſtituunt in aliquo actu, ex quo Adam poterat perſeverare, ſi vellet. Ecce actus dans poſſe ad perſeverandum, prædeterminatio igitur phyſica ad iſtum actum dabit quoque poſſe ad perſeverandum, ſi homo voluerit: & ſicut non volet perſeverare, ſine alio actu, ità etiam non volet ſine aliâ prædeterminatione. Diſtinguendo igitur prædeterminationes, ſicut & actus, nulla poteſt eſſe quoad rem diverſitas inter utriuſque Solis diſcipulos. Certum autem eſt contrà Durandum, quòd quilibet actus debet eſſe à Deo, ut movente & applicante: & ſic in quolibet actu hæc duo poſſumus diſtinguere, actum ſcilicet & motionem, quâ fit actus; diſcipuli S. Augustini explicant adjutoria Dei ex parte actûs; diſcipuli verò S. Thomæ explicant ea ex parte motionis. Et in idem redit quoad actum ſubſequentem, quia primus actus, & prædeterminatio ad primum actum, non ponunt in numero in ordine ad cauſallitatem actûs ſubſequentis.

Eſt tamen in expreſſione aliqua differentia; ex eo quòd ſi actum dicamus eſſe adjutorium, tunc actus qui dat *poſſe* tantùm ad alium actum erit adjutorium *ſine quo non*. actus verò qui infallibiliter infert alium erit adjutorium *quo*. Et ſic adjutorium *ſine quo non* nunquam poterit coincidere cum adjutorio *quo*, ut benè docent diſcipuli S. Augustini. Verùm, ſi motionem quâ fit actus dicamus eſſe adjutorium, tunc una & eadem motio poterit eſſe adjutorium *ſine quo non*, & ſimul adjutorium *quo*, reſpectu tamen diverſorum actuum; Prædeterminatio enim ad primum actum, erit adjutorium *quo* reſpectu primi actûs, & adjutorium *ſine quo non* reſpectu ſubſequentis, ad quem primus actus dat poſſe. Undè adjutorium Adamo collatum, fuit adjutorium *ſine quo non* reſpectu actus perſeverandi, ſed fuit adjutorium *quo* reſpectu præcedentis actus, ex quo poterat Adam ſe applicare ad perſeverandum: in quantum fuit adjutorium *ſine quo non* Adam perſeveraret, requirebat aliud adjutorium *quo* actu perſeveraret; ideò dixit S. Augustinus, quòd Adam acceperit adjutorium perſeverantiæ, non *quo* fieret, ut perſeveraret; ſed *ſine quo* per liberum arbitrium perſeverare non poſſet.

XCVII. Si autem certum ſit contra Durandum, quòd quilibet actus debet eſſe ex motione ſivè concurſu Dei, non minùs certum erit juxta principia S. Augustini, illam motionem quâ Deus concurrit ad actum, ex ſuâ efficaciâ inferre actum. Nam efficaciam gratiæ ad ipſam Dei omnipotentiam reducit S. Augustinus, quæ non minùs eſt cauſa actionum naturalium, quàm ſupernaturalium. Et ad hanc univerſalitatem divinæ efficaciæ abſque diſtinctione recurrit S. Augustinus, quotieſcumque vult probare efficaciam gratiæ, ut inter alia loca patet ex lib. de correpț. & gratiâ, cap. 14.

Digitized by Google

ubi rationem dictam aſſignat, dicens: *Sine dubio habens humanorum cordium quò voluerit inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem.* Et lib. de prædeſt. SS. cap. 20. ait: *Dum Deus vult fieri quod non niſi volentibus hominibus vult fieri*, INCLINARI EORUM CORDA, UT HOC VELINT, *eo ſcilicet inclinante, qui in nobis mirabili modo & ineffabili operatur & velle.* Quid eſt INCLINARI CORDA, UT VELINT, niſi prædeterminari ad volendum? aliud eſt quòd cor inclinetur, aliud eſt quòd velit; ſi idem eſſet *inclinari*, ac *velle*, nugaretur S. Augustinus, dum ait quòd corda INCLINANTUR, UT HOC VELINT, eſſet enim idem, ac ſi diceret, *corda volunt, ut velint.* Diſtinguuntur ergo *inclinari*, & *velle*, & ipſum *inclinari* eſt cauſa ipſius *velle*, ſiquidem corda INCLINANTUR, UT VELINT. Si de vocibus non ſit diſputatio nihil poteſt dici expreſſius pro phyſicâ prædeterminatione. Nam Thomiſtæ per phyſicam voluntatis prædeterminationem, nihil aliud intelligunt quàm paſſivam hanc inclinationem, ſivè motionem, quæ ſit volitionis cauſa.

Sed quandò INCLINANTUR CORDA UT VELINT, ſivè ut dictum eſt, quandò phyſicè prædeterminantur? Reſpondet S. Augustinus, quandò *Deus vult fieri quod non niſi volentibus hominibus vult fieri.* Ergo ad omnem actionem, quam Deus vult fieri per voluntatem hominis, inclinatur ejus voluntas, *ut velit*, ſivè quod idem eſt, prædeterminatur ad volendum, *eo ſcilicet inclinante*, ſivè prædeterminante, *qui in nobis mirabili modo & ineffabili operatur & velle.*

IJ.

XCVIIJ. Secundum contrarietatis caput eſt, quòd prædeterminatio phyſica facit ut liberum arbitrium non ſolùm velle, & operari poſſit, ſed etiam ſemper actu velit, & operetur. Tale autem adjutorium ſtanti homini, aut Angelo datum non fuit, ſed lapſis poſteris reſervatum. *Primo homini*, inquit S. Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 12. *Datum eſt adjutorium perſeverantiæ non quo fieret ut perſeveraret; ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet.* Et inferiùs: *habens virtutem liberi arbitrii, quamvis non defuturo adjutorio Dei, ſine quo non poſſet perſeverare ſi vellet: non tamen tali quo in illo Deus operaretur ut vellet.*

Hæc ſecunda contrarietas ex iis, quę in primâ dicta ſunt, diſolvitur. Nam dictum eſt, quòd ipſum adjutorium *ſine quo non* collatum Adamo ſit quædam prædeterminatio phyſica, ad illum ſcilicet actum, ex quo oriebatur in Adamo poteſtas applicandi ſe ad perſeverandum, cui ad actualem perſeverandi applicationem debebat conjungi alia phyſica prædeterminatio, ſicut & alia actualis volitio perſeverandi. Non igitur rejicienda eſt prædeterminatio phyſica, ſed diſtinguenda, una quæ ſit adjutorium *ſine quo non*, alia quæ ſit adjutorium *quo*. Nam ubi ſunt actus diſtincti, ibi ſunt præde-

Digitized by Google

terminationes diſtinctæ. Unanimes igitur ſint intrepidi perfectę gratiæ defenſores contra Moliniſtas, qui nullum adjutorium *quo* admittunt, ne arbitrii lædatur libertas, quæ potiùs tantò major, & actualior eſt, quantò magis ſuo Creatori ſubjicitur.

I I J.

XCIX. Tertium contrarietatis caput eſt; quia prædeterminatio phyſica talis naturæ eſt, ut non relinquatur in libertate voluntatis eam amplecti, vel non amplecti, ſed ſemper invictè facit, ut eam voluntas amplectendo conſentiat. Tale autem non fuit adjutorium Adæ, aut Angelorum, utpotè quod in libero eorum arbitrio relictum fuit: *Nec ipſum ergo eſſe Deus voluit ſine ſuâ gratiâ, quam reliquit ejus libero arbitrio*, S. August. lib. de corrept. & grat. cap. 11.

Tertia hæc contrarietas evaneſcit, ſi prædeterminatio univerſalis diſtinguatur à ſpeciali. Nam ubi ſolùm eſt indigentia auxilii univerſalis, ibi actus relinquitur libero arbitrio; ex eo quòd prædeterminatio univerſalis præſuppoſit completum poſſe, & cùm ſit dependens à præcedente actu & conſilio voluntatis, uſus potentiæ, quam applicat non tribuitur Deo, ſed libero arbitrio, ut dictum eſt num. 75. Cùm ergo talem gratiam Deus dederit Adamo, & Angelis, ut ſolo concurſu generali prædeterminantè indigerent, quo Deus in omni operante operatur, erat in poteſtate liberi arbitrii uti gratiâ, & non uti; ſicut in noſtrâ poteſtate eſt uti membris noſtris, & non uti, licet non iis utamur ſine concurſu prævio.

I V.

C. Quartum contrarietatis caput eſt, quia prædeterminatio phyſica nunquam deſeritur à voluntate, ſed ipſa potiùs facit, ne à voluntate deſeratur. Adjutorium autem Adami nullo modo iſtius conditionis fuit: ſiquidem S. Augustinus lib. de corrept. & grat. c. 11. dicit: *Quod adjutorium, ſi homo ille per liberum non deſeruiſſet arbitrium, ſemper eſſet bonum; ſed deſeruit, & deſertus eſt.* Et exactiùs declarans naturam ejus: *Tale quippè erat adjutorium, quod desereret ſi vellet. & in quo permaneret ſi vellet; non quo fieret ut vellet.* Et paulò inferiùs non minùs luculentè: *Sic adjuvabatur, ut ſine hoc adjutorio in bono non remaneret; ſed hoc adjutorium ſi vellet, deſereret.*

Hæc quarta contrarietas aliquid apparentię videtur habere, nihil tamen in re. Talis eſt prędeterminatio, qualis eſt actus, ad quem prædeterminat. Si actus poteſt deſeri; & prædeterminatio ad illum actum poteſt deſeri; & ſi in actu poteſt voluntas perſeverare, & in adjutorio phyſicæ prædeterminationis poterit voluntas permanere ſi voluerit. Deus ita prædeterminavit Adamum ad amorem juſtitiæ, ut ex illo amore proximè potens eſſet, vel

illum

Digitized by Google

illum continuare, vel illum deſerere: ac proindè & in illo adjutorio permanere, aut illud deſerere. Illa prædeterminatio erat ſufficiens ad amorem juſtitiæ, & indè ortam poteſtatem; ſed ad volendum amorem continuare opus erat aliâ prædeterminatione, quâ vellet in amore perſeverare. Quidquid igitur diſcipuli S. Augustini tribuunt amori, in quo poſitus fuit Adam, hoc idem tribuunt diſcipuli S. Thomæ motioni quâ ſit amor: quæ prædeterminatio fuit quidem auxilium *quo* reſpectu amoris, ſed auxilium *ſine quo non* reſpectu perſeverantiæ. Nec Adam deſerendo hanc prædeterminationem, fruſtravit illam, cùm ad eam ſufficeret, quòd unico inſtanti amaſſet: ad ulteriùs autem amandum debet adeſſe, vel alia prædeterminatio, vel, quòd idem eſt in præſenti, prioris continuatio; quæ tamen continuatio per voluntatem non perſeverandi poterat impediri, ſicut de facto fuit impedita.

V.

CJ. Quintum contrarietatis caput eſt, quia gratia prædeterminationis phyſicæ ſi non detur homini, non idcircò à culpâ excuſatur: alioquin enim omnes peccatores qui juſtitiam deſerunt, & phyſicâ prædeterminatione ad perſeverandum, & juſtè vivendum carent, ſine culpâ caderent. Adjutorium verò Adami, & Angelorum hujuſmodi fuit, ut niſi eis datum fuiſſet, ſine culpâ cecidiſſent. Ita S. Augustinus lib. de corrept. & grat. c. 11. *Si autem adjutorium hoc vel Angelo, vel homini, cùm primùm facti ſunt, defuiſſet, non utiquè ſuâ culpâ cecidiſſent. Adjutorium quippè defuiſſet, ſine quo manere non poſſent.*

Deficit hæc contrarietas hoc ipſo, quòd adjutorium *ſine quo non* datum Angelo, & Adamo, fuit ad actum dantem eis poteſtatem perſeverandi, & ideò ſi tale prædeterminationis adjutorium, cùm primùm facti ſunt, non habuiſſent, non utiquè ſuâ culpâ cecidiſſent, defuiſſet enim illis poteſtas perſeverandi, ſivè adjutorium *ſine quo* manere *non* poſſunt. Signanter dixit S. Augustinus, *Cùm primùm facti ſunt*, ut inſinuaret, nullum adjutorium *ſine quo non* defuiſſe Adamo, & Angelo, ſivè, quod idem eſt, nihil eis defuiſſe ex parte *poſſe*, eo quòd ſi aliquid ex parte *poſſe* eis, *cùm primùm facti ſunt*, defuiſſet, culpa in Deum refunderetur, quæ, cùm eſſet primum peccatum non poterat ex concupiſcentiâ, & errore committi. Nunc autem abſtractione concupiſcentiæ in pœnam peccati originalis permanente, deeſt homini infirmo poteſtas ſe ad bonum applicandi, ac perindè aliquod adjutorium *ſine quo non*, amor ſcilicet juſtitiæ in particulari operabili, ſine quo non valet præceptum implere. Nec tamen à peccato excuſatur, quia huic poteſtati liberum ponit obſtaculum, ad amorem contrarium ſe liberè applicando.

VJ.

CIJ. Sextum contrarietatis caput eſt, quia prædeterminatio illa phyſica

Digitized by Google

deſtruit prorsùs magnam illam libertatem, & benè vivendi poteſtatem, quam Augustinus, Pontifices, & Concilia nos in Adamo amiſiſſe teſtantur. Nam illa libertas in eo ſita erat, quòd homo per liberum arbitrium ſicut malè vivere poterat, ita etiam benè: ſic videlicet, ut non eſſet neceſſe voluntatem illam benè vivendi per gratiam pręparari, ſicut nunc per lapſum eſt neceſſarium, quando Deus per gratiam in homine operari debet, ut velit, & faciat. Quòd ſi etiam tunc debeat per phyſicam iſtam prædeterminationem fieri, ut potè cujus iſte proprius effectus eſt, jam funditùs illa doctrina S. Augustini, & Conciliorum labefactāta corruet.

Diſtinguamus prædeterminationes, & corruent hujus contrarietatis rationes. Ex iis quæ hucuſque in hoc Articulo diximus, liquet, prædeterminationem univerſalem, quæ reſpectu voluntatis dependet à *præcedente actu & conſilio*, non tollere quin actus ſit in poteſtate voluntatis, eique tribuatur cum æquali poteſtate contrarium faciendi. Et ſic indigentia hujuſmodi prædeterminationis in nullo præjudicat doctrinæ S. Augustini, & Conciliorum. Verùm prædeterminatio ſpecialis independens *ab aliquo actu præcedente, & conſilio*, quâ indiget homo infirmus, tollit, quòd actus ſit in poteſtate voluntatis, eique tribuatur, ex eo quòd voluntas in hujuſmodi actu, non ſit movens, ſed mota, Vide paragraphos præcedentes, & art. 5. cap. 1.

Concipienda enim eſt differentia hominis ſani ab infirmo, quodammodò ſicut differentia Religioſi à ſæculari, qui eaſdem actiones prorsùs faceret, ac Religioſus. Tota differentia Religioſi, & prædicti ſæcularis conſiſtit in modo operandi, nempè, quòd propriâ voluntate, & conſilio omnes actiones faciat, Religioſus verò eaſdem faciat non ſe movens & dirigens, ſed alienâ voluntate, & conſilio motus, & directus. Ita indigentia prædeterminationis univerſalis in homine ſano non impediebat, quin homo ſanus in actibus fidei, ſpei, & charitatis, ſe moveret, ac proprio conſilio dirigeret. Prædeterminatio autem ſpecialis ad eoſdem actus in homine infirmo, facit quòd ſit à Deo motus, ejuſque conſilio directus, & gubernatus, non verò ad eos ſe moveat, & dirigat. Juxta illud Rom. 8. *Quicumque ſpiritu Dei aguntur, hi filii Dei ſunt.*

VII.

CIIJ. Septimum contrarietatis caput eſt, quia prædeterminatio illa phyſica libero arbitrio, merita, & eorum mercedem invictè donat. Hoc autem adjutorium Adami, & Angelorum nullo modo faciebat.

Eodem modo ſolvitur hæc ultima contrarietas, ac præcedens. Eſt enim ſequela præcedentis. Tunc actus dicitur à Deo dari; quando ita eſt à Deo ut non ſit *applicativè* à libero arbitrio, ſed ſolùm *elicitivè*; quandò verò actus tam *elicitivè*, quàm *applicativè* eſt à libero arbitrio: eo quod ex præcedente

Digitized by Google

actu, & conſilio fiat, tunc non dicitur à Deo dari, etiamſi non fiat ſine concurſu Dei prævio; niſi eo modo quo actiones liberi arbitrii naturales, & artis dicuntur à Deo dari, quæ tamen omnes tribuuntur libero arbitrio, quantumvis debeat ad eas prædeterminari. Cujus ratio eſt, quòd actionem voluntatis eſſe ſpeciale donum Dei, non tam accipitur ex ordine ad objectum, quàm ex modo operandi. Undè illa actio, etiamſi ſit ſupernaturalis, non erit ſpeciale donum Dei, ſi ſit *applicativè* à libero arbitrio. E contrà actio naturalis erit ſpeciale donum Dei ſi non ſit *applicativè* à libero arbitrio. Vide num. 74.

Cùm ergo adjutorium datum Adamo, & Angelis daret illis poteſtatem ſe applicandi, actus illorum non erant ſpecialia dona Dei; ſecùs eſt de actibus bonis hominis infirmi, qui fiunt auxilio Gratiæ victricis et Prædeterminantis. Nam hæc gratia ita applicat liberum arbitrium ad volendum, ut ex præcedente actu non ſe applicet: & licet per gratiam cooperantem ſe applicet liberum arbitrium, quia tamen gratia cooperans innititur gratiæ operanti, etiam actus gratiæ cooperantis dicitur à Deo ſpecialiter dari; eo modo, quo ea quæ ſubſequuntur primam gratiam dicuntur etiam gratis dari, quia in virtute primæ gratiæ gratis datæ donantur.

CIV. Ex quibus omnibus liquidò conſtat, nullam eſſe neceſſitatem diſcipulis S. Augustini pro gratià primi hominis, & Angelorum, recedendi à diſcipulis S. Thomæ, & confugiendi ad concurſum Moliniſticum, qui planè evertit principia gratiæ de ſe efficacis, quam utrique diſcipuli contra Moliniſtas invictè defendunt. Nam hæc principia ſunt ipſa decreta divina de ſe efficacia fundata in omnipotentiſſimâ illâ humanorum cordium, quo Deus voluerit inclinandorum poteſtate; cum quibus impoſſibile eſt ſtare concurſum Moliniſticum; eo enim Deus inclinat corda hominum, non quò voluerit, ſed quò inclinanda ipſe prævidit: ita ut ipſa præſcientia tribuat decretis efficaciam, non verò decreta ipſi præſcientiæ tribuant certitudinem; & conſequenter ideò res præſciri à Deo, quia futuræ ſunt, non verò ideò eſſe futuras, quia præſciuntur. Quibus nihil capitalius principiis S. Augustini, nihil quod ejus doctrinæ magis ex diametro repugnet, effingi poteſt. Ipſe enim in Enchirid. ad Laur. cap. 95. explicans hæc verba Pſalmi, *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit*, addit; *quod non eſſet verum ſi aliqua voluit facere, & non fecit. Et quod eſt indignius: ideò non fecit, quia ne fieret, quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impedivit.* Et poſt pauca: *hoc niſi credamus, periclitatur ipſum noſtræ fidei confeſſionis initium, quâ nos in Deum Patrem Omnipotentem credere, confitemur. Nec enim ob aliud veraciter vocatur Omnipotens, niſi quia quidquid vult, poteſt, neque voluntate cujuſpiam creaturæ, voluntatis Omnipotentis impeditur effectus.* Et lib. 15. de Trinit. cap. 13. *Univerſas autem creaturas*

Digitized by Google

& ſpirituales, & corporales, non quia ſunt, ideò novit, ſed ideò ſunt, quia novit; quia ergo ſcivit, creavit: non quia creavit, ſcivit. Si ſemel unum actum liberi arbitrii bonum poteſt Deus decernere decreto de ſe efficaci, cur non & omnes bonos? ſi poteſt omnes, ſine dubio fecit, *qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ*, Epheſ. 1. Si deniquè omnes actus liberi arbitrii bonos decrevit Deus decreto ſuo de ſe efficaci; executio prædicti decreti non poteſt eſſe indifferens; ad quid igitur concurſus indifferens Moliniſticus, niſi ad inflationem liberi arbitrii, & muſcipulam pedibus inſipientium? Vide pro hàc concordiâ a. 5. cap. 1. & infrà §. 5. art. 4.

§. VIIJ *Similis concordia contra gratiam ſufficientem Moliniſticam.*

CV. EVulſis prædeterminationis phyſicæ aculeis quibus hæc prædeterminatio doctrinam S. Augustini de gratiâ primi hominis, & Angelorum pungere à diſcipulis Sancti ejuſdem Doctoris videbatur; neceſſe eſt ad perfectam intentionis noſtrę concordiam oſtendere, gratiam ſufficientem Moliniſticam, tanquam ſcientiæ mediæ zizania, in unum faſciculum igni ſtrictioris examinis deputandum ab omnibus utriuſque Solis diſcipulis concorditer colligari. Gratia autem ſufficiens Moliniſtica dicitur, quoad pręſens intentum, gratia dans *poſſe* à libero arbitrio ſine ulteriori auxilio determinandum; quod *poſſe*. omnibus datur, ut poſſibilitas implendi præcepta ſalvetur. Si igitur oſtendero ſecundùm utriuſque Solis diſcipulos hominem infirmum indigere auxilo efficaci adjuvante *poſſe*, prædictumque auxilium non omnibus dari, ad intentam diſcipulorum utriuſque Solis concordiam, contra gratiam ſufficientem Moliniſticam, favente Deo perveniam. Primum præſenti Paragrapho perficiam, triplici ratione demonſtrans, hominem quantumcumque juſtificatum, & quâcumque gratiâ datâ per modum actûs primi, adhuc indigere auxilio efficaci adjuvante *poſſe*.

CUJ. Prima ratio ex ipsâ hominis infirmitate ſic formatur. Auxilium vincens concupiſcentiam, & tollens ignorantiam eſt auxilium efficax adjuvans *poſſe*: ſed homo infirmus quâcumque gratiâ datâ per modum actûs primi, adhuc indiget auxilio vincente concupiſcentiam, & tollente ignorantiam; ergo homo infirmus quâcumque gratiâ datâ per modum actûs primi indiget auxilio efficaci adjuvante *poſſe*. Major patet, quia concupiſcentia actualis, & ignorantia agendorum impediunt ne fiat actus præceptus; impedimentum autem potentię tenet ſe ex parte *poſſe*; ergo auxilium vincens concupiſcentiam & tollens ignorantiam, ex quâ parte vincit concupiſcentiam, & tollit ignorantiam agendorum hîc & nunc, erit efficax: ex illâ verò parte quâ removet potentiæ impedimentum erit adjuvans *poſſe*.

Digitized by Google

Minor inficiari non poterit, ſi ea quæ de impotentiâ hominis infirmi dicta ſunt ritè perpendantur. Nam hæc impotentia, per quam conſtituitur hominis infirmitas, non oritur ex indigentiâ alicujus principii ſupernaturalis, cùm in naturâ ſanâ ſimilis indigentia inveniatur: ſed oritur ex actuali motu concupiſcentiæ, & carentiâ actualis cognitionis agendorum hîc & nunc: quæ æqualiter ſe habent ad actus naturales & ſupernaturales. Non minùs principium naturale impeditur à ſuo actu dum inſurgit concupiſcentiæ motus, quàm impediatur principium ſupernaturale ex abſtractione ejuſdem concupiſcentiæ. Ideò Doctor Angelicus num. 76. relatus aſſignans rationem, quarè præter auxilium generale indigeat homo infirmus alio ſpecialiori auxilio, non recurrit ad actus ſupernaturalitatem, ſed ad ipſam carnis infectionem, & ignorantiæ obſcuritatem.

Quidquid igitur detur homini infirmo, ſivè naturale, ſivè ſupernaturale, ſi non vincat motum actualem concupiſcentiæ, & tollat prædictam ignorantiam, nunquam tollet hominis impotentiam, nec perfectè ſanabit ejus infirmitatem. Actualis concupiſcentia ſolummodò vincitur, quando homo fortiùs amat juſtitiam, quàm bonum concupiſcentiæ. Cùm enim ea proſequatur homo quæ fortiùs amat, nunquam poterit ea quæ ſunt juſtitiæ proſequi renitente actuali concupiſcentiâ, ſi non amet fortiùs juſtitiam, quàm bonum concupiſcentiæ Hunc autem fortiorem amorem juſtitiæ, non poteſt homo infirmus renitente actuali concupiſcentiâ ſibi tribuere ex aliquâ volitione præcedenti: quia præcedens illa volitio ſolùm attingit objectum ſub aliquâ ratione univerſali, actualis autem motus concupiſcentiæ, & amor delectabilis indè ortus, ſub ſpeciali ratione impellunt voluntatem in objectum concupiſcentiæ: & conſequenter vincet amor delectabilis, niſi ſpeciali auxilio gratiæ operantis & prædeterminantis inſpiretur fortior amor juſtitiæ: ſiquidem rationes univerſales minùs movent, quàm rationes particulares, eo quòd actiones in particularibus ſunt, ut docet D. Thomas in prologo 2. 2.

Colligitur hæc ratio ex Augustino lib. 2. de peccat. merit. cap. 17. ubi ait: *Nolunt homines facere quod juſtum eſt, ſivè quia latet an juſtum ſit, ſivè quia non delectat. Tantò enim quidque vehementiùs volumus, quantò certiùs quàm bonum ſit novimus, eoque delectamur ardentiùs. Ignorantia igitur & infirmitas vitia ſunt quæ impediunt voluntatem ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum. Ut autem innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non latebat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates.* Item ad ſimplicianum lib. 1. q. 2. ait: *Quis autem animo amplectitur aliquid quod eum non delectas? aut quis habet in poteſtate, ut vel occurrat quod eum delectare poſſit, vel delectet cùm occurrerit? cùm ergo nos ea delectant quibus proficimus ad Deum, inſpiratur hoc, & præbetur gratia Dei; non nutu noſtro, & induſtriâ, aut operum meritis comparatur.*

Digitized by Google

Nota, quòd delectatio apud S. Augustinum eſt illa complacentia boni quam cauſat objectum amoris, & conſequenter eſt ipſe amor, qui erit liber, ſi judicio indifferenti reguletur, amor enim eſt primus motus voluntatis, & prout eſt ipſa boni complacentia dicitur delectatio à S. Augustino. Undè dum ait, gratię Dei eſſe, *Ut ſuave fiat, quod non latebat*, Idem eſt ac ſi diceret, ut *ametur, & complacentiam ſui cauſet quod non latebat*. Hic amor quantumvis ſit liber, non tamen eſt in poteſtate voluntatis, ut occurrat ei objectum quod amet, nec eſt in poteſtate illius quòd objectum apprehenſum judicetur practicè eſſe amandum, & ſui complacentiam cauſet. Et ideò quandò ea quæ ſunt juſtitiæ, occurrunt nobis, & quando illa, dum occurrunt judicamus practicè eſſe amanda, *inſpiratur hoc, & præbetur gratiâ Dei; non nutu noſtro, & induſtriâ, aut operum meritis comparatur.*

CVIJ. Secunda ratio ex naturâ auxilii ſpecialis petitur, & in hunc modum formari poteſt. Auxilium movens ad actum non præſupponendo vires ſufficientes eſt auxilium efficax adjuvans *poſſe*; ut enim movet ad actum eſt efficax, ut verò non pręſupponit vires ſufficientes debet eas adjuvare: ſed homo infirmus indiget auxilio movente ad actum non præſupponendo vires ſufficientes: ergo indiget auxilio efficaci adjuvante *poſſe*. Probatur minor. Auxilium dans *velle* independens ab actu præcedente non debet præſupponere in voluntate vires ſufficientes ad faciendum quod volitum eſt; quia cum tale auxilium ſit à ſolo Deo dependens, qui poteſt & voluntatem faciendi v. g. quæ juſta ſunt, & vires ad perficiendum tribuere, in poteſtate Dei eſt priùs dare voluntatem faciendi, & poſteà dare vires ad perficiendum. Dictum autem eſt ſuprà num. 75. quòd homo infirmus indigeat auxilio dante *velle* independenter ab actu præcedente: ergo, &c.

Confirmatur primò hoc exemplo ſenſibili. Ut quis velit pingere ex propriâ applicatione & directione, debet priùs habere artem pingendi. Si autem eſſet quidam tam inſignis Pictor, qui movendo & dirigendo manum ſervi faceret illum rectè pingere: tunc ſervus imperante domino volet efficaciter pingere, abſque eo quod priùs habeat artem pingendi: ſiquidem non pingit proprio conſilio, & arte, ſed domini ſui pictoris conſilio, & arte: in cujus poteſtate eſt facere, quòd ſervus rectè pingat. Ita qui poteſt credere ex propriâ applicatione dando ſibi *velle* debet priùs habere vires ſufficientes, & omne auxilium *ſine quo non*. Verùm ille qui ſolùm poteſt credere, ex ſpeciali prædeterminatione accipiendo voluntatem credendi, non debet ante iſtam volitionem habere vires ſufficientes ad credendum, ſed ſufficit, quòd Deus cum voluntate credendi det illi vires ſufficientes ad credendum.

CUIIJ. Confirmatur ſecundò. Homo infirmus, quâcumque gratiâ datâ, non poteſt ſe applicare ad volendnm credere; ergo homo infirmus non habet ſufficiens poſſe ad credendum. Prob. Ant. Poteſtas ſe applicandi ad volendum

Digitized by Google

credere prædeterminatur ex præcedente actu, & conſilio: ſed auxilium hominis infirmi non prædeterminat ad volendum credere ex præcedente actu, & conſilio: ergo homo infirmus non poteſt ſe applicare ad volendum credere, quamcumque gratiam habeat. Major patet, quia voluntas, ut dictum eſt ex D. Thomâ nu. 76. in primo actu non ſe applicat, ſed à ſolo Deo applicatur. Ut ſit ergo potens ſe applicandi, debet habere aliquem actum, qui ſit cauſa alterius: mediante enim primo actu facit ſe velle ſecundum actum. Minor prob. Auxilium prædeterminans ex precedente actu, & conſilio, non tollit quin actus ſit in poteſtate liberi arbitrii, eique tribuatur, non verò auxilio prædeterminanti: ut patet in operibus artificioſis, & actibus ſaltandi, ludendi, ambulandi, *&c.* qui actus dicuntur eſſe in noſtrâ poteſtate, ſubdunturque libero arbitrio quoad uſum, eique tribuuntur: quia illos facimus quandò volumus, & quandò non volumus facere, non facimus: & tamen ad omnes illos debemus phyſicè prædeterminari; ergo auxilium prædeterminans ad aliquem actum ex prȩſuppoſitâ voluntate, & conſilio non tollit, quin actus ſubdatur libero arbitrio, eique quoad uſum tribuatur. Auxilium autem hominis infirmi tollit, quòd actus tribuatur libero arbitrio, ſitque in illius poteſtate: non igitur poterit prædeterminare ad volendum credere ex prȩſuppoſitâ voluntate, & conſilio.

Nec valet dicere, quòd opera naturalis ordinis poſſunt ſubdi libero arbitrio, eique quoad uſum poteſtatis naturalis tribui; ſecùs verò opera ſupernaturalia, quæ eliciuntur à principio ſupernaturali gratis dato. Hoc, inquam, non valet; quia ideò opera naturalia tribuuntur libero arbitrio, & omnis virtus naturalis dicitur ei ſubdita quoad uſum; quia mediante actu naturali ſe applicat ad illa facienda, etiamſi indigeat prædeterminatione phyſicâ naturalis ordinis: ergo ſi liberum arbitrium per gratiam elevatum mediante actu ſupernaturali ſe applicet ad opera ſupernaturalia, poterunt etiam iſta tribui libero arbitrio elevato, & gratia, omniſque virtus infuſa verè dicetur ſubdi libero arbitrio elevato quoad uſum, etiamſi indigeat prædeterminatione phyſicâ ſupernaturalis ordinis. Nam ſicut opera naturalia tribuuntur libero arbitrio, non ſoli Deo prædeterminanti naturaliter; ita opera ſupernaturalia tribuuntur libero arbitrio elevato, non ſoli Deo prædeterminanti ſupernaturaliter.

Ut ergò opera, ſivè naturalia, ſivè ſupernaturalia tribuantur ſoli Deo prȩdeterminanti; & ut virtus, ſivè naturalis, ſivè ſupernaturalis non ſubdatur quoad uſum libero arbitrio, ſed ſoli Deo prȩdeterminanti, debet Deus prȩdeterminare voluntatem independenter à præſuppoſitâ voluntate, & conſilio: tunc enim totus actus tribuitur ſoli Deo, eſtque Dei ſpeciale donum. Sicut actus pingendi tribuitur pictori, non ſervo, qui ex ſolâ Domini applicatione, & directione rectè pingit. Nam hoc ipſo quod dominus moveat manum

ſervi, & hic eam non moveat, actus pingendi totaliter tribuitur domino pictori, & non ſervo.

CIX Hanc duplicis prædetermiuationis diſtinctionem non ex naturalitate, & ſupernaturalitate ortam, ſed ex diverſo modo operandi petitam, vellem ut atteuderent, quotquot nihil aliud, niſi operis boni ſupernaturalitatem cogitant, & inculcant, cùm de gratiæ neceſſitate diſputant. Hoc enim gratiæ prædeterminantis diſcrimen, diſtinctionem gratiæ medicinalis, à gratiâ ſanitatis à S. Augustino, ſuiſque diſcipulis traditam apertè ſalvat: ideòque poteſt dici doctrinæ de gratiâ ab Augustino traditæ baſis; vera clavis, quâ aditus in ſcripta ejus aperiendus eſt; annulus, qui cæterorum dogmatum catenam trahit; & veluti filius Ariadneus, quo niſi quis regatur, tota ejus doctrina merus labirinthus erit, ut art. 5. cap. 1. invictè demonſtravimus.

Secundùm hanc diſtinctionem verificatur, quod quidam dixit, *Adjutorium collatum Adamo in ſtatu innocentiæ, quantæcumque fuerit excellentiæ, non ad actum voluntatem concitavit, ſed ab illâ concitatum fuit, debuitque à liberi arbitrii, veluti Angeli impulſu, expectare aquæ motum, ut vel quieſceret, vel ad influxum operi conferendum ipſo annuente raperetur.* Quod non eſt ita intelligendum, ut nullâ gratiâ prædeterminante indigeret; ſed hoc ipſo quòd prædeterminabatur ex præcedente voluntate, & conſilio, prædicta omnia verificantur; ſicut nullus Thomiſta negabit quin potentia naturalis, & habitûs, quantęcumque fuerit excellentiæ, non ad actum voluntatem concitet, ſed ab illâ concitetur, debeatque à liberi arbitrii, veluti Angeli impulſu expectare aquæ motum, ut vel quieſcat, vel ad influxum operi conferendum ipſo annuente rapiatur. Hęc de potentiâ, & habitu naturali verè dicuntur, licet debeat liberum arbitrium à Deo prædeterminari; cur ergo non ita de gratiâ & habitibus ſupernaturalibus, quamvis egeant gratiâ prædeterminante? cùm ratio veritatis utrobique ſit, quòd prædeterminatio fiat dependenter à voluntate præſuppoſitâ, & conſilio: ubi enim prædeterminatio fit independenter à voluntate, & conſilio præcedente, nihil horum verificari poteſt, ut contingit in homine infirmo.

Hâc deniquè diſtinctione gratia prędeterminans ubique firmatur, & ſola gratia ſufficiens Moliniſtica exploditur. Et ne quis Moliniſta novitatis eam notet, audiat Cajetanum docentem eam 1. 2. q. 111. a. 2. *Nam facere ut velimus, non contingit uno modo, ſed duobus, ſcilicet, ut velimus movendo nosipſos ad hoc* (ecce prædeterminatio quam vocamus univerſalem) *& ut velimus moti tantùm ab ipſo*, en prędeterminatio ſpecialis. vide art. 5. cap. 1.

CX. Tertia demùm ratio ex precibus Eccleſię, ſub hâc formâ proponitur. Actus precibus impetrandus exigit auxilium efficax adjuvans *poſſe*: ſed adimpletio præcepti in homine infirmo eſt actus precibus impetrandus: ergo

adimpletio

Digitized by Google

adimpletio præcepti in homine infirmo exigit auxilium efficax adjuvans *poſſe*. Prob. Major. Actus qui non eſt in hominis poteſtate exigit auxilium adjuvans *poſſe*: Actus autem precibus impetrandus non eſt in hominis poteſtate: *Nam quid ſtultius*, inquit S. Aug. de nat. & grat. c. 18. *quàm orare ut facias quod in poteſtate habeas*. Pro Minore attende ſolummodò preces Eccleſiæ, ubiquè audies, *Fiat voluntas tua: da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua; utinam dirigantur viæ meæ; Averte oculos meos ne videant vanitatem; Greſſus meos dirige ſecundùm eloquium tuum*. Probat etiam Minorem celebre illud dictum S. Augustini, *Da quod jubes, & jube quod vis*. Vide ſuprà Cenſuras aſſertionis 3. relatas num. 34

Ut hæc ratio in ſuâ vi percipiatur, attentè obſervandum eſt, indigentiam concursûs generalis (ſivè ſit ſecundùm Moliniſtas pediſſequus, ſivè ſit ſecundùm veritatem prævius) non inducere neceſſitatem orationis: quia cùm neceſſitas orationis ſit ſolùm pro actibus qui non ſunt in noſtrâ poteſtate, ut ait S. Augustinus, & illi actus, qui ſunt in noſtrâ poteſtate, indigeant etiam concurſu generali, clarum eſt, quòd ſola indigentia concursûs generalis non inducat neceſſitatem orandi. Undè oportet nos, dum oramus indigere aliquo ſpeciali auxilio: hæc autem ſpecialitas non poteſt oriri ex ipſo actu, ſiquidem auxilium nihil aliud conferens quàm actum, ſivè auxilium purè applicans ad actum, non tollit quin actus ſit in noſtrâ poteſtate, & conſequenter extra neceſſitatem orandi. Nec illa ſpecialitas poteſt oriri ex ſupernaturalitate actûs; quia ſufficiens *poſſe* ſupernaturale non minùs facit actum eſſe in noſtrâ poteſtate, quàm ſufficiens *poſſe* naturale, & ideò auxilium ſupernaturale purè applicans non magis inducet neceſſitatem orandi, quàm auxilium naturale purè applicans. Oportet igitur, ut ſpeciale auxilium inducens neceſſitatem orandi conferat aliquid ex parte *poſſe*, & in hoc conſiſtat ejus ſpecialitas. Etenim non carentia actûs, ſed virium indigentia facit nos orare. Vide §. 4. & 5. art. 5. cap. præc.

Hàc ratione non urgetur gratia ſufficiens & efficax oblata; ſiquidem quod offertur, adhuc debet peti, ut donetur. Sed mirum in modum anguſtiatur gratia ſufficiens Moliniſtica. Nam Moliniſtę Deum deprecanti ut tentationem vincat, pręceptum impleat, *&c.* Deus juſtiſſimè reſpondebit. Quid me deprecaris? credis te accepiſſe gratiam ſufficientem ulteriori meo auxilio non indigentem; quid ultrà tibi debui facere, & non feci? Ecce concurſum meum indifferentem paratum habes, illum determina; tuam expecto determinationem; ego igitur non ſum à te rogandus, cùm concurſus meus ſit à te determinandus, ſed magis te debeo rogare, ut digneris illum determinare.

O Moliniſta! nonnè ſecundùm S. Augustinum irriſoria eſt tua petitio, dum determinationem tui liberi arbitrii, quam Deus præcipit, à Deo petis,

& credis ipſum non dare, ſed ipſo non donante eſſe in tuâ poteſtate? *Nolite errare*, inquit Apoſtolus, *Deus non irridetur. O homo!* (Moliniſta) *non verborum tuorum, verùm etiam cogitationum teſtis eſt Deus: ſi aliquid à tanto divite veraciter ac fideliter poſcis, ab illo à quo poſcis, te accipere crede quod poſcis. Noli eum labijs honorare, & ſuper eum corde te extollere, credens à te ipſo tibi eſſe, quod ab illo te fingis orare.* lib. de dono perſev. cap. 2.

CXJ. Hìc cernere licet, Moliniſtas in publicis diſputationibus, ut nuper audivimus, non minùs gratiâ, quam defendunt, verſatiles. Dum enim urgentur hoc argumento: *Actus qui à Deo petitur, eſt effectus motionis divinæ: determinatio liberi arbitrii petitur à Deo, ſiquidem præcipitur, & Auguſtinus ait, Da quod jubes: ergo determinatio liberi arbitrii eſt effectus divinæ motionis*: concedunt Moliniſtæ, determinationem liberi arbitri effectivè procedere à motione divinâ. Dum ulteriùs premuntur: *Motio divina præcedit cauſalitate ſuum effectum: & ab eo diſtinguitur: ſed determinatio liberi arbitrii eſt effectus divinæ motionis; ergo motio divina præcedit cauſalitate determinationem liberi arbitrii, & ab eâ diſtinguitur: ac conſequenter motio divina non eſt concurſus ſimultaneus, qui à determinatione liberi arbitrij non diſtinguitur, nec eam antecedit*: Negant Moliniſtæ, determinationem liberi arbitrii procedere effectivè à motione divinâ. Narrat P. Annatus diſp. 1. de Scient. Med. nu. 104. ſe vidiſſe olim Morionem in aulâ Viri Nobilis, à quo cùm peteretur an eſſet Hugonottus, reſpondebat minimè. Catholicus ergo? Ita, inquiebat. Rursùs inversâ ſtatim interrogatione cùm urgeretur, an eſſet Catholicus? minimè verò, inquiebat. Hugonottus igitur? Ita eſt.

DIGRESSIO.

* *In quâ refutatur cujuſdam Moliniſtæ reſponſio.*

TAnta eſt hujus argumenti ex oratione petiti efficacia, ut nequeant Adverſarii vim illius ſubterfugere. Quidam eorum (de quo Amicus Philalethis capite ultimo) tentavit in ſuis dictatis ei ſatisfacere, ſed quàm infeliciter, judicet Cordatus.

Primò, ad iſtum ſyllogiſmum, *Actus precibus impetrandus non eſt in hominis poteſtate: Adimpletio præcepti eſt actus precibus impetrandus: ergo Adimpletio præcepti non eſt in hominis poteſtate*, nihil aliud potuit dicere, quàm teſtimonium S. Augustini, in quo fundatur major, nempè, ſtultum eſſe orare pro eo quod habetur in poteſtate, eſſe intelligendum *de eo quod hìc & nunc omninò eſt in noſtrâ poteſtate, & facilè ac independenter ab alio facere poſſumus.* Undè concedere cogitur, Adimpletionem præcepti non eſſe omninò hic & nunc in noſtrâ poteſtate, nec facilè, nec independenter à Deo fieri; & ideò pro eâ orari Deum.

Digitized by Google

Ut appareat, Moliniſtam iſtum ſuis ſe involuere verbis, ſigillatim omnia percurrimus. Vel per ly *non eſſe omninò in noſtrâ poteſtate* intelligitur defectus alicujus poteſtatis, ſeu alicujus requiſiti ex parte actus primi; vel ſolùm intelligitur defectus *poteſtatis facilis*. Si defectus alicujus requiſiti ex parte actus primi, apertè ſequitur, non adeſſe vires ſufficientes hìc & nunc pro adimpletione præcepti, ſi pro eâ orari debet Deus; quod eſt noſtrum intentum. Si ſolùm intelligatur defectus *poteſtatis facilis* incidit Adverſarius in ſententiam Impugnatorum S. Augustini, ut patebit ex num. ſeq.

Ulteriùs, dum concedit Deum orari pro adimpletione præcepti, quia dependenter à Deo fit; vel iſta dependentia intelligitur propter auxilium jam datum; vel propter auxilium dandum; ſi Adimpletio præcepti ſolùm dependeat à Deo propter auxilium jam datum, non debet pro eâ orari Deus; ſiquidem oratio non funditur pro eo quod habemus, ſed pro eo quo indigemus. Si autem adimpletio præcepti intelligatur dependere à Deo propter auxilium dandum, ſine dubio debet pro eâ orari Deus: ſed penitùs deſtruitur gratia Molinæ Sufficiens et versatilis, quam ponit nullo ulteriori indigere auxilio.

Non eſſe locum orationi, ubi nullius alterius indigemus auxilio, jam dudum docuerat S. Hieronimus lib. 2. adverſus Pelagianos, ubi exponens verba iſta Matth. 6. *Surgite, vigilate, & orate ne intretis in tentationem*, ſic ſuos expugnat Impugnatores; *debuiſſet dicere juxta vos, ſurgite & reſiſtite, liberum enim habetis arbitrium, & ſemel conceſſâ vobis à Domino poteſtate nullius alterius indigetis auxilio.* Quibus verbis clarè excluditur oratio, ubi nullius alterius indigemus auxilio. Cùm ergò poſitâ gratiâ ſufficiente Moliniſtarum, noſtra voluntas nullius alterius indigeat auxilio pro adimpletione pręcepti, non poteſt habentibus iſtam gratiam congruè dici, *ſurgite & orate: ſed ſurgite, & adimplete*, eſt illis dicendum.

Secundò, dicit eum qui petit adimpletionem præcepti, petere *gratiam efficacem, ſeu quam Deus videt habituram effectum, quòd nemo ſtultum dixit*. Verùm opuſc. 3. cap. 11. §. ult. oſtendimus, hujuſmodi gratiam non poſſe à Deo peti, dum oportet hìc & nunc implere præceptum. Et res per ſe clara eſt. Nam totum quod eſt in iſtâ gratiâ ex parte Dei jam datum eſt, ut adimpletio pręcepti hìc & nunc occurrentis ſit poſſibilis: gratia, enim, qàum Deus videt habituram effectum, nihil eſt aliud quam gratia ſufficiens à libero arbitrio & non à Deo determinanda: unde gratia iſta non addit ſupra ſufficientem aliquid ex parte Dei dandum, ſed aliquid à libero arbitrio faciendum; & ideò nemo Cordatus eſt, qui cum S. Augustino ſtultum non dicat, habenti gratiam iſtam ſufficientem orandum eſſe Deum, ut habeat eam quam Deus videt habiturum effectum, ſed potiùs orandum eſſe arbitrium ut gratiam quam Deus dedit hìc & nunc dignetur determinare.

Digitized by Google

Tertiò, ad verſatilem eorum quam exprobravimus doctrinam, quâ modò concedunt determinationem arbitrii eſſe effectivè à divina motione, modò negant; reſpondet Adverſarius, determinationem arbitrii materialiter & entitativè ſumptam eſſe effectum divinæ motionis, non verò formaliter ſumptam: ex quo concludit dicens: *Meritò igitur & non ex ingenio verſatili in diſputationibus dici potuit determinationem liberi arbitrii eſſe, & non eſſe effectivè à Deo ſub diverſâ ratione: ſicut coguntur Adverſarii admittere actum malum eſſe & non eſſe à Deo prædeterminante.*

Iſta diſtinctio non niſi verba ſunt, & voces, quibus Scholaribus illudi poteſt, non verò Cordatis. Nam reipſâ ſemper concedunt aliquid quod negant. Concedunt determinationem arbitrii materialiter & entitativè ſumptam eſſe effectum divinæ motionis; & hoc ipſum negant, dum motionem divinam negant diſtingui realiter à determinatione arbitrii materialiter & entitativè ſumptâ, eamque ſic materialiter ſumptam cauſalitate antecedere. Non ſtant hæc duo: Motio divina non diſtinguitur realiter à determinatione arbitrii materialiter & entitativè ſumptâ, & determinatio arbitrii materialiter ac entitativè ſumpta eſt effectus divinæ motionis. Qui igitur utrumque concedit, tam verſatilem debet habere doctrinam, ac ille qui docet incompoſſibilia & contradictoria.

Eadem verſatilitas cernitur ex parte determinationis arbitrii formaliter ſumptæ. Nam reipſâ ſemper concedunt aliquid quod negant. Concedunt omne bonum, & quidquid eſt in Deum ordinabile, eſſe effectivè à Deo; & hoc ipſum negant, dum determinationem arbitrii formaliter ſumptam negant eſſe effectivè à Deo; ſiquidem ipſa determinatio arbitrii formaliter ſumpta non poteſt non eſſe quid bonum, & in Deum ordinabile. Si determinatio arbitrii materialiter ſumpta ſit quid bonum & in Deum ordinabile, multò magis determinatio arbitrii formaliter ſumpta erit quid bonum & in Deum ordinabile: ratio enim formalis ſemper eſt perfectior ratione materiali.

Falſum deniquè eſt, & imponit nobis, dum ait nos admittere, actum malum eſſe, & non eſſe à Deo prædeterminante. Iſte eſt Moliniſtarum cavillus, ut infrà art. 3. latè oſtendimus. Duæ illę rationes, quas diſtingunt cum Sole ſuo Angelici diſcipuli, una *ad quam ſequitur malitia*, alia *ad quam non ſequitur malitia*, non dividunt actum malum, nec actus malus eſt diviſum illarum rationum; quia eo ipſo quod dicatur actus malus, includitur illa ratio *ad quam ſequitur malitia*; unum autem ex membris dividentibus non poteſt coincidere cum diviſo. Verùm, uti dixi, iſte eſt Moliniſtarum cavillus, qui id quod dicimus verè de actu peccati ſivè de entitate peccati ipſi fallaciter tribuunt actui malo.

Doctrina Angelica eſt, actum peccati ſivè entitatem peccati ſi ſumatur

Digitized by Google

ſub illâ ratione ad quam ſequitur malitia, eſſe actum malum, & non eſſe effective à Deo prædeterminante: ſi verò ſumatur ſub illâ ratione *ad quam non ſequitur malitia*, non eſſe actum malum, & eſſe effectivè à Deo prædeterminante. Negare aliquid eſſe effectivè à Deo ſub illâ ratione ad quam ſequitur malitia, Chriſtianum eſt; ſed an Chriſtianum ſit, negare aliquid eſſe effectivè à Deo ſub illâ ratione, quâ eſt bonum, & in Deum ordinabile? judicet Cordatus Theologus. *

REGRESSIO.

In quâ continuatur doctrina præſentis §. VIII.

CXII OBjicies. Petimus etiam alterius auxilium ob difficultatem faciendi: ergo ex precibus Eccleſiæ ſolùm poteſt concludi, quòd adimpletio præcepti non ſit in poteſtate noſtrâ quoad facilitatem implendi, non verò quòad ſimpliciter & abſolutè implendum.

Reſpondetur negando Conſeq. quia petimus quod non eſt in poteſtate noſtrâ; & cùm ex aliâ parte preces Eccleſiæ petant actum ſimpliciter, & abſolutè, & non ſolam facilitatem actûs, ſequitur, quòd nec ipſe actus ſimpliciter & abſolutè ſit in poteſtate noſtrâ. Inconveniens videtur, Eccleſiam quæ regitur à Spiritu Sancto, petere ut faciamus ſimpliciter & abſolutè præceptum, cùm ſolùm indigeremus auxilio ad faciliùs faciendum. Scriptum eſt enim, quòd Spiritus Sanctus faciat nos poſtulare ſecundùm infirmitatem noſtram; *Similiter autem & Spiritus Sanctus adjuvat infirmitatem noſtram; nam quid oremus, ſicut oportet neſcimus: ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, Rom. 8. Si ergo Eccleſia petit ſimpliciter actum, & non ſolùm facilitatem, ſignum eſt, quòd infirmitas noſtra ſit reſpectu actûs ſimpliciter, & non reſpectu ſolius facilitatis.

Simili modo refutat Augustinus hanc objectionem, dum lib. 2. ad Bonifacium, c. 8 dicit quòd Dominus, *ut reſponderet futuro Pelagio, non ait, ſine me difficile poteſtis aliquid facere; ſed ait, ſine me nihil poteſtis facere.* Doctrinam hujus objectionis fuiſſe Pelagii, teſtatur idem Sanctus lib. de hæreſibus, hereſi 88. his verbis: *Deniquè Pelagius à fratribus increpatus quòd nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei ad ejus mandata facienda, correptioni eorum hactenùs ceſſit, ut non eam libero arbitrio præponeret, ſed infideli calliditate ſupponeret* (notent hoc Moliniſtæ) *dicens ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium faciliùs poſſint implere per gratiam.* Idem canit Proſper carmine de ingratis.

Sic vitam æternam acquiri potuiſſe, vacante
Hâc ope, quæ legem ſupereminet: ut ſine lege

Digitized by Google

Ex naturali potuit virtute capeſſi?
Nunc autem ſtudiis vergentibus in mala multa
Creviſſe auxilium: non quo ceſſante ſalutem
Non caperet per difficiles natura labores:
Sed quo conatus operum, affectuſque juvante,
Propoſitam citiùs ferret mens libera palmam.

Suppoſito igitur Eccleſiam orare, ut abſolutè & ſimpliciter adimpleat præceptum, & non tantùm ut faciliùs; efficaciſſimum ſumpſit S. Augustinus argumentum, ex Eccleſiæ precibus, ad oſtendendum contra Pelagium neceſſitatem gratiæ medicinalis in naturâ abſtractâ, & illectâ à concupiſcentiis ſuis: & cùm in quacumque perfectione ſit homo in hâc vitâ conſtitutus, adhuc debet uti Oratione Dominicâ, efficaciſſimè etiam probatur, adimpletionem præcepti non eſſe ità in poteſtate voluntatis, ut non egeat ulteriori auxilio, non ſolùm *purè prædeterminante*, ſed etiam victrice, & adjuvante *poſſe*.

§. IX. *Altera pars Concordiæ contra gratiam ſufficientem Moliniſticam.*

CXIIJ. Si vera ſunt, quæ dixi ſuperiore Paragrapho, uti vera eſſe non dubitabit ſincerus ac germanus utriuſque Solis diſcipulus: non minùs evidens erit auxilium adjuvans *poſſe* non omnibus dari, quàm evidens ſit, non omnes amare juſtitiam. Nam præcipuus & primus effectus auxilii adjuvantis *poſſe* eſt, inſpirare fortiorem amorem juſtitiæ, quàm ſit amor delectabilis ex abſtractione concupiſcentiæ concitatus: ſine quo amore juſtitiæ impotens eſt homo ad implenda præcepa *ſicut oportet*. Cùm igitur auxilium hoc ſit de ſe efficax, quibuſcumque datur, facit eos amare juſtitiam. *Hæc enim gratia*, inquit S. Augustinus lib. de prædeſt. SS. c. 8 *quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur. Ideo quippè tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur.* Et rursùs: *Qui credunt Prædicatore forinſecùs inſonante, intùs à Patre audiunt atque diſcunt: qui autem non credunt, foris audiunt, intùs non audiunt, neque diſcunt: boc eſt, illis datur ut credant, illis non datur.*

Magiſtrum ſuum ſequitur Doctor Angelicus 2. 2. q. 2. a. 5. ad 1. his verbis: *Si in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid excluſo auxilio gratiæ, ſic ad multa tenetur homo, ad quæ non poteſt ſine gratiâ præparante*, (id eſt, inſpirante amorem juſtitiæ) *ſicut ad diligendum Deum, & proximum, & ſimiliter ad credendum articulos fidei Sed tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ; quod quidem auxilium quibuſcumque datur, miſericorditer datur, quibus autem non datur, ex juſtitiâ non datur in pœnam præcedentis peccati, & ſaltem originalis peccati, ut Auguſtinus dicit in lib. de corrept. & grat.*

Digitized by Google

Ubi ſunt vires ſufficientes, ad actum, ibi actus eſt in hominis poteſtate: ſed ſine auxilio gratiæ præparantis actus diligendi Deum, & credendi non ſunt in hominis poteſtate: ergo ſine auxilio gratiæ præparantis non ſunt vires ſufficientes ad prædictos actus: & conſequenter, ſi auxilium gratiæ præparantis non detur omnibus, uti affirmat Angelicus Præceptor, nec vires ſufficientes dabuntur omnibus.

CXIV. Doctrinam gemini Solis gemina amplectitur Univerſitas Lovanienſis ſcilicet, & Duacenſis. Prima in Cenſurâ Propoſitionis 14. ſic loquitur: *Cùm certum ſit non præſtari à Deo bujuſmodi hominibus* (induratis) *gratiam eam quæ cor lapideum & cæcitatem auferat, manifeſtum eſt, eos non habere ſufficiens auxilium ut convertantur, cùm ſine jam dictâ gratiâ nullum eis auxilium ſufficiat, ſivè illa exterior ſit, etiam cum miraculis prædicatio, ſivè interior per Spiritum timoris converſio; aut velleitatis etiam cujuſvis inſpiratio.* Quarè ſicut indurati juxta hanc veritatem non habent auxilium ſufficiens, eò quòd non habeant gratiam, quæ auferat cor lapideum, & cœcitatem: Ita nec omnes juſti habent auxilium ſufficiens, eò quòd non habeant gratiam, quæ vincat concupiſcentiam, & tollat ignorantiam.

Facultas noſtra Duacenſis ſupra eamdem propoſitionem hæc habet: *Nam neque induratus converti poteſt, niſi per gratiam auferentem cor lapideum, & tribuentem cor carneum, quam utiquè quamdiu induratum eſt non habet; neque excæcatus poteſt reſpicere lumen veritatis, niſi per gratiam tenebras ejus illuminantem, & velamen de corde ejus auferentem, quam ſimiliter quamdiu excæcatus eſt non habet.* Ergo nec etiam abſtractus à concupiſcentiâ, & obſcuritatem habens ignorantiæ poterit bonum facere, niſi per gratiam, quæ vincit concupiſcentiam, & tollit ignorantiam, quam gratiam utiquè non habet, quamdiu concupiſcentia non vincitur, nec ignorantia tollitur. Cùm itaque non in omnibus juſtis vincatur concupiſcentia, nec tollatur ignorantia, concludendum eſt, non omnibus juſtis auxilium ſufficiens dari juxta celeberrimas has toto orbe Facultates.

CXV. Non minùs efficaciter præſens veritas demonſtratur ex orationis auxilio. Auxilium, quod precibus impetratur, non omnibus datur: ſed auxilium ſufficiens, cùm ſit Dei donum, precibus impetratur; ergo auxilium ſufficiens non omnibus datur. Sola Major debet probari. Non omnibus, quantumvis fidelibus datur oratio, nec omnes orantes impetrant: ergo non omnibus datur auxilium, quod precibus impetratur.

Quòd oratio non omnibus detur, etiam fidelibus, ipſa hominis ſuperbia atteſtatur. Plurimi quippè præſumptione pleni ſe ſatis fortes eſſe putant ad præcepta facienda ſi tantùm velint; quâ ſuperbiâ occultâ implicati non poſſunt invocare adjutorem Deum: qui enim non credit, ſe indigere alterius auxilio, non poteſt invocare eum adjutorem. *Habes & ad-*

Digitized by Google

jutorem qui te expectat pugnantem, ſublevat laborantem, ſed ſi invenit ſperantem, odit enim ſuperbientem, ait S. AUGUSTINUS in appendice, ſerm. 3. Proprium hoc fuit S. Petri malum, qui putans ſe poſſe pro Chriſto animam ponere, non accepit orationem, & ideò animam ponere non valuit Ita S. AUGUSTINUS tract. 66. in Ioan. his verbis: *Quid feſtinas Petre? nondum te ſuo Spiritu ſolidavit Petra. Noli extolli præſumendo: noli dejici deſperando, ſequeris poſtea: ſed quid adhuc ille dicit?* quarè te non poſſum ſequi modò? animam meam pro te ponam. *Quid in animo ejus eſſet cupiditatis videbat, quid virium non videbat......... & quantum ſibi aſſumpſerat Petrus intuendo quid vellet, ignorando quid* POSSET. Item de gratiâ & lib. arbit. cap. 17. *Quamvis*, inquit, *parva & imperfecta* (Charitas) *non deerat Petro quando dicebat Domino, Animam meam pro te ponam. Putabat enim ſe* POSSE *quod ſe velle ſentiebat.*

Hæc eſt ratio cur Deus multos tentari permittat, & cadere; ut videlicet, virium ſuę voluntatis capiant experimentum; & qui illas valdè magnas eſſe putant, diſcant, vel ſtatu, vel lapſu, vel imminenti periculo ſuo, quid facere poſſint, quid ferre non poſſint. Sic enim Petrus experientiâ doctus depoſuit pernitioſam præſumptionem, quam de ſuæ voluntatis viribus ſeu poteſtate conceperat. *Unuſquiſque enim ſe tentatione tamquam interrogatus agnoſcit: Sicut Petrus quas vires haberet fides ejus utiquè neſciebat quando dixit Domino: Tecum paratus ſum uſque ad mortem. Dominus autem qui noverat eum prædixit, ubi deficeret, prænuntians illi infirmitatem ejus tanquam tactâ venâ cordis. Proindè Petrus qui ante tentationem præſumpſit de ſe, in tentatione didicit ſe.* Ita S. AUGUSTINUS in Pſalm. 26.

CXVJ. Non igitur omnes accipiunt orationem, cùm non omnes ad Deum recurrant; nec etiam orandi omnes habent poteſtatem, cùm non omnes cognoſcant ſuam infirmitatem. Nam ſicut actualis cognitio requiritur, ut voluntas ſit ſufficienter potens ad volendum: ita actualis cognitio ſuæ indigentiæ & infirmitatis requiritur, ut voluntas ſit ſufficienter potens ad petendum Dei auxilium: ac proindè qui credit ſe potentem, impotens eſt ad orandum.

Nec deniquè omnes orantes impetrant, ut experientia docet. Quamvis Jacobus dicat, quod *Deus dat omnibus affluenter*, dicit tamen illis dare, qui poſtulant in fide nihil hæſitantes, id eſt, *Qui ſic petunt quomodò & quantùm res tanta petenda eſt*, ait S. AUGUSTINUS lib. de nat. & grat. cap. 17. Quarè non exigua Moliniſtarum hallucinatio eſt, quâ putant ſemper adeſſe homini gratiam ut petat, & tam ardenter petat, ut infallibiliter impetret id quod petit: quos perſpicuè arguit S. AUGUSTINUS lib. 1. q. 2. ad Simplic. dicens: *Nonnè aliquando ipſa oratio noſtra ſic tepida eſt, vel potiùs frigida & pænè nulla: imò interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore avertamus? quia ſi vel hoc dolemus, jam oramus. Quid ergo aliud oſtenditur nobis, niſi quia & petere, & quærere,*

& pulſare,

Digitized by Google

& pulſare, ille concedit, qui, ut hæc faciamus, jubet?

CXVIJ. Ex diverſis ſtatibus quos S. Augustinus tam in ſingulis hominibus, quàm in toto genere humano variis in locis diſtinguit, oſtenditur, non ſolùm non dari omnibus gratiam ſufficientem Moliniſticam, ſed nec in aliquo ſtatu eorum quos enumerat, illam agnoviſſe. Sufficiet ad hoc locus in expoſitione quarumdam propoſitionum ex epiſtolâ ad Romanos n. 13. ubi ſic ait: *Quatuor iſtos gradus hominis diſtinguamus, antè legem, ſub lege, ſub gratiâ, in pace. Antè legem ſequimur concupiſcentiam carnis; ſub lege trahimur ab eâ;* (ſcilicet in conſenſum) *ſub gratiâ nec ſequimur eam, nec trahimur ab eâ: in pace nulla eſt concupiſcentia carnis. Antè legem ergo non pugnamus, quia non ſolùm concupiſcimus, & peccamus, ſed etiam approbamus peccata. Sub lege pugnamus, ſed vincimur: fatemur enim mala eſſe quæ facimus, & fatendo mala eſſe utique nolumus facere, ſed quia nondum eſt gratia, ſuperamur. In iſto gradu oſtenditur nobis quomodo jacemus, & dum ſurgere volumus, & cadimus, gravius affligimur.* Et in fine q. 66. lib. 83. qq. rem breviùs colligit: *In primâ ergo actione quæ eſt antè legem, nulla pugna eſt cum voluptatibus hujus ſæculi; in ſecundâ quæ ſub lege eſt pugnamus, ſed vincimur: in tertiâ pugnamus, & vincimus: in quartâ non pugnamus, ſed perfectâ & æternâ pace requieſcimus.*

Judicet Cordatus Theologus, an in iſtis ſtatibus locus detur gratiæ ſufficienti Moliniſticæ. Antè legem ignoratur malum & approbatur, id eſt, bonum eſſe creditur; quæ igitur poteſt antè legem eſſe ſufficientia ad vitandum malum? experientiam atteſtor eorum, quibus apparuit benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Jesu-Christi, erudiens eos, ut abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobriè, & juſtè viverent in Religionis ſtatu. Antè legem certè vivebant dum in militiâ, vel aulâ degentes deridebant juſti ſimplicitatem; dum inſaniam putabant, mentem verbis oſtendere; nihil callidâ machinatione ſimulare; nullas injuriis contumelias reddere: pro maledicentibus orare; poſſeſſa relinquere; rapienti non reſiſtere; percutienti alteram maxillam præbere? hæc, inquam, omnia inſaniam putantes, quæ ſufficiens in eis erat poteſtas iſta amplectendi? quis poteſt ſufficienter amplecti quod ſtultum eſſe prędicat? ex quâdam morum affabilitate ſuperbos ſe non credebant; quìd eſſet amor proprius, quid voluntas propria ignorabant, nihil melius putantes quam commoditates ſui corporis quærere, & deſideria animę ſuæ in omnibus implere: quæ in iſtâ ignorantiâ & animi diſpoſitione ſufficiens poteſtas erat ad domandam ſuperbiam? quæ ad pugnandum amorem proprium? quæ ad reſiſtendum voluntati propriæ?

CXVIIJ. Nihilominùs in Religione gratiâ Salvatoris noſtri eruditi, vident ſe in omnibus illis peccaſſe; agnoſcunt ſe fuiſſe maximè ſuperbos, cùm minùs crederent; profitentur ſe fuiſſe plenos amore proprio, & in omnibus propriæ vo-

Digitized by Google

luntatis ſectatores : in quâ cognitione ſub lege vivunt, dum occultè credentes ſe cum tonſurâ & habitu ſufficientiam Moliniſticam induiſſe, amori proprio bellum indicunt; propriam voluntatem expugnant; ſuperbiam frangere ſatagunt; verùm in occaſionibus vincuntur; & centies contrarium proponentes, centies deficiunt. Ubi hîc gratia ſufficiens Moliniſtica, quæ ſolâ hominis voluntate redditur efficax? ſi ad hæc habent *poſſe* ſufficiens, & ſolâ liberi arbitrii determinatione opus ſit, cur quæſo volunt, & non faciunt? cur ſurgere volunt, & cadunt? Non igitur ſub lege invenitur gratia ſufficiens Moliniſtica; *in iſto*, enim, *gradu oſtenditur nobis*, ut ait S. Augustinus, *quomodo jacemus, & dum ſurgere volumus, & cadimus, gravius affligimur.* In hâc actione quæ ſub lege eſt pugnamus, & ſemper vincimur; quis autem pugnat ſine voluntate vincendi? & quis Cordatus habens voluntatem vincendi, nunquam tamen vincens, non videat, aliquid aliud præter voluntatis ſuæ determinationem requiri ad victoriam; ac proindè ſe carere gratiâ ſufficiente Moliniſticâ.

CXIX. An ſub gratiâ reperietur prædicta ſufficientia? Sub gratiâ pugnamus & vincimus: ergò multò minùs ſub gratiâ locus erit prædictæ ſufficientiæ: quia ut dictum eſt num. 102. gratia ſufficiens Moliniſtica excludit orationem, per quam pugnamus & vincimus. Deindè gratia hujus ſtatûs facit vincere, gratia ſufficiens Moliniſtica dat ſolummodo *poſſe* ad vincendum; liberum autem arbitrium, dat ſibi ſuâ determinatione victoriam: ergò magis ſub libero arbitrio, quàm ſub gratiâ collocanda eſt gratia ſufficiens Moliniſtica.

An ergo in pace factus eſt locus ejus? Nullo modo: In pace enim exulat potentia peccandi; ergo & gratia ſufficiens Moliniſtica, quæ inſeparabilis eſt à potentiâ peccandi; etenim liberum arbitrium non poteſt, juxta Moliniſtas, habere *poſſe* ſufficiens ad obedientiam, & ſubjectionem præſtandam divinæ voluntati, niſi cum prædictâ divinâ voluntate poſſit componere obedientiam, & non obedientiam, ſubjectionem, & non ſubjectionem: * ſiquidem voluntas divina eſt quid antecedens actum obedientiæ, & juxtà Adverſarios non ſtat libertas, ſi cum antecedentibus actum non poſſit componi tam actus, quam non actus. * Quid eſt aliud peccare, quam non obedire, nec ſubjici divinæ voluntati?

CXX. Tandem apertiſſimo ejuſdem S. Doctoris teſtimonio evacuatur ſufficientia gratiæ verſatilis. *Si hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, cùm primùm facti ſunt, defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere ſi vellet, non utiquè ſuâ culpâ cecidiſſet. Adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent. Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium jam pœna peccati eſt, quibus autem datur ſecundùm gratiam datur, non ſecundùm debitum. lib. de corrept.* & grat. cap. 11. Qui locus ipſi Vaſquez in 1. p. diſp. 97. c. 2. 3. 6. tam clarus

Digitized by Google

viſus eſt, ut quamvis gratiam ſufficientem Moliniſticam defendat, Augustinum tamen contrarium docuiſſe, Proſperumque, & Fulgentium ei adhæſiſſe, nec ſe ad ejus loca reſpondere poſſe apertè fateatur.

Rectè Vaſquez vidit clariſſimè hic dici, gratiam ſufficientem non omnibus dari. Nam loquitur de adjutorio, cujus defectus excuſat à peccato, quale non eſt adjutorium efficax, alioqui omnes carentes gratiâ efficaci excuſarentur à peccato: hoc autem adjutorium cujus defectus excuſat à peccato, eſt adjutorium ſufficiens, quod dicit S. Augustinus fuiſſe datum Angelo, & homini, alioquin non ſuâ culpâ cecidiſſent, nunc autem quibuſdam non dari in pœnam peccati.

CXXI. Hoc teſtimonio non premitur gratia ſufficiens oblata. Nam S. Augustinus ſolùm vult, quòd adjutorium ſufficiens nunc actu non detur quibuſdam in pœnam peccati præcedentis; ita ut peccatum ſit cauſa cur non detur; ubi ergo non præceſſit aliquod peccatum, ibi non poteſt denegari auxilium ſufficiens. Nec in illo caſu auxilium ſufficeret oblatum. Pro quo ſciendum eſt, quòd peccatur dupliciter, vel volendo aliquod ex ſe malum, vel volendo aliquod ex ſe bonum, non ordinando ad aliud bonum, ad quod debet ordinari; ſicut qui haberet præceptum dandi eleemoſynam, ordinando illam in Deum; iſte volendo dare eleemoſynam, nihil de Deo cogitans, peccaret, non volendo aliquod ex ſe malum, ſed volendo eleemoſynam, & non apponendo ordinem debitum. Judicium quo regulatur iſtud peccatum eſt hoc, *danda eſt eleemoſyna*, in quo judicio nullus eſt error, ſed quædam inconſideratio, ratione cujus non addidit, *propter Deum*; ut enim voluntas rectè vellet, debebat intellectus practicè judicare, *danda eſt eleemoſyna propter Deum.*

Certum eſt in doctrinâ Thomiſticâ, quòd primum peccatum Angeli, vel hominis, non potuit ex judicio erroneo procedere, nec ex voluntate alicujus ex ſe mali; ſed ſolùm ex voluntate alicujus ex ſe boni, ſine ordine ad aliud bonum. Et ideò in utroque debuit eſſe perfecta poteſtas applicandi ſe ad bonum ex præcedente actu, alioqui ſuâ culpâ non cecidiſſent, quia carentes tali poteſtate debuiſſent à Deo ſpecialiter moveri, qui illos non poterat movere prætermiſſo ordine ad bonum debitum; eo quod actus ille peccati tribueretur Deo ſpecialiter moventi, & non libero arbitrio, ut ſæpè dictum eſt. Rectè igitur dixit S. Augustinus, quòd ſi hoc adjutorium, poteſtas nempe applicandi ſe ad bonum volendum ex præſuppoſitâ voluntate non fuiſſet data Angelo, vel homini, non utique ſuâ culpâ cecidiſſent. Nec poterat ſufficere oblatum auxilium; quia ſine tali auxilio actu dato, debebant à Deo ſpecialiter moveri: & ſic ſi peccaſſent peccatum Deo tribueretur, non eorum arbitrio.

Nunc autem ex peccato originali ineſt nobis poteſtas volendi aliquod ex

Digitized by Google

ſe malum; & ideò Deus denegans nobis in pœnam peccati originalis poteſtatem applicandi nos ad volendum bonum juſtitiæ ex præcedente actu, ſivè, quod idem eſt, permittendo in nobis abſtractionem concupiſcentiæ; non debet nos ſpecialiter movere, ſed remanet in nobis poteſtas nos applicandi ad malum, quâ liberè volendo peccamus, abſque eo quod peccatum noſtrum tribuatur Deo prædeterminanti. Et ſic liberè volendo aliquod ex ſe malum, impedimus, ne detur nobis amor juſtitiæ, quo præcepta valemus implere: ac proindè perditio noſtra ex nobis eſt, & in Deo tantummodò auxilium noſtrum; quòd licet omnibus offeratur, non tamen omnibus datur in pœnam præcedentis peccati, vel ſaltem originalis.

CXXIJ. Gratia ſufficiens oblata eſt communis Thomiſtarum doctrina; quæ ex Bannez in 1. p. q. 23. a. 3. dub. 3. & Alvarez de auxil. diſp. 112. ſub hâc diſtinct. communiter explicatur: ſi verbum *dare* accipiatur ut eſt correlativum ad *recipere*, Deus non tribuit omnibus, etiam pervenientibus ad uſum rationis, auxilium gratiæ præparantis, vel ad credendum, vel ad pœnitendum. Si verò verbum *dare* accipiatur prout idem quod *offerre*, vel *paratum eſſe* quantum eſt ex parte ſuâ omnibus conferre auxilium gratiæ præparantis, Deus omnibus tribuit prædictum auxilium. Vide Cenſuras Aſſertionis 2. & 3 relatas cap. 1. a. 2. §. 4.

Deum autem offerre, & paratum eſſe, non eſt ita accipiendum, ac ſi Deus ſe habeat ad inſtar munera nobis offerentis, quæ ex determinatione noſtri arbitrij poſſumus acceptare, & recuſare; Moliniſticum hoc eſt; ſed ſenſus eſt, quòd Deus ſit paratus nobis conferre gratiam, dum habet ſinceram voluntatem & abſolutam ex parte actûs, conditionatam tamen ex parte objecti, conferendi homini gratiam, ſi homo non poſuerit impedimentum: & homo dicitur habere auxilium paratum, hoc ipſo quòd ſit conditionatè ordinatus ad illud habendum, ſi ſe non impedierit.

Huic doctrinæ aliam non minus communem apud Thomiſtas adjungimus. Quamvis detur auxilium purè ſufficiens diſtinctum realiter ab auxilio pure efficaci; quorum primum ita dat *poſſe* completum, quod nunquam det actum, quale fuit auxilium datum Adamo, vel Angelo; ſecundùm ita dat actum quòd ſemper præſupponat *poſſe* completum, quale fuit Adamo denegatum, & Angelis malis: Tamen poteſt dari auxilium quod eminenter ſimul ſit ſufficiens, & efficax; ad eum modum quo, licet practicum, & ſpeculativum in ſcientiis inferioribus realiter, & eſſentialiter differant, eminenter tamen in ſcientiâ aliqua ſuperiori adunantur. Ita reſpectu unius & ejuſdem actûs poteſt dari auxilium, quod eminenter ſit ſufficiens, & efficax; & aliquid illius cernere licet, in omni motione elevante inſtrumentum, quæ ſimul dat inſtrumento aliquid ex parte actûs primi, ratione cujus poſſit in actum principalis agentis; & ipſum actu applicat ad operandum. Hoc

Digitized by Google

confirmatur ex M. Alvarez de auxil. diſp. 72. num. 2. Et expreſſiùs diſp. 73. num. 4. ubi loquens de auxilio eminenti, ſic ait: *Reſpondetur, quod auxilium efficax continet eminenter omnem perfectionem ſufficientis auxilij, ſicut omne perfectum alicujus generis eminenter continet quidquid perfectionis eſt in quolibet imperfecto ejuſdem generis, Unde non oportet, quod auxilium, quod eſt formaliter efficax, & eminenter ſufficiens, adinvicem diſtinguantur realiter.* Idem dicit Navarrete tom. 2. in 1. p. controverſ. 19. §. 5. *Si auxilium ſufficiens datur in eodem inſtanti, in quo homo recipiens ipſum, operatur, atque adeò datur per modum concurſûs tranſeuntis, actuando potentiam, ut operetur: tunc in eâdem entitate poſſunt inveniri tam efficacia, quàm ſufficientia ad operandum.* Ita Ledeſma, Zumel, Nazarius, Joan. à S. Thomâ relati à Salmanticenſibus de peccatis, diſp. 5. num. 37. Ergò à fortiori poterit dari auxilium, quod licet non det totum *poſſe*, removeat tamen impedimentum, & ſimul det actualiter operari.

CXXIIJ. His poſitis, dicendum eſt, quòd auxilium gratiæ præparantis omnibus oblatum, ſivè, quòd idem eſt, gratia ſufficiens omnibus oblata, non debet concipi, ut auxilium purè ſufficiens, nec ut auxilium purè efficax; ſed ut auxilium eminenter ſufficiens, ſimul & efficax, quod omnibus daretur, ſi aliqui non ponerent ei impedimentum. Ratio eſt, quòd ſi ſemel ad tollendam excuſationem peccati ſufficiat gratia oblata, & non requiratur quòd ſit actu data, ut communiter Thomiſtæ docent; nihil prorsùs intereſt, utrum Deus offerat duo auxilia, quorum unum ſit purè ſufficiens, alterum ſit purè efficax; vel utrum offerat tantùm unum auxilium, quod eminenter ſit ſufficiens ſimul & efficax: quidquid ex his duobus oblatum fuerit ſemper homo erit reus peccati, ſi malâ ſuâ voluntate ſe impediverit.

Ex quibus manifeſtè concluditur, nullam quoad gratiam ſufficientem poſſe eſſe realem diſcordiam inter diſcipulos S. Augustini, & Angelici Solis, ſi dicatur auxilium datum Angelo, vel homini fuiſse purè ſufficiens, nec alio auxilio indiguiſſe, quàm auxilio purè efficaci universalis prædeterminationis. Auxilium autem hominis infirmi reſpectu unius & ejuſdem actûs eſſe eminenter ſufficiens ſimul & efficax: ita ut ſine tali auxilio nunquam habeatur completum *poſſe*, ab actu ſeparatum. Et licet auxilium ad unum actum poſſit dare *poſſe* ad alium actum tantùm, nunquam tamen iſtud *poſſe* erit ita completum, quin indigeat ulteriori auxilio, quod ſit eminenter ſufficiens ſimul & efficax. Sicque in homine infirmo inſurgente motu actuali concupiſcentiæ, nunquam erit completa poteſtas ad bonum invictè volendum, actu data, ſed ſolùm oblata; cui ſi impedimentum non poſuerit, de oblatâ tranſibit in datam: ſi verò impedierit ſe, imputet ſibi quod ſufficiens *poſſe* actu non habuerit.

Digitized by Google

CXXIV. Quid modò obeſt, ut idem ſapiant omnes intrepidi perfectæ gratiæ Defenſores? ecce remota ſunt ea, quæ diſcipulos S. Augustini avertebant à prædeterminatione phyſicâ: conciliata eſt gratia ſufficiens oblata, quam diſcipuli Angelici defendunt, cum auxilio gratię medicinalis, quod diſcipuli S. Augustini tuentur. Quid ergo reſtat, niſi ut unanimiter omnes utriuſque Solis diſcipuli contra gratiam ſufficientem Moliniſticam inſurgant, & ſublatâ æquivocatione in nomine Potestatis proximæ, nullam poteſtatem, nec proximam, nec completam admittant actu datam, quę non indigeat ulteriori auxilio, quod ratione ſuæ eminentię det *poſſe* actui conjunctum; omnemque aliam ſufficientiam, ut gratię perfectę inimicam, ac utrique Eccleſiæ Soli oppoſitam, ſicut & Scientiam Mediam, cui ſufficientia Moliniſtica innititur, uno omnes ore intrepidè rejiciant, veluti intrepidi perfectæ gratiæ defenſores: ſicque omnem ſufficientiam Moliniſticam abnegantes, humiliter ſub gratiâ vivant: & gloriantes in infirmitatibus ſuis Deum cum S. Augustino deprecentur: Ita Domine, *Ita fac miſericors Domine, Impera quod non* possit *impleri, imò impera quod non niſi per tuam gratiam* possit *impleri; ut cùm homines per ſuas vires id adimplere nequiverint, omne os obſtruatur, & nemo ſibi magnus videatur*, in Pſalm. 118. concione 27.

APPENDIX.

* *In quâ ſatisfit interrogationi Junioris Moliniſtæ.*

JUnior Moliniſta (de quo in digreſſione poſitâ ad nu. 111.) contrà *poſſe ſufficiens* hominis infirmi ex gratiâ oblatâ ſic interrogando objicit: Quæro, „ ait, an homo habeat ſufficientem gratiam ut ad gratiam illam oblatam „ poſſit ſe diſponere, eamque acceptare an non? ſi habet, & tamen culpâ „ ſuâ gratiam illam oblatam non acceptat, jam datur gratia ſufficiens quæ „ non eſt efficax: ſi non habet, nec poſſit ex determinatione liberi arbitrii „ gratiam illam oblatam acceptare, pręceptum eſt illi impoſſibile.

„ Hoc magis declaratur in primo peccato Adami & Angelorum qui nul- „ lum poſuerunt impedimentum gratiæ ſufficienti ad peccandum. Quæro „ igitur de Adamo an habuerit gratiam ſufficientem ad acceptandam gra- „ tiam ipſi oblatam & neceſſariam ad ſervandum præceptum de non edendo „ pomo vel non? ſi habuit, fuit ſufficiens & non efficax; ſi non habuit „ ſed potius gratiam prędeterminantem ad edendum pomum, quomodò ob- „ ſervatio præcepti fuit ei poſſibilis? Judicet Cordatus Theologus.

Non hîc judicabit, ſed planget Cordatus Theologus, cernens quàm difficile ſit *gratiæ verſatilis* defenſori intrare in regnum Augustinianæ & Angelicæ veritatis. Quemadmodum aſpicienti per vitrum viride cuncta apparent viridia; ita *gratiâ verſatili* pręventus cuncta judicat verſatilia. Si gratia

oblata non conciperetur ad inſtar *gratiæ verſatilis*, non poſſit iſta fieri interrogatio, *An homo habeat ſufficientem gratiam, ut ad gratiam oblatam poſſit ſe diſponere, eamque acceptare, an non?*

Quare ut ſciant Adverſarii diſcernere gratiam verſatilem a gratiâ efficaci oblatâ, debent conſiderare voluntatem inter duos amores incompoſſibiles conſtitutam v. g. *amorem Dei*, & *amorem creaturæ*, comprehendendo ſub *amore creaturæ* quidquid non eſt Deus, nec ad Deum refertur, ſub *amore* autem *Dei* quidquid Deus eſt, & ad Deum refertur. Certum eſt, voluntatem ſic conſtitutam, ſi ſe determinet ad *amorem creaturæ*, ponere obſtaculum *amori Dei*, quæ enim incompoſſibilia ſunt, ſibi mutuò obſtant, & ſe invicem impediunt. In hâc quoque voluntatis conſtitutione iſta conditionalis eſt vera apud Adverſarios, *ſi voluntas non ſe determinet ad amorem creaturæ, determinabit ſe ad amorem Dei.*

Gratia efficax ad *amorem Dei* eſt quid ab amore inſeparabile; & ideò quod eſt incompoſſibile cum *amore Dei* eſt etiam incompoſſibile cum gratiâ efficaci; quod ponit obſtaculum amori, ponit & obſtaculum gratiæ efficaci. Quapropter ſicut voluntas derminans ſe ad *amorem creaturæ* ponit obſtaculum *amori* Dei; ità voluntas determinans ſe ad amorem creaturæ ponit obſtaculum gratiæ efficaci: & quemadmodum apud Adverſarios verificatur iſta conditionalis, *ſi voluntas non ſe determinet ad amorem creaturæ, determinabit ſe ad amorem Dei:* ita apud Cordatos utriuſque Solis diſcipulos verificatur hæc conditionalis, *ſi voluntas non ſe determinet ad amorem creaturæ, recipiet auxilium efficax ad amandum Deum.*

Non igitur concipere debemus, gratiam efficacem exigere ad ſui receptionem alium actum, ab illo actu propter quem proximè datur: jam enim dixi, hoc eſſe Moliniſticum, ſi videlicet dicatur, Deum ſua oblatione quaſi petere a voluntate, *viſne habere gratiam efficacem*, & voluntate annuente, conferre illi gratiam efficacem. Ipſe amor Dei voluntarius, ad quem gratia efficax proximè datur, ſicuti eſt virtualis conſenſus ſui, ita eſt quidam conſenſus in gratiam; & ut excludens amorem creaturæ eſt diſpoſitio ad gratiam efficacem, præcedens eam in genere cauſæ materialis diſpoſitivę; ut verò eſt a gratiâ, eſt effectus illius, poſterior eâ in genere cauſæ efficientis: quæ tamen prioritas & poſterioritas eſt *à quo*, non *in quo*. Verùm hæc Angelicæ Scholæ ſubtilitas non capit Moliniſtas, quantumvis eis explicetur illo à D. Thoma ſæpius adducto exemplo, aëris intrantis per feneſtram clauſam, cujus ingreſſus activè concurrit ad eam aperiendam, & nihilominùs apertio ejuſdem feneſtræ concurrit in genere cauſæ materialis ad prædictum ingreſſum.

Hinc inanis apparet Junioris Moliniſtę interrogatio, quâ petit à negantibus gratiam verſatilem, *An homo habeat gratiam ſufficientem, ut ad gratiam obla-*

Digitized by Google

tam poſſit ſe diſponere, eamque acceptare? quaſi poteſtas ad gratiam efficacem oblatam foret poteſtas acceptandi gratiam; & ipſa gratia efficax indigeret diſpoſitione diſtinctâ ab actu propter quem proximè datur?

Ad interrogationem igitur reſpondemus negando ſuppoſitum; & poteſtatem ad gratiam efficacem amoris Dei, nihil aliud eſſe dicimus, quàm poteſtatem recipiendi gratiam *facientem amare Deum.* Hanc autem poteſtatem recipiendi gratiam *facientem amare Deum* habet homo pro quolibet inſtanti uſus rationis, dummodò non ſe determinet ad amorem contrarium. Nam ſi homo carens gratiâ efficaci fuerit ſanus, gratia *faciens amare Deum* præſupponet vires ſufficientes eritque purè applicans: ſi verò homo fuerit infirmus non habens vires ſufficientes tunc gratia *faciens amare Deum* erit etiam elevans & complens virium inſufficientiam. In homine ergo ſano eſt pro quolibet inſtanti uſus rationis poteſtas recipiendi gratiam *facientem amare Deum* purè applicantem ex præcedente actu: in homine verò infirmo eſt pro quolibet inſtanti uſus rationis poteſtas recipiendi gratiam *facientem amare Deum* elevantem ſimul & applicantem independenter ab actu præcedente.

Poteſtas recipiendi gratiam efficacem eſt poteſtas implendi præceptum non quomodòcumque ſed *ex determinatione gratiæ*, qualiter competit voluntati creatæ: nunquam ergo præceptum erit impoſſibile, ſi pro quolibet inſtanti uſus rationis eſt in homine poteſtas recipiendi gratiam efficacem. Sed ſi homo fuerit ſanus, nec ſe ad amorem contrarium determinaverit, recipiet illam dependenter *à conſilio & actu præcedente*; ſicque a gratiâ determinabitur ut ſe quoquè determinaturus ſit. Si verò homo fuerit infirmus, id eſt, a concupiſcentiâ abſtractus & illectus, recipiet gratiam efficacem independenter *à conſilio & actu præcedente*; undè non ſe determinabit, ſed ſolum a gratiâ determinabitur cùm poteſtate ſe determinandi ad amorem contrarium. In iſtâ igitùr infallibilitate recipiendi gratiam efficacem, ſi voluntas non ſe determinaverit ad amorem contrarium, conſiſtit oblatio gratiæ efficacis.

Quam Doctrinam nullatenùs intellexit Junior Moliniſta, dum dixit: *Hoc magis declaratur in peccato Adami & Angelorum qui nullum poſuerunt impedimentum gratiæ ſufficienti ad peccandum.* Gratia ſufficiens ad peccandum, gratia prędeterminans ad edendum pomum figmenta ſunt Moliniſtarum, non aſſertiones Thomiſtarum. Vera Thomiſtarum aſſertio eſt, quod Adamus & Angeli habuerunt gratiam ſufficientem ad perſeverandum, quæ licet reſpectu perſeverantiæ fuerit inefficax; attamen reſpectu amoris Dei fuit efficax. Iſti gratiæ ſufficienti non poſuerunt Adamus & Angeli impedimentum, alioquin eam non accepiſſent; ſed gratiæ efficaci ad perſeverandum poſuerunt impedimentum, dum ex determinatione ſui arbitrii dereliquerunt amorem Dei, in quo creati fuerant, ut amarent creaturam: quàm ſi non amaſſent,

ſtetiſſent

Digitized by Google

ſtetiſſent & ipſi per ſuum arbitrium, a ſolo auxilio univerſali prædeterminandum.

Præcipua intentio ſupradicti Junioris fuit probare, dari gratiam ſufficientem quæ non ſit efficax. Verùm paucis oſtendo, longè eum aberrare a veritate Angelicâ. Inter vires ſufficientes agentis liberi maximè comprehenditur poteſtas ſe applicandi ad agendum; iſta poteſtas non eſt in voluntate, niſi ex præcedente actu. Doctrina Angelica eſt, ut ex ſępè dictis patet, voluntatem ex amore aliquo præcedente ſe applicare ad agendum; nec cenſetur potens ſe applicandi, uſquedum aliquo amore actuetur. Omnis autem amor boni ex auxilio efficaci procedit. Quare ſi ad vires ſufficientes exigitur aliquis amor boni, puta Dei, aut juſtitiæ, oportet concludere contra Juniorem Moliniſtam, gratiam aliquam efficacem eſſe ad vires ſufficientes neceſſariam: ſicque nulla erit gratia ſufficiens, quæ non ſit reſpectu alicujus actus efficax. *

§. Ultim. *Declaratur poſſibilitas mandatorum Dei.*

CXXV. ECce lapis offenſionis in quem maximè offenderunt omnes perfectæ gratiæ inimici; inſipienter putantes gratię Chriſti medicinalis, ſivè, quod idem eſt, GRATIÆ VICTRICIS ET PRÆDETERMINANTIS neceſſitatem, inducere præceptorum impoſſibilitatem. Vox eorum in Fauſto lib. 1. c. 2 auditur: *Quomodo mihi dicitur, Declina à malo, & fac bonum, ſi jam malum declinare non poſſum?* per iſtius videlicet miſericordię ſeu gratiæ ſubtractionem. Monachi Adrumetini continuò conquerebantur dicentes, *Cur corripimur, arguimur, reprebendimur, accuſamur? quid facimus qui non accipimus: Denique magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant*, ait Sanctus AUGUSTINUS, *quando dicunt, non juberet Deus, quod ſciret ab homine non poſſe fieri. Quis hoc neſciat? ſed ideò jubet aliqua quæ non poſſumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus.* Vidè cenſuras Aſſertionis 3. num. 34. relatas.

Hos S. AUGUSTINI Impugnatores videntur imitari Moliniſtę, qui nobis nihil ita obtrudunt, quàm præceptorum impoſſibilitatem. Unus pro omnibus ſufficiet Leſſius inſignis Scientiæ Medię, & GRATIÆ VERSATILIS defenſor; qui lib. de gratiâ effic. cap 7. num. 3. ſic loquitur ore omnium Moliniſtarum: *Si præter cætera auxilia requiritur ad ſingula opera motio quædam determinans quam habere non ſit in poteſtate, utpotè quam Deus pro paucis prædeſtinavit: plurimi profectò ſunt quibus præcepta Dei ſunt impoſſibilia.* Quibus verbis juſtificamur in ſermonibus noſtris, dum initio hujus capitis diximus, pigmenta ſcientiæ mediæ deprompta fuiſſe ex apothecis impugnantium S. AUGUSTINUM pridem ab Eccleſiâ decineratis.

Quemadmodum querelas ſuorum impugnantium contempſit S. Augus-

Digitized by Google

tinus, nec unquam eum à defendendâ gratiâ Chriſti medicinali averterunt: ita & quilibet Cordatus Moliniſtarum querelas deſpiciet; nec unquam à defenſione invictâ Gratiæ victricis et Prædeteminantis ullo Pincipum hujus mundi favore dimovebitur. Quia tamen ſapientibus & inſipientibus debitores ſumus, ne quis etiam parvulus & parum Cordatus à confitendâ gratiâ Chriſti medicinali deterreatur, hujuſmodi querelis in hoc paragrapho ultimo abundè ſatisfaciemus; quas ad duo argumenta revocabimus, quibus plenè ſolutis pluſquam evidens erit, Deum non præcipere impoſſibilia ſeclusâ Scientiâ Mediâ, & omni gratia versatili, juxta definitionem Concilij Tridentini verbis ex S. Augustino deſumptis: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis; & petere quod non poſſis.* Cui ſimile eſt & illud Proſperi, *ideò dari præceptum, ut præcipientis quæratur auxilium.* Vide num. 34. Cenſuras Aſſert. 3.

PRIMUM ARGUMENTUM.

CXXVJ. Primum argumentum ſub hâc formâ proponitur; ut liberè impleatur præceptum, debet quis poſſe illud implere, & non implere: ſed ſine viribus ſufficientibus non poteſt quis implere præceptum, & non implere: ergo ſine viribus ſufficientibus non liberè impletur præceptum.

Reſpondetur, diſtinguendo Majorem, ut liberè impleatur præceptum debet quis poſſe illud implere, & non implere, ex propriâ applicatione ad utrumque oppoſitum, Negatur. Ex propriâ applicatione ad unum, & ex ſpeciali auxilio prædeterminante ad aliud, conceditur. Deindè, diſtinguitur Minor: ſine viribus ſufficientibus non poteſt quis implere præceptum, & non implere, ita ut non poſſit utrumque ex propriâ applicatione conceditur; ita ut non poſſit implere ex ſpeciali auxilio prædeterminante, & non poſſit non implere ex propriâ applicatione, negatur. Explicatur ſolutio. Ad libertatem non requiritur neceſſariò æqualis poteſtas ad utrumque oppoſitum; ſed ſufficit quòd voluntas poſſit unum ex ſe, & aliud ex auxilio alterius. Ut patet in cœco paratum habente directorem: hic cœcus poteſt rectè ambulare, & ceſpitare: ſed non habet æqualem poteſtatem ad utrumque quia ex ſe poteſt ceſpitare, & cum auxilio directoris poteſt rectè ambulare. Quarè ſi ſine auxilio directoris, quem paratum habet, ſe applicet ad ambulandum, infallibiliter ceſpitabit: & imputabitur ei ceſpitatio, cùm ex auxilio directoris potuiſſet rectè ambulare, & non ceſpitare.

Ita homo abſtractus & illectus à concupiſcentiâ poteſt implere præceptum, & ſequendo concupiſcentiam non implere. Sed unum ex ſe, & propriâ applicatione, ſcilicet *non implere*; alterum, ſcilicet *implere*, ſolùm poteſt ex

Digitized by Google

auxilio Gratiæ victricis et prædeterminantis. Undè ſibi debet imputare, quòd carens prædicto auxilio ſe applicet ad ſequendum concupiſcentiam: non enim carentia auxilij eſt cauſa, quòd ſe applicet ad ſequendum concupiſcentiam; ſed mala ſua voluntas, quæ abſtracta à concupiſcentiâ, & ardens amore delectabilis, ſe applicat ad operandum, non requirendo, aut expectando adjutorium.

Obſervandum eſt, diſtinctionem datam, non tam cadere ſupra *poſſe*, quàm ſupra *impletionem præcepti*, quæ duobus modis fit: unus modus eſt, quo impletur præceptum ex propriâ applicatione, dando ſibi *velle* ex præſuppoſitâ voluntate, & conſilio: alter modus eſt, quo impletur præceptum, accipiendo *velle* ex ſpeciali Dei applicatione independenter à præſuppoſitâ voluntate. Ut autem actus qui duobus modis fit, abſolutè & ſimpliciter ſit alicui agenti poſſibilis, non requiritur, ut agens poſſit elicere actum omnibus modis, quibus fieri poteſt; ſed ſufficit, quòd poſſit illum elicere uno modo. Itur Pariſios equo, ac pedibus, ut quis abſolutè & ſimpliciter poſſit ire Pariſios, ſufficit, quod poſſit ire equo; ſimiliter impletur præceptum propriâ ſuæ voluntatis applicatione, & gratiâ Dei victrice et prædeterminante; vt quis ergó poſſit ſimpliciter & abſolutè implere præceptum, ſufficit, quód illud poſſit gratiâ Dei victrice et Prædeterminante. *Suaviter equitat*, dixit quidam, *quem gratia Dei portat*.

CXXVIJ Quæ ſolutio deſumitur ex Angelico Præceptore 2. 2. q. 2. a. 5. ad 1. vbi ait: *Si in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid excluſo auxilio gratiæ, ſic ad multa tenetur homo, ad quæ non poteſt ſine gratiâ præparante, ſicut ad diligendum Deum, & proximum: & ſimiliter ad credendum Articulos fidei. Sed tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ.* Ecce ſolutio qua ſolvit hoc argumentnm; *Nullus tenetur ad id, quod non eſt in poteſtate eius: ſed credere aliquid explicitè non eſt in hominis poteſtate.* Vt hoc argumentum prædictâ ſolutione D. Th. ſolvatur, debet diſtingui Major: Nullus tenetur ad id, quod non eſt in poteſtate ejus, nec ex ſe, nec ex auxilio gratiæ præparantis, conceditur. Quod non eſt in poteſtate ejus ex ſe & excluſo auxilio gratiæ, benè tamen cum auxilio gratiæ præparantis, ſivè prædeterminantis, negatur. Deindè diſtinguitur Minor: Credere aliquid explicitè non eſt in hominis poteſtate ex ſe, & excluſo auxilio gratiæ præparantis, conceditur: non eſt in hominis poteſtate cum auxilio gratiæ præparantis, negatur Minor. Per gratiam præparantem intelligit D. Thomas illam gratiam de quâ dicit Apoſtolus, *Voluntas præparatur à Domino*, quæ proindè ita dat *velle*, ut ſimul etiam det *poſſe*. Dicit enim S. Doctor hanc gratiam præparantem non omnibus dari in pœnam peccati, non igitur poteſt intelligi per illam gratia ſufficiens Moliniſtica: nec etiam gratia, quæ præſupponat completum *poſſe*; ſiquidem ſine tali gratiâ, ſivè datâ,

Digitized by Google

tinus, nec unquam eum à defendendâ gratiâ Chriſti medicinali averterunt: ita & quilibet Cordatus Moliniſtarum querelas deſpiciet; nec unquam à defenſione invictâ Gratiæ victricis et Prædeteminantis ullo Pincipum hujus mundi favore dimovebitur. Quia tamen ſapientibus & inſipientibus debitores ſumus, ne quis etiam parvulus & parum Cordatus à confitendâ gratiâ Chriſti medicinali deterreatur, hujuſmodi querelis in hoc paragrapho ultimo abundè ſatisfaciemus; quas ad duo argumenta revocabimus, quibus plenè ſolutis pluſquam evidens erit, Deum non præcipere impoſſibilia ſecluſâ Scientiâ Mediâ, & omni gratia versatili, juxta definitionem Concilij Tridentini verbis ex S. Augustino deſumptis: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis; & petere quod non poſſis.* Cui ſimile eſt & illud Proſperi, *ideò dari præceptum, ut præcipientis quæratur auxilium.* Vide num. 34. Cenſuras Aſſert. 3.

PRIMUM ARGUMENTUM.

CXXVJ. Primum argumentum ſub hâc formâ proponitur; ut liberè impleatur præceptum, debet quis poſſe illud implere, & non implere: ſed ſine viribus ſufficientibus non poteſt quis implere præceptum, & non implere: ergo ſine viribus ſufficientibus non liberè impletur præceptum.

Reſpondetur, diſtinguendo Majorem, ut liberè impleatur præceptum debet quis poſſe illud implere, & non implere, ex propriâ applicatione ad utrumque oppoſitum, Negatur. Ex propriâ applicatione ad unum, & ex ſpeciali auxilio prædeterminante ad aliud, conceditur. Deindè, diſtinguitur Minor: ſine viribus ſufficientibus non poteſt quis implere præceptum, & non implere, ita ut non poſſit utrumque ex propriâ applicatione conceditur; ita ut non poſſit implere ex ſpeciali auxilio prædeterminante, & non poſſit non implere ex propriâ applicatione, negatur. Explicatur ſolutio. Ad libertatem non requiritur neceſſariò æqualis poteſtas ad utrumque oppoſitum; ſed ſufficit quòd voluntas poſſit unum ex ſe, & aliud ex auxilio alterius. Ut patet in cœco paratum habente directorem: hic cœcus poteſt rectè ambulare, & ceſpitare: ſed non habet æqualem poteſtatem ad utrumque quia ex ſe poteſt ceſpitare, & cum auxilio directoris poteſt rectè ambulare. Quarè ſi ſine auxilio directoris, quem paratum habet, ſe applicet ad ambulandum, infallibiliter ceſpitabit: & imputabitur ei ceſpitatio, cùm ex auxilio directoris potuiſſet rectè ambulare, & non ceſpitare.

Ita homo abſtractus & illectus à concupiſcentiâ poteſt implere præceptum, & ſequendo concupiſcentiam non implere. Sed unum ex ſe, & propriâ applicatione, ſcilicet *non implere*; alterum, ſcilicet *implere*, ſolùm poteſt ex

Digitized by Google

auxilio Gratiæ victricis et prædeterminantis. Undè ſibi debet imputare, quòd carens prædicto auxilio ſe applicet ad ſequendum concupiſcentiam: non enim carentia auxilij eſt cauſa, quòd ſe applicet ad ſequendum concupiſcentiam; ſed mala ſua voluntas, quæ abſtracta à concupiſcentiâ, & ardens amore delectabilis, ſe applicat ad operandum, non requirendo, aut expectando adjutorium.

Obſervandum eſt, diſtinctionem datam, non tam cadere ſupra *poſſe*, quàm ſupra *impletionem præcepti*, quæ duobus modis fit: unus modus eſt, quo impletur præceptum ex propriâ applicatione, dando ſibi *velle* ex præſuppoſitâ voluntate, & conſilio: alter modus eſt, quo impletur præceptum, accipiendo *velle* ex ſpeciali Dei applicatione independenter à præſuppoſita voluntate. Ut autem actus qui duobus modis fit, abſolutè & ſimpliciter ſit alicui agenti poſſibilis, non requiritur, ut agens poſſit elicere actum omnibus modis, quibus fieri poteſt; ſed ſufficit, quòd poſſit illum elicere uno modo. Itur Pariſios equo, ac pedibus, ut quis abſolutè & ſimpliciter poſſit ire Pariſios, ſufficit, quod poſſit ire equo; ſimiliter impletur præceptum propriâ ſuæ voluntatis applicatione, & gratiâ Dei victrice et prædeterminante; vt quis ergó poſſit ſimpliciter & abſolutè implere præceptum, ſufficit, quód illud poſſit gratiâ Dei victrice et Prædeterminante. *Suaviter equitat*, dixit quidam, *quem gratia Dei portat.*

CXXVIJ Quæ ſolutio deſumitur ex Angelico Præceptore 2. 2. q. 2. a. 5. ad 1. vbi ait: *Si in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid excluſo auxilio gratiæ, ſic ad multa tenetur homo. ad quæ non poteſt ſine gratiâ præparante, ſicut ad diligendum Deum, & proximum: & ſimiliter ad credendum Articulos fidei. Sed tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ.* Ecce ſolutio qua ſolvit hoc argumentnm; *Nullus tenetur ad id, quod non eſt in poteſtate eius: ſed credere aliquid explicitè non eſt in hominis poteſtate.* Vt hoc argumentum prædictâ ſolutione D. Th. ſolvatur, debet diſtingui Major: Nullus tenetur ad id, quod non eſt in poteſtate ejus, nec ex ſe, nec ex auxilio gratiæ præparantis, conceditur. Quod non eſt in poteſtate ejus ex ſe & excluſo auxilio gratiæ, benè tamen cum auxilio gratiæ preparantis, ſivè prædeterminantis, negatur. Deindè diſtinguitur Minor: Credere aliquid explicitè non eſt in hominis poteſtate ex ſe, & excluſo auxilio gratiæ præparantis, conceditur: non eſt in hominis poteſtate cum auxilio gratiæ præparantis, negatur Minor. Per gratiam præparantem intelligit D. Thomas iſtam gratiam de quâ dicit Apoſtolus, *Voluntas præparatur à Domino*, quæ proindè ita dat *velle*, ut ſimul etiam det *poſſe*. Dicit enim S. Doctor hanc gratiam præparantem non omnibus dari in pœnam peccati, non igitur poteſt intelligi per illam gratia ſufficiens Moliniſtica: nec etiam gratia, quæ præſupponat completum *poſſe*; ſiquidem ſine tali gratiâ, ſivè datâ,

Digitized by Google

ſivè oblatâ, actus eſt in hominis poteſtate habentis completum *poſſe*: intelligitur ergo gratia dans *velle*, & *poſſe*.

Ita quoque intelligitur, quod dixit S. AUGUSTINUS, omnes homines poſſe ſervare mandata ſi velint; hoc eſt, ſi velint ex gratiâ præparante, accipiendo *velle*; non verò ſi velint ſine gratiâ præparante dando ſibi *velle*. Hoc modo ſe explicuit Eccleſiæ Sol lib. 1. retract. cap. 10. *Non exiſtiment novi hæretici ſecundùm eos eſſe dictum: verum eſt enim omnes hoc poſſe* (ſervare mandata) *ſi velint: ſed præparatur voluntas à Domino, & tantùm augetur munere charitatis ut* POSSINT. Gratia igitur præparans ſecundùm S. AUGUSTINUM eſt gratia eminenter habens rationem auxilii ſufficientis, ſimul & efficacis: ſiquidem per illam ita volunt ſervare mandata, ut etiam poſſint. Quod apertiùs expreſſit idem Sanctus lib. de grat. & lib. arbit. c. 15. *Per hanc fit ut ſit homo bonæ voluntatis, qui priùs fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipſa bona voluntas quæ jam eſſe cœpit, augeatur, & tam magna fiat, ut* POSSIT *implere divina mandata quæ voluerit, cùm* VALDE PERFECTEQUE VOLUERIT. Et c. 16. *Ad hoc enim valet quod ſcriptum eſt, ſi volueris, conſervabis mandata, ut homo qui voluerit, &* NON POTUERIT, *nondum plenè velle cognoſcat.*

* Hæc ſolutio non placet Juniori Moliniſtæ (de quo in Appendice §. præc.) qui contrà eam aſſumit, *quòd non poſſe implere præceptum ex carentia auxilii quòd non eſt in noſtrâ poteſtate, quale eſt auxilium prædeterminans, ſit abſolutè illud non poſſe implere.*

Verùm fallitur iſte Junior, dum non attendit, dupliciter aliquid eſſe in noſtrâ poteſtate, *directè* & *indirectè*. Illud eſt *directè* in noſtra poteſtate quod poſſumus ex determinatione arbitrii noſtri nobis dare: & ſic auxilium prædeterminans non eſt in noſtrâ poteſtate. Illud autem *indirectè* eſt in noſtrâ poteſtate, quod daretur nobis ſi ei ex determinatione arbitrii noſtri non poneremus impedimentum: & hoc modo auxilium prædeterminans eſt in noſtrâ poteſtate. Quod ſufficit, ut non impletio præcepti ex carentiâ auxilii prædeterminantis nobis imputetur: quia ſi propriè loquamur carentia auxilii non eſt cauſa efficiens determinationis ad amorem contrarium præcepto, ſed ipſa determinatio ad amorem contrarium præcepto, eſt cauſa carentiæ auxilii *facientis amare præceptum*; ſicut apud Adverſarios carentia amoris Dei non eſt cauſa efficiens quòd voluntas ſe determinet ad amorem creaturæ, ſed ipſa determinatio ad amorem creaturæ eſt cauſa carentiæ amoris Dei. Quod ipſi dicunt de amore Dei, hoc & in præſenti dicimus de auxilio prædeterminante ad amorem Dei.

Verùm eſt, quòd ſi Deus præveniret voluntatem priùs prædeterminando eam ad amorem præcepti, tunc voluntas non ſe determinaret ad amorem contrarium præcepto: Sed Deus non tenetur ſic prævenire voluntatem, & ob diverſos ſuæ ſapientiæ fines permittit ſe per amorem contrarium præ-

Digitized by Google

cepto à voluntate præveniri. Nec quia non prævenit eſt cauſa peccati, ſed ipſa præventio voluntatis quâ prius ſe determinat ad amorem contrarium eſt cauſa peccati. Sicut apud Adverſarios ſi voluntas prius ſe determinaret ad amorem Dei non ſe determinaret ad amorem creaturæ; nec tamen ideò ſequitur, quòd negatio determinationis ad amorem Dei ſit cauſa efficiens determinationis ad amorem creaturę: quia licet hæc conditionalis ſit vera, *ſi voluntas non ſe determinet ad amorem Dei, amabit creaturam*, ſicut & iſta, *ſi voluntas non ſe determinet ad amorem creaturæ, recipiet gratiam facientem amare Deum*, licet, inquam, iſtæ conditionales ſint veræ, non tamen ſunt veræ in ſenſu cauſali, ſed in ſenſu diſjunctivo, id eſt, ſi voluntas amat, vel amat Deum, vel amat creaturam: & quia amor Dei non datur ſine auxilio *faciente amare Deum*, etiam disjunctivè verificatur, ſi voluntas amat, vel recipit auxilium *faciens amare Deum*, vel ſe determinat ad amandum creaturam: cujus disjunctionis veritas fundatur in incompoſſibilitate & mutuo impedimento amoris Dei & auxilii cum amore creaturæ.

Obſervet, precor, Cordatus Lector, carentem auxilio adjuvante *poſſe* non fieri ex carentiâ auxilij ſimpliciter impotentem, niſi fiat incapax recipiendi auxilium. Quamdiu voluntas eſt capax recipiendi auxilium adjuvans *poſſe* ſemper eſt potens implere præceptum; ita tamen ut iſta poteſtas non ſit poteſtas implendi præceptum ex propriâ applicatione, ſed ſit poteſtas implendi ex applicatione alterius: quæ applicatio eſt indirectè in noſtrâ poteſtate, eo ipſo quòd ex determinatione arbitrii noſtri poſſumus illam impedire. *

CXXVIIJ. Inſtabis: Qui non habet actu equum, nec ſine equo ire poteſt, non poteſt abſolutè & ſimpliciter loquendo ire Pariſios: ſed homo infirmus non ſemper habet Gratiam victricem et prædeterminantem, ſine quâ, ut dictum eſt, non ſufficienter poteſt implere pręceptum: ergo homo infirmus non ſemper poteſt ſimpliciter & abſolutè loquendo implere præceptum.

Reſpondetur diſtinguendo Majorem. Qui non habet actu equum nec datum, nec oblatum, ſivè paratum, non poteſt ſimpliciter, & abſolutè loquendo ire Pariſios, conceditur. Qui non habet actu equum datum, benè tamen oblatum, & paratum; negatur. Homo autem infirmus, ut dictum eſt, licet non ſemper actu habeat Gratiam Victricem et Prædeterminantem, ſibi datam, ſemper tamen actu habet illam ſibi oblatam, & paratam; eique actu daretur, ſi non poneret impedimentum ſe ad malum applicando: ſibi igitur imputet, quòd non habeat ſufficiens *poſſe* ad implendum præceptum.

Ratio hujus ſolutionis ex ſupra dictis patet. Nam hæc eſt differentia inter modum ſervandi præceptum *ex propriâ applicatione*, & modum ſervandi

Digitized by Google

præceptum *ex ſpeciali Dei auxilio*, quòd primus modus exigat vires datas tribuentes completum *poſſe*: ſecundus modus ſolùm requirit completum *poſſe* oblatum: quia voluntas non poteſt *ex præcedente actu, & conſilio* applicare ſe ad volendum id, ad quod non habet *poſſe* completum: poteſt tamen *ex ſpeciali Dei applicatione* à Deo applicari ad volendum quod non poteſt, ſi ipſum *poſſe completum* ſimul cum voluntate tribuat: ſicut tribuit Gratia Vicirix et prædeterminans.

Imò hinc apparet hominem infirmum, per vires Dei ſibi oblatas efficaciùs habere *poſſe* ad ſervandum mandata, quàm homo ſanus per vires ſibi datas; quia vires datæ tribuunt ſolummodò homini ſano *completum poſſe*, non verò dant ipſum *velle*. Vires autem oblatæ tribuunt homini infirmo & *poſſe* & *velle*, ſi non impediantur. *Tunc autem* ait S. Augustinus lib. de gratiâ & lib. arbit. cap. 15. *Utile eſt velle cùm poſſumus, & tunc utile eſt poſſe cùm volumus. Nam quid prodeſt, ſi quod non poſſumus volumus, vel ſi quod poſſumus nolumus.*

CXXIX. Solutionem hujus Argumenti cum ſuâ inſtantiâ deſumpſimus ex Angelico Doctore lib. 3. contra gentes cap. 159. ubi ſibi objiciens, quòd videretur non poſſe homini imputari, ſi careat auxilio requiſito ad credendum, ſperandum, diligendum, & perſeverandum, quia nulli imputatur quod ab alio dependet, Reſpondet quòd, *Licet aliquis per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri, nec acquirere poſſit, poteſt tamen ſeipſum impedire ne eam recipiat: dicitur enim de quibuſdam, Iob. 21. dixerunt Deo recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus, & Iob. 24 Ipſi fuerunt rebelles lumini; & cùm hoc ſit in poteſtate liberi arbitrii impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire, non immeritò in culpam imputatur ei qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni Deus enim in quantum in ſe eſt* Paratus est omnibus gratiam dare, *vult enim omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire ut dicitur ad Timot. 2. ſed* illi soli gratiâ privantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum praestant, *ſicut Sole mundum illuminante in culpam imputatur ei qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur, licet videre non poſſit, niſi lumine Solis præveniatur.*

In quo teſtimonio obſervandum eſt, Angelicum Doctorem loqui de auxilio quo actu quis credit, ſperat, diligit, & perſeverat, & tamen comparat illud lumini Solis quod tenet ſe ex parte potentiæ ad videndum, ut inſinuaret, auxilium gratiæ præparantis, victricis, & prædeterminantis, quâ indiget homo infirmus ita conferre voluntatem faciendi præceptum, ut ſimul det poteſtatem illam voluntatem exequendi.

* Doctrinam iſtam hauſit Angelicus Doctor ex Magiſtro ſuo S. Augustino, qui lib. 2. de ſerm. Dom. in monte c. 3. dicit, quòd Deus *ſemper paratus eſt dare ſuam lucem nobis, non viſibilem, ſed intelligibilem & ſpiritalem, ſed nos*

Digitized by Google

non ſemper parati ſumus accipere, cùm inclinamur in alia, & rerum corporalium cupiditate tenebramur. *

CXXX. Infert Moliniſta; ergo à libero arbitrio dependet habere gratiam: ſicut à libero arbitrio claudentis oculos, Sole illuminante, dependet habere lumen Solis. Hanc illationem prævidit Sol Angelicus Hebr. 2. lectione 3. *Sed contra: quia ſi gratia non datur ex operibus, ſed tantùm ex hoc, quòd aliquis non ponit obſtaculum: ergo habere gratiam dependet ex ſolo libero arbitrio, & non ex electione Dei, qui eſt error Pelagii.* Nonnè hæc ipſa eſt illatio Moliniſtæ? Reſpondet Sol Angelicus, *Dicendum eſt, quòd hoc ipſum quòd aliquis non ponit obſtaculum ex gratiâ procedit. Undè ſi aliquis ponat & tamen moveatur cor ejus ad removendum illud, hoc eſt, ex dono gratiæ Dei vocantis per miſericordiam ſuam: hoc autem donum gratiæ non eſt gratum faciens. Quòd ergo à quibuſdam removeatur illud obſtaculum, hoc eſt, ex miſericordia Dei: quòd autem non removeatur, hoc eſt, ex juſtitiâ ejus.*

Duo hîc diligenter advertè; 1. quòd homo poteſt ex ſeipſo ponere obſtaculum, & ſolùm ex gratiâ poteſt non ponere; & ideò dum ponit obſtaculum, liberè ponit, quia ponit illud cum potentiâ ad non ponendum; quamvis iſta potentiâ ſit ad non ponendum cum auxilio gratiæ per Dei miſericordiam nos prævenientis. 2. quòd omnes homines ita ſunt diſpoſiti ut omnes quotquot ſunt ponerent obſtaculum ſi gratiâ Dei VICTRICE non prævenirentur: & ita qui non ponit obſtaculum, non poteſt adverſùs alterum gloriari, quia ſi non fuiſſet præventus ſpeciali Dei auxilio, etiam poſuiſſet obſtaculum, ſicut & alter. Nec qui poſuit obſtaculum poteſt conqueri, quia liberè illud poſuit applicando ſe ex amore delectabilis ad aliquid volendum.

* Quæ clariſſima fient, ſi dixerimus, quòd ponere obſtaculum ſit ſe determinare ad amorem creaturæ, removere obſtaculum, ſivè non ponere, ſit determinari ad amorem Dei. In his conſiſtit potentia ad oppoſita, quam habet libertas hominis infirmi; ita enim ſe determinat ad amorem creaturæ, ut poſſit determinari ad amorem Dei per gratiam; & ita per gratiam determinatur ad amorem Dei, ut poſſit ſe determinare ad amorem creaturæ. Quarè gratias agat Deo dum eum amat & implet præceptum: dum verò non amat, & peccat, ſibi imputet, quòd ſe ad amandum creaturam determinaverit. *

CXXXI. Urgebis, ſi omnibus adultis ſit paratum auxilium ſufficiens & efficax ſimul ad credendum: ergo non dabitur infidelitas negativa. Prob. Sequel. Omnes poterunt credere, & debent: ergo non dabitur infidelitas negativa,

Reſpondetur, Negando Sequelam. Ad Prob. diſtinguitur Ant. Omnes poterunt credere, & debent, ſi ſufficientem habuerint notitiam Evangelii,

conceditur: & debent ſi non ſufficienter fuerit eis prędicatum Evangelium, negatur, Quibus enim non fuit ſufficienter prædicatum Evangelium, licet paratum habeant auxilium ad credendum, non tamen eis imputatur quod non credant; quia propter ignorantiam invincibilem, quâ laborant, non tenentur. Undè non excuſantur ex defectu poteſtatis, ſed ex defectu obligationis; ſicut qui exiſtens ſanus invincibiliter ignorat eſſe hodie jejunium, excuſatur à peccato, non quia non poſſit jejunare, ſed quia non tenetur. Ex quo ſequitur, nullum adultum, ſublatâ ignorantiâ invincibili, excuſari à tranſgreſſione præceptorum ſupernaturalium, quantumvis induratiſſimus fuerit peccator: quo enim magis peccat, eo magis auxilio parato obicem ponit: ut poſſit quodammodò dici, quod liberè ſe ad peccatum neceſſitat.

Hinc colliges, juſtiſſimè fuiſſe damnatam ab Innocentio X. hanc propoſitionem; *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant.* Hæc, inquam, propoſitio juſtiſſimè damnata eſt: cùm enim homines volentes & conantes ſemper habeant ſibi paratum & præſens Dei auxilium quo poſſint implere præcepta, ſi non poſuerint impedimentum; Hæreticum eſt dicere, quòd aliqua præcepta ſunt eis impoſſibilia, & quòd deſit illis gratia quâ poſſibilia fiant. Ideò prædictam propoſitionem non ſolùm in hoc ſenſu, ſed & in omni alio ab Eccleſiâ damnato, reprobamus, & perpetuum dicimus ei Anathema.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

CXXXIJ. Secundum Argumentum hoc modo proponitur: Quod non poteſt homo vitare, non imputatur ei: ſed ſine viribus ſufficientibus, ſivè, quod idem eſt apud nos, ſine Gratiâ victrice et Prædeterminante non poteſt homo vitare peccatum: ergo carenti prędictâ gratiâ, & viribus ſufficientibus non imputatur peccatum.

Reſpondetur, diſtinguendo Majorem. Quod non poteſt homo vitare impotentiâ antecedente, non imputatur ei, conceditur. Quod non poteſt vitare impotentiâ conſequente, negatur. Impotentia autem vitandi peccatum, quæ oritur ex carentiâ Gratiæ victricis et Prædeterminantis, eſt impotentia conſequens, orta ex voluntatis liberâ applicatione, quæ urgente præcepto applicat ſe ex amore delectabilis ad aliquid volendum, & quia actus bonus non fit ex amore delectabilis, ſed ex amore juſtitiæ; hoc ipſo quòd voluntas ex amore delectabilis ſe applicat ad aliquid volendum, debet malè velle; ſemper autem ſic ſe applicabit exurgente concupiſcentiâ, ſi fortiore amore juſtitiæ non præveniatur.

Homo

Digitized by Google

Homo abſtractus & illectus à concupiſcentiâ ſuâ, eſt quodammodò ſicut cœcus, paratum ſolummodò habens directorem: quemadmodum enim cœcus non peccat in hoc quòd careat directore; ita homo infirmus non peccat in hoc quòd careat gratiæ auxilio. Sed ſicut cœcus peccat ceſpitando, ſi carens directorè ſe applicet ad incedendum; ita homo infirmus peccat, ſi carens auxilio gratiæ ſe applicet ad volendum; quia tunc debet ex amore delectabilis aliquid velle. Deniquè, ſicut carentia directoris in cœco, non eſt cauſa quòd ſe applicet ad incedendum; ita carentia auxilij gratiæ in homine infirmo, non eſt cauſa quòd ſe applicet ad volendum: ac proindè nec ipſa denegatio auxilii erit cauſa quòd homo infirmus ſe applicet ad volendum; verùm ex liberâ illâ ſui applicatione imputatur ei, ſi aliquod malum ex iſtâ applicatione velit.

Undè homini infirmo poteſt fieri hoc dilemma: vel credis te poſſe rectè *velle* ex tuâ applicatione ad volendum; vel credis te ad hoc indigere auxilio gratiæ; ſi primum, tibi imputa quando non rectè operaris, cùm debeas, & credas te *poſſe.* Si ſecundùm, tibi etiam imputa, quòd ſciens te indigere auxilio gratiæ, nihil de illo curans, applices ad volendum; ſicut ſibi imputet cœcus, quòd ceſpitet, qui ſciens ſe indigere directore ad rectè ambulandum, & non ceſpitandum, vult tamen ſine directore ambulare.

Tota igitur ratio peccandi homini infirmo, & tota ratio quare impotens eſt ad vitandum peccatum, provenit ex eo, quòd non valens declinare à malo, & facere bonum, niſi accipiendo *velle* ex auxilio Gratiæ victricis et prædeterminantis, ipſe carens tali auxilio (quod tamen paratum habet) ſe applicat ad volendum ex amore delectabilis. Ex quo amore fit impotens ad volendum ea quæ ſunt juſtitiæ, & vitandum peccatum. Hanc impotentiam clarè docuit Magiſter veritatis, & ipſa veritas Chriſtus Dominus, qui Joann 5. ſic arguit Judæos: *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam quæ ex ſolo Deo eſt non quæritis?* Quibus verbis reddit rationem Chriſtus non tam de incredulitate, quàm de impotentiâ credendi, quæ inerat Judæis, ex eo, quòd gloriam propriam quærerent: qui enim vult in ſe gloriari, non poteſt ex tali voluntate ſe applicare ad volendum gloriam Dei, gloriæ ſuæ contrariam; ſicut qui vult delectabile, impotens eſt, ut ex tali voluntate applicet ſe ad volendum ea quæ ſunt juſtitiæ.

Nec minùs perſpicuè de hâc impotentiâ conſequente loquitur S. Augustinus explicans hunc locum Joan. tract. 25. *Quare non poterant credere; ſi à me quæratur, ita reſpondeo, quia nolebant, malam quippè eorum voluntatem prævidit Deus......... Non itaque mirum eſt, quòd non poterant credere, quorum voluntas ſic ſuperba erat.* Et iterùm, *Sicut ergo quòd Dominus ſeipſum negare non poteſt*,

Digitized by Google

laus eſt voluntatis divinæ; ita quòd illi non poterant credere, culpa eſt voluntatis humanæ.

* Si dixeris cum Iuniore Moliniſtâ, (de quo n. 127.) quòd impotentia, quæ oritur ex carentiâ alicuius prærequiſiti quod non eſt in noſtrâ poteſtate, non poteſt non eſſe antecedens; jam dictum eſt, illud prærequiſitum eſſe *indirectè* in noſtrâ poteſtate, & carentiam illius oriri ex determinatione arbitrii ad amorem contrarium. Quarè impotentia iſta magis oritur ex determinatione arbitrii ad amorem contrarium, quàm ex carentiâ auxilij: & ideò verè dicitur conſequens. Si enim voluntas non ſe determinaret ad amorem contrarium, tunc poſſet, non quidem per aliquid actu datum, ſed quia daretur ei id quo poſſet & vellet. Ecce ſolidiſſima Angelicæ doctrinæ petra, contra quam nunquam prævalebunt argumenta Adverſariorum. *

CXXXIIJ. Inſtant Moliniſtæ, ſi homo ſit impotens ad vitandum peccatum, quantumvis impotentiâ conſequente, ad quid prohibetur ei peccatum? & ad quid lex illi datur, ſi non detur ei actu gratia quâ poſſit illam implere? ſola gratiæ oblatio non ſufficit ut impleat; quantumcumque mihi offeratur equus, ſi mihi actu non detur, nunquam potero ire equo.

Reſpondetur, quòd ſola gratiæ oblatio cum poteſtate impediendi ſufficit, ut præcepta poſſint abſolutè & ſimpliciter loquendo impleri; quia ſi homo gratiã oblatam non impediat, datam accipiet. Nec lex aut præceptum fruſtra datur: illa enim eſt innata hominis ſuperbia, ut credat ſe poſſe quod non poteſt; ideò non vult ab alio dependere, ſed vult ſe in omnibus dirigere, regere, & gubernare: & ſic tantò inſanabilior redditur, quantò magis ſanus ſibi videtur. Qui ergo credebant ſe poſſe quod non poſſunt, juſtè urgebantur præceptis, quæ per vires quas actu habebant ſibi datas non valebant implere; ut conantes homines implere viribus ſuis quod præceptum eſt, ipſâ ſuâ temeritate, & præcipiti præſumptione caderent, & non eſſent cum lege, ſed ſub lege fierent rei. Sic autem facti rei ſub lege implorarent liberationis auxilium, reatuſque legis faceret ægritudinem ſuperbis. Ægritudo ſuperborum facta eſt confeſſio humilium; jam confitentur ægroti, quia ægrotant, id eſt, qui credebant ſe poſſe, confitentur ſe non poſſe; veniat Medicus, & ſanet ægrotos, id eſt, veniat Gratia victrix et praedeterminans, & humilietur ſufficientia Moliniſtica. Ita S. Avgvstinvs tract. 3. in Joan.

Si nullo opportuniori remedio hominis infirmitas, quâ putabat ſe poſſe facere quod præciperetur, potuit ſanari, quàm ut daretur illi lex, quam ſuarum virium conatu, & applicatione implere non poſſet; quâ ratione pertinebit ad gratiam Chriſti medicinalem *gratia ſufficiens verſatilis*, quæ potiùs eſt hujuſmodi infirmitatis nutrimentum, quàm ejus adjutorium? Si hanc *gratiæ verſatilis* ſufficientiam agnoviſſet S. Avgvstinvs, quomodo de

Digitized by Google

Judæis ſcriptum reliquiſſet quæſt. 14. in Matth. *Quoſdam Iudæorum tanto ſuperbiæ tumore periclitatos, ut eis expedierit primò non credere: & ad hoc fuiſſe excæcatos, ut non intelligerent Dominum loquentem per parabolas, quibus non intellectis, non in eum crederent, non credentes autem cum cæteris deſperatis crucifigerent: atque ita poſt ejus reſurrectionem converterentur.* Audi gratiæ ſufficientis Moliniſticæ defenſor cauſam tam exoticæ medicinę: *Quoniam tanta eorum erat ſuperbia, ut tali humiliatione eſſet dejicienda.* Ecce quàm terribili, quàm ſeverâ quàm à Moliniſtarum cogitationibus abſtruſâ methodo utitur Deus ad curandam occultiſſimam illam hominis ſuperbiam, quâ ſe potentem credit. Verè occultiſſimam, eo quòd omnis qui facit aliquem actum bonum ſine prævio recurſu ad Deum, practicè & interpretativè judicat ſe non indigere Deo adjutore: ex quo mirum non eſt, ſi ſcriptum ſit, quòd omnis juſtitia noſtra ſit quaſi pannus menſtruatę?

CXXXIV. Appendatur gratia ſufficiens Moliniſtica in ſtaterâ citati teſtimonii, & ſine dubio ab omni Cordato invenietur minus habens. Volebat Deus ſanare illos, qui viribus ſuis confidentes gloriam ab invicem accipiebant, & gloriam quæ ex Deo eſt, non quęrebant; à quibus non longè diſtant, qui ſufficientiæ Moliniſticæ confidentes, determinationem liberi arbitrii à ſe accipiunt, & illam quæ ex Deo eſt, non quærunt. Quale, putas, remedium excogitavit divina ſapientia? an fortè talia, & tam magna donavit iſtis, ut poſſet eis objicere, *Quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci?* Non cognovit litteraturam, nec introivit in potentias Domini, quiſquis hoc putat. Quid igitur? Decrevit excæcare eos, inquit S. Augustinus, negando divinum adjutorium ut non crederent, & non credentes Chriſtum crucifigerent, quo tanto peccato humiliati diſcerent ſuam impotentiam, & ad Medicum converterentur. Excæcatio non ſolùm viſionem, ſed potentiam videndi tollit: qui igitur ex negatione divini adjutorii excæcantur, non ſolùm non credentes, ſed & impotentes redduntur ad credendum: ſi impotentes ſunt ad credendum; ergo gratia ſufficiens Moliniſtica in eis minus habens invenitur. *Illud miror*, ait S. Augustinus lib. 11. contra Fauſtum, cap. 7. *non attendere homines cæcos, vel potiùs non miror non videre cæcos.*

Noli ergo *gratiæ verſatilis*, & Moliniſticæ ſufficientiæ defenſor, *noli ſuperbire*, inquit idem Sanctus in Pſal. 118. concione 27. *noli de tuâ, quæ nulla eſt, virtute præſumere, & intelliges quare ſit à bono Deo bona lex data, quæ tamen vivificare non poſſet* (ſivè, quod idem eſt, & intelliges, quare præcipiat tibi Deus illa, quæ non potes ſufficienter ex viribus tibi datis implere) *ad hoc enim data eſt* (ad hoc illa tibi pręcipit) *ut te de magno parvulum faceret, ut te ad faciendum legem vires de tuo non habere monſtraret; ac ſic opis indigus & egenus ad gratiam confugeres, & clamares. Miſerere mihi Domine, quoniam infirmus ſum.*

Digitized by Google

Aliam adhuc legis utilitatem aſſignat S. Avgvst. lib. de grat. & lib. arb. *Ideò data ſunt præcepta ut homo excuſationem ignorantiæ non haberet.* Nam idcircò & Chriſtus Dominus de Iudęis dicit: *Si non veniſſem, & loquutus eis fuiſſem peccatum non haberent. Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*, iſto videlicet, quo cùm audiſſent eum, non crediderunt in eum: & ex iſtâ incredulitate crucifixerunt eum. Et Apoſtolus eos dicit inexcuſabiles eſſe, quibus manifeſtata per creaturam veritas innotuerat. *Quomodo dicit inexcuſabiles, niſi de illâ excuſatione, quâ ſolet dicere humana ſuperbia: ſi ſciviſſem, feciſſem, ideò non feci, quia neſcivi. Aut ſi ſcirem, facerem; ideò non facio, quia neſcio? Hæc eis excuſatio tollitur, quando præceptum datur, vel ſcientia non peccandi manifeſtatur.* Meritò quippe ſe omni excuſatione carere ſentiunt, qui vident non ſcientiam, ſed ſolam deeſſe faciendi voluntatem.

CXXXV. Urgent adhuc Moliniſtę, (difficile enim ſatisfit velamen ſcientiæ mediæ habentibus) Gratia victrix et Praedeterminans non datur, niſi eis quibus Deus decrevit dare; ſi ſine illâ non habetur ſufficiens, & completum *poſſe*, fruſtra erunt exhortationes & correptiones: ſivè enim exhortemur, & corripiamus, ſivè non exhortemur, nec corripiamus; ſemper illi accipient gratiam, quibus decrevit Deus illam dare, & ſemper illi gratiâ carebunt, quibus non decrevit Deus illam donare.

Reſpondetur, exhortationes, & correptiones ſunt media ordinata à Deo, ut aliquibus per eas donet gratiam. *Quamvis igitur*, inquit S. August. relatus num. 34. in Cenſurâ Aſſertionis 3. *dicamus Dei donum eſſe obedientiam, tamen homines exhortamur ad eam: ſed illis, qui veritatis exhortationes obedienter audiunt, ipſum donum Dei datum eſt; illis autem, qui non ſic audiunt, non eſt datum.* Verùm quia non ſcimus, quinam ſint illi quibus datur noſtris exhortationibus obedire, ideò omnes ſunt ad bonum exhortandi, & omnes qui peccant ſunt corripiendi. Quemadmodum enim Agricola non fruſtra omnes agros ſuos colit, quamvis aliquibus Deus det pluviam, aliquibus non det; ita terra cordis noſtri non fruſtra exhortationibus, & correptionibus colitur, etiam ſi in aliquibus non det Deus terræ noſtrę benignitatem, id eſt, gratiæ ſuæ ſerenitatem. *Neſcientes enim*, ait S. August. lib. 1. de grat. Chriſti Salvatoris, cap. 15. *quis pertineat ad prædeſtinatorum numerum, quis non pertineat, ſic affici debemus charitatis affectu, ut omnes velimus ſalvos fieri*, Et cap. 14. *Sub iſto ergo incerto ex charitate adhibenda eſt* (correptio, præceptio, exhortatio) *cujus exitus ignoratur, & pro illo cui adhibetur, orandum eſt ut ſanetur.*

Nec illi quibus non datur obedire exhortationibus, & correptionibus poterunt ſe excuſare dicentes, gratiam ſine quâ non poteramus obedire, non accepimus; quia defectus gratiæ non fecit eos non obedire, ſed mala eorum voluntas: ex quâ ab obediendum facti ſunt impotentes. O *homo*, dicit S. August. lib. de corrept. & grat. c. 3. *in præceptione cognoſce quid debeas habere,*

Digitized by Google

in correptione tuo te vitio non habere, quaſi diceret, præceptum docet te quid debeas facere; correptio verò oſtendit, quòd ex tuâ malâ voluntate factum eſt, ut præceptum non impleres. Et cap. 7. *Perſeverantiam eſſe donum Dei, juſtè tamen corripimus eos, qui cùm benè viverent, non in eo perſeverarunt; ex bonâ quippè in malam vitam ſuâ voluntate mutati ſunt.*

Nihil etiam ita demonſtrat hominis ſuperbiam occultam quàm ipſa correptio. Dum enim corripimur, ſtatim indignamur, & nos excuſamus. Undè hoc? niſi quia blandiebamur nobis ipſis de ſufficientiâ ad benè agendum, & correptione oſtendente noſtram inſufficientiam, indignamur, & quærimus excuſationes inſufficientiæ noſtræ. Sicque juſto Dei judicio fit ipſa correptio noſtræ ſuperbię pœnale tormentum. Non enim voluntas ſuperba mediocriter torquetur, quòd ſcientiâ rerum agendarum inſtructa, probitatis larvam, quam ſibi habere videbatur, ſibi detractam, proprioque judicio ſe ream, damnatamque videt. Undè S. Augustinus ibid. cap. 14. dicit: *Patiantur ergo homines ſe corripi quando peccant, nec de ipsâ correptione contra gratiam argumententur, nec de gratiâ contra correptionem: quia & peccatis juſta pœna debetur, & ad ipſam pertinet juſta correptio, quæ medicinaliter adhibetur, etiamſi ſalus ægrotantis incerta eſt, ut* Si is qui corripitur ad praedestinatorum numerum pertinet, sit correptio salubre medicamentum: si autem non pertinet, sit correptio poenale tormentum.

ARTICULUS IJ.

Seclusâ Scientiâ Mediâ Deus non neceſſitat liberum arbitrium.

CXXXVJ. Hoc ſecundo libertatis pigmento Molinæ diſcipuli deformitatem Scientiæ Mediæ occultant, & in eo mirificè gloriantur. Non advertentes quòd eadem fuerit Impugnantium, S. Augustinum inanis gloriatio. Gloriabantur enim ipſi, ſe ita defendere gratiam, ut libertatem ſervarent, & S. Augustino frequenter exprobrabant, ita eum defendere gratiam, ut liberum arbitrium negaret. Hinc Julianus eum vocat: *Præcipuum liberi arbitrii negatorem*, & hoc *certiſſimum eſſe aſſeverat.* Experiuntur Thomiſtæ veritatem ejus, quod dixit Chriſtus, *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum. Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domeſticos ejus?*

Digitized by Google

§. I. *Quædam præmittuntur ad dictorum, & dicendorum concordiam.*

IN art. præcedenti dictum eſt, hominis infirmi voluntatem non poſſe ex præcedenti actu ſe applicare ad bonum invictè volendum, ſed à Deo ſpecialiter applicari. In hoc articulo ſæpè dicetur, liberum arbitrium in omni ſuo actu ſe applicare & determinare. Ut igitùr non videamur nobis ipſis contrarii, oportet mentem noſtram diſtinctiùs aperire.

CXXXVII. Sciendum eſt, quòd noſter intellectus non ſolùm attingit rationem boni, ſed etiam rationem volitionis. Undè judicium indifferens, quo dirigitur & imperatur actus liber ratione judicii ſpeculativi quod includit attingit rationem boni, dum judicat utramque partem eſſe amplectibilem: ratione verò judicii practici, attingit rationem volitionis, dum judicando unam partem eſſe appetendam diſcernit, quòd actus, qui debet poni circa illam partem debet eſſe proſecutio, & non nolitio. Ex quo fit ut actus liber voluntatis ſequens prædictum judicium non ſolùm feratur in ipſam rationem ſui objecti, ſed etiam in rationem ſui actûs: ita ut voluntas liberè volens non ſolùm velit objectum, ſed etiam virtualiter velit ſe velle, determinando ſe ad volitionem, & non ad nolitionem.

Quæ doctrina clariſſimè traditur à Doctore Angelico 2. 2. q. 25. a. 2. his verbis: *Sed amor & ex ratione propriæ ſpeciei habet, quod ſupra ſe reflectatur, quia eſt ſpontaneus motus amantis ad amatum. Vndè ex hoc ipſo quòd amat aliquis, amat ſe amare.* Quia nimirum judicium intellectûs quo dirigitur amor, & imperatur, non ſolùm diſcernit objectum, ſed etiam proportionem actûs ad objectum; & ideò ſi judicio indifferenti amet objectum liberè, judicio quoque indifferenti amabit liberè ſe amare. Si verò judicio determinato amet neceſſario objectum, judicio quoque determinato amabit neceſſariò ſe amare. Undè patet, quòd ad libertatem non ſufficit ſola ſpontaneitas, quâ voluntas amat ſe amare, ſed requiritur quòd mediante judicio indifferenti amet ſe amare.

CXXXVIII. Hanc etiam Doctrinam habet S. Thomas 1. 2. q. 16. a 4. ad 3. dicens: *Et quia actus voluntatis reflectuntur ſupra ſeipſos in quolibet actu voluntatis poteſt accipi conſenſus & electio, & uſus: Ut ſi dicatur quòd voluntas conſentit ſe eligere, & conſentit ſe conſentire, & utitur ſe ad conſentiendum & eligendum.*

Ratione iſtius virtualis reflectionis voluntas dicitur virtualiter ſe determinare, & applicare ad volendum; Et in hoc ſenſu loquemur de prædictâ determinatione & applicatione voluntatis in hoc articulo. Nam in præced. articulo loquuti ſumus de aliâ formali applicatione, quam voluntas

Digitized by Google

non habet in omni ſuo actu, ſed ſolùm in illis, qui ex alio actu procedunt; Ex quâ applicatione formali, actus tribuitur voluntati, & non Deo, qui ad illum applicat ut motor univerſalis, non ut agens ſpeciale, ratione cujus talis actus ſpeciali quâdam ratione dicitur eſſe in poteſtate voluntatis, ut ſupra notatum eſt, num. 75.

Hanc poteſtatem applicandi ſe ex præcedenti actu vocavimus *poteſtatem dominij*, non intendentes negare, quin voluntas ſit Domina cujuſlibet actûs liberi, ad quod ſufficit virtualis ſupradicta applicatio, ſed ſolùm diſtinguentes inter applicationem illam virtualem, & communem omni actui voluntatis libero, & quamdam aliam formalem & ſpecialem, quæ non omnibus actibus liberis competit. Ut enim ait S. AUGUSTINUS: *Cùm res ipſa intelligitur, minus laborandum eſt, quid eam hominibus vocare placuerit.* Et lib. 1. retract. c. 15. *Nec de verbis, cùm res conſtat, controverſia facienda eſt.*

CXXXIX. Quidquid igitùr de applicatione & determinatione voluntatis in hoc articulo dixero, ſicut & ſi quid in Capite primo dixi, intelligendum eſt de virtuali illâ applicatione, quâ voluntas ex judicio indifferenti ſe applicat ad volendum in omni ſuo actu libero. Ex hâc enim applicatione habet actus voluntatis quodammodo eſſe cauſa ſui, meritoque liber dicitur. Hanc liberam applicationem voluntatis volunt Molinæ diſcipuli non poſſe ſufficienter ſalvari ſine Scientiâ Mediâ, quia ſi actus voluntatis decernatur à Deo non præcedente exploratione Scientiæ Mediæ, non poterit voluntas ad illum ſe liberè applicare; & multo minùs ſi voluntas ad illum phyſicè prædeterminetur. Quis concipere poteſt voluntatem ſe applicare, & determinare, ſi ab alio principio exteriori applicetur, & determinetur? Nullus certè id poterit Scientiæ Mediæ habens velamen.

§. II. *Conditio P. Annati ad libertatem requiſita exploditur.*

CXL. CUm celebris & invicta ſit apud D. THOMAM, ejusque diſcipulos ſensûs compoſiti, & diviſi diſtinctio; & ex eâ jugulentur omnia Adverſariorum argumenta contra decreta de ſe efficacia ac prædeterminationem phyſicam; omnibus ſuis viribus, conantur Adverſarii hanc diſtinctionem infirmare. E quibus P. Annatus ad radicem videtur poſuiſſe ſecurim dum ait: *Oſtendo igitur requiri ad libertatem ut cum omnibus prærequiſitis, poſſit componere non actionem, ac facere ut ſimul ſint*, de Scient. Mediâ diſp. 1. num. 115.

Inprimis hæc concluſio, quam multis ſuadere nititur P. Annatus, directè adverſatur huic teſtimonio Angelici Doctoris; *Quamvis non eſſe effectus divinæ voluntatis, non poſſit ſimul ſtare cum divinâ voluntate, tamen potentia deficiendi effectum ſimul ſtat cum divinâ voluntate*, de verit. q. 23. a. 1. ad 3. Quid magis

Digitized by Google

ad effectum liberum divinæ voluntatis prærequiritur, quàm divina volitio? Et tamen aſſerit D. Thomas, quòd non effectus divinæ voluntatis, non poſſit componi cum divinâ volitione: ergo apertè contra S. Doctorem concludit P. Annatus, quòd requiritur ad libertatem, ut cum omnibus prærequiſitis ad actionem liberam, ſivè effectum liberum, poſſit componi non actio, ſivè non effectus. Quòd magis adhuc apertum eſt ex ijs, quæ ſubjungit Doctor Angelicus, *Non enim*, ait, *ſunt iſta incompoſſibilia, Deus vult iſtum ſalvari, & iſte poteſt damnari: ſed iſta ſunt incompoſſibilia, Deus vult iſtum ſalvari, & iſte damnabitur.* Unde formo hoc parallelum.

PARALLELUM J.

Doctor Angelicus.	Discipuli Angelici.
Non ſunt incompoſſibilia.	Non ſunt incompoſſibilia.
Deus vult Petrum ſalvari, & Petrus poteſt non ſalvari.	*Deus prædeterminat Petrum ad amorem; & Petrus poteſt non amare.*
Sunt incompoſſibilia.	Sunt incompoſſibilia.
Deus vult Petrum ſalvari, & Petrus non ſalvabitur.	*Deus prædeterminat Petrum ad amorem, & Petrus non amabit.*

CXLJ. Si P. Annatus, & omnes Molinæ diſcipuli, poſſint in hoc parallelo oſtendere quoad præſens, aliquam diſparitatem, gloriari poterunt in D. Thomâ; uſque dum hoc faciant, in ſeipſis ſolùm glorientur. Cùm enim non poſſint dicere, quòd voluntas ſalvandi minùs prærequiratur ad ſalutem, quàm prædeterminatio ad amorem: cur, quæſo, cum præmotione prærequiſitâ ad amorem neceſſe erit componi non amor, ut Petrus amet liberè; ſi cum volitione divinâ prærequiſita ad ſalutem, non debeat componi non ſalus, ut Petrus ſalvetur liberè? Judicet Cordatus.

Deindè prædicta Concluſio P. Annati omnibus Theologis adverſatur, qui unanimiter docent gratiam ſanctificantem non ſtare cum peccato mortali; quod tamen ſequitur ex ſupradictâ concluſione. Nam P. Annatus n. 119. actum oppoſitum æquivalere dicit ipſi non *agere*, & evidens eſt, eamdem quoad præſens eſſe utriuſque rationem. Undè ſequitur, ad liberè merendum, & graviter demerendum, debere cum omnibus prærequiſitis ad merendum poſſe componi actus graviter demeritorius, ſivè peccatum mortale. Et cùm ad merendum maximè prærequiratur gratia ſanctificans, ſequitur ex concluſione P. Annati, quòd ut quis liberè eliciat actum meritorium debeat poſſe componere cum gratiâ ſanctificante actum graviter demeritorium, ſivè peccatum mortale. Undè formo hoc ſecundum Parallelum.

PARALLE-

Digitized by Google

PARALLELVM II.

Omnes Theologi.	Thomistæ.
Cum gratiâ ſanctificante componitur potentia ad peccatum mortale: non tamen peccatum mortale: nec hoc impedit quin aliquis liberè mereatur.	*Cum prædeterminatione ad amorem componitur potentia ad odium: non tamen ipſum odium: nec hoc impedit quin aliquis liberè amet.*

CXLIJ. QUam diſſonantiam audito hoc Parallelo percipient Molinæ diſcipuli? an eam, quòd gratia ſanctificans ſit ſeparabilis ab actu meritorio, prædeterminatio verò ad amorem ſit inſeparabiliter conjuncta amori? imò ex hâc diſſonantiâ, majorem facio quoad præſens, conſonantiam. Si enim peccatum mortale, ut quis liberè mereatur, non debeat componi cum gratiâ prærequiſitâ ad meritum, quæ tamen eſt à merito ſeparabilis; multò minùs odium, ut quis liberè amet, debebit conjungi cum prædeterminatione phyſicâ prærequiſitâ ad amorem, cùm prædicta prędeterminatio ſit ab amore inſeparabilis.

Denique ſupradicta concluſio eſt contra rationem, & deducta ex eo, quòd non ſufficienter attendatur ad radicem libertatis. Cùm voluntas ſit potentia cœca, nihil poteſt velle, niſi intellectus proponat ei objectum ſuum; nec iſto, aut illo modo in illud tendere, niſi iſto, & illo modo fuerit ei ab intellectu propoſitum. Vndè fit, ut ſi intellectus proponat objectum ſolummodo ut bonum, & amabile, voluntas fit ſolùm potens amare, & non actu amat; ſi verò intellectus proponat illud ut bonum, & amandum, tunc voluntas actu amat. Similiter ſi intellectus proponat voluntati objectum ut omne bonum, & omne amabile, tunc voluntas fit potens amare ſine potentiâ ad reſpuendum; ſi verò proponat objectum, ut non omne bonum, vel cum amabilitate oppoſiti, voluntas fit potens amare cum potentiâ ad oppoſitum. Ac proindè ſi intellectus proponat voluntati objectum ut amandum, & ſimul proponat ut non omne bonum, vel cum amabilitate oppoſiti tunc voluntas amabit, ſed cum potentiâ ad non amandum, vel amandi oppoſitum: taliſque actus erit perfectè liber libertate contrarietatis.

CXLIIJ. Quarè ut ſciatur, quid poſſit lædere libertatem actûs, non debet attendi ad conditiones præcedentes, concomitantes, aut ſequentes actum; ſed an actus fiat cum hoc judicio, quo judicatur objectum eſſe amandum, & ſimul ſpeculativè proponatur, quòd tale objectum non ſit omne bonum, vel quòd ejus oppoſitum ſit amabile. Quæcumque conditio (ſivè inferat actum, ſive non inferat actum, ſive ſit in poteſtate voluntatis, ſive non) eſt compoſſibilis cum prædicto judicio, eſt etiam compoſſibilis cum liber-

tate actûs; illa verò conditio, quęcumque ſit illa, quæ tollit judicium, tollit etiam libertatem.

Hinc clariſsimè apparet, quarè *voluntas efficax Dei*, *gratia habitualis*, *prædeterminatio phyſicâ*, quantumvis antecedant actum liberum bonum, & non poſſint componi cum actu oppoſito, nihil tamen lædant libertatem, quia illæſum ſervant judicium prædictum indifferens. Deus enim *vult ſalvare*, ſed non niſi mediante judicio indifferenti ſalvat: *gratia ſanctificans* eodem judicio dirigitur, & movetur ad actum meritorium: *prædeterminatio* deniquè *phyſica* non applicat voluntatem, niſi priùs ſub tali judicio indifferenti fuerit diſpoſita, & adaptata.

§. III. *Afferuntur plura abſurda, quæ ex ſupradictâ conditione P. Annati ſequuntur.*

ET ſanè ſi non eſt alia libertas, niſi quæ cum omnibus prærequiſitis ad agendum componit tam actum, quàm non actum, graviſſima abſurda evitari nequeunt: quibus non ſolùm doctrina utriuſque Solis evertitur, ſed etiam ſenſus Chriſtianæ pietatis læditur, & communis offenditur.

CXLIV. Primò namque ſequitur, efficacitatem gratiæ è diametro repugnare libertati arbitrii. Effectus quippe gratiæ efficacis eſt, facere ut voluntas actu velit, & amplectetur id quod ante languore & torpore quodam non volebat, neque faciebat. *Ideò quiſque noſtrum*, ait S. Augustinus lib. 2. de peccat. merit. cap. 17. *bonum opus nunc ſcit, nunc neſcit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non ſuæ facultatis, ſed divini muneris, vel quòd ſcit, vel quòd delectatur.* Eſt igitùr gratia efficax quid prærequiſitum ad hoc ut voluntas actu velit: ſed cum gratiâ efficaci non poteſt componi *non actus*; cùm effectus illius ſit ipſe actus, qui ſi non poneretur, gratia efficax non foret: ergo deſtruitur efficacitas gratię, ſi cum omnibus prærequiſitis debet poſſe componi tam actus, quàm non actus.

Nec ſolùm de gratiâ per ſe efficaci, quam invictè defendit uterque Eccleſię Sol, argumentum concludit, quod ſufficeret ad abſurditatem: ſed etiam de gratiâ congruâ, quam Moliniſtæ adinvenerunt. Nam etſi conſiderata ſecundùm ſe poſſit ſecum componere *non actum*; ut data tamen in his circumſtantiis non poteſt ſecum componere *non actum*: atqui ut data in his circumſtantiis præcedit, & prærequiritur ad actum: ergo congruitatem, atque efficaciam illius deſtruit ſupradicta conditio Annatica: vel non ſtabit cum eâ libertas.

CXLV. Secundò ſequitur, voluntatem ſuâ efficaci determinatione ad aliquid agendum, v. g. loquendum, tollere ſibi libertatem loquendi: ſiquidem cum voluntate efficaci loquendi quæ prærequiritur ad loquelam, non poteſt

Digitized by Google

componi negatio loquelæ, ſi facultas loquendi ſit expedita. Abſurdum autem eſt, loquutionem neceſſitari ab illo principio, à quo debet libertatem recipere. Nullus actus evertit principium à quo procedit; ſuperveniens volitio à tali poteſtate exiens non poteſt eam evertere. Si autem cum volitione efficaci ſtat poteſtas non loquendi: ergo ad poteſtatem non loquendi non requiritur, quòd cum omnibus prærequiſitis ad loquendum poſſit componi non loquutio.

Quæ abſurditas uſque ad actiones Dei, quæ habent effectum in tempore ſe extendit. Nulla enim creatura liberè à Deo producitur, ſi cum omnibus prærequiſitis ad productionem creaturæ debeat componi non productio: quando quidem maximè prærequiratur in Deo decretum æternum de productione, cum quo non ſtat, nec componi poteſt non productio. Hæc enim non ſunt minus incompoſſibilia, *Deus vult produci Angelum, & Angelus non producetur*; quàm iſta, quæ ex Doctore Angelico retulimus paragrapho præced. *Deus vult iſtum ſalvari, & iſte damnabitur.* Vide num. 34. Cenſuras ad Aſſertionem 23.

CXLVJ. Tertiò ſequitur, Deum nihil poſſe præcipere & imperare Chriſto Domino, ac Beatis. Cùm enim ſint impeccabiles non poſſunt cum præcepto & imperio Dei componere *non actum*: hoc ſiquidem eſt peccare: nec ergo liberè poterunt implere præceptum, ſi cum omnibus prærequiſitis ad impletionem, (inter quæ eſt ipſum præceptum) debent poſſe componere non actum. Quod apertè S. Augustino contrariatur, qui de Angelis bonis lib. 13. confeſſ. c. 15. ſic loquitur: *Vident faciem tuam ſemper, & ibi legunt ſine ſyllabis temporum quid velit æterna voluntas tua*, (ſcilicet per iſtos fieri) *legunt, eligunt, & diligunt, ſemper legunt, & nunquam præterit quod legunt. Eligendo enim & diligendo legunt ipſam incommutabilitatem conſilii tui.* & lib. 8. de Geneſi ad litteram: *Sublimibus Angelis Deo ſubditè fruentibus & Deo beatè ſervientibus ſubdita eſt omnis natura corporea, omnis irrationalis vita, omnis voluntas, vel infirma, vel prava, ut hoc de ſubditis vel cum ſubditis agant, quòd naturæ ordo poſcit in omnibus* JUBENTE *illo cui ſubjecta ſunt omnia.* & clariùs: *voluntatem ejus ſemper facientes ſine tempore & loco, moventur autem ejus* IMPERIO *etiam temporaliter, illo non temporaliter moto.*

CXLVIJ. Hinc quartò videtur etiam ſequi nullum conſilium, ut conſilium, à Beatis cum indifferentiâ libertatis impleri: non enim tantùm aſtricti ſunt ut divinæ voluntati pareant, ſed etiam ut excellentiori quo ab unoquoque fieri poteſt modo pareant. Hoc enim ab eis expoſcit illa ardentiſſima divinæ voluntatis, veritatiſque dilectio: ſiquidem deeſt illis torpor agendi, deeſt illis negotiorum, vel circumſtantiarum concurſus, qui nos ſubinde perplexos, & à conſiliis adimplendis averſos tenet, quamvis ſciamus ea eſſe Deo nobis dilecto gratiora. Imò ſi talis nobis eſſet affectus ardentiſſimæ

Digitized by Google

charitatis erga ſolum Deum, qualis S. Virginis Teresiae mentem accendit, quę etiam voto ſibi agendum præfixit, quidquid magis Deo placere cerneret, profectò neque nos fas nobis eſſe putaremus Dei nobis dilectiſſimi conſilia prætermittere.

CXLVIIJ. Tandem quintò ſequitur, Beatos nullam prorsùs poſſe actionem liberam facere; Nam omnia, quæ illis quoquo modo ſecundùm prudentiæ regulas agenda ſunt, in incommutabili veritate intuentur, ut ex S. Augustino jam vidimus, & iterum ex eodem lib. 22. contra Fauſtum cap. 22. probamus: *Sancti ac ſublimes Angeli habent contemplationem, & actionem ſuam; id enim ſibi agendum imperant, quod ille quem contemplantur, jubet, cujus æterno imperio liberaliter, quia ſuaviter ſerviunt.* Et manifeſtiùs lib. 2. de Geneſ. ad litteram: *Sancti Angeli illam incommutabilem ſubſtantiam ita concipiunt ut viſione & amore eam præponant omnibus, & ſecundùm eam judicent de omnibus, & in eam dirigantur ut agantur, & ex eâ dirigant quidquid agant.*

CXLIX. Ex quibus ſic arguitur: Dictamen prudentiæ divinâ voluntate regulatæ eſt quid in Angelis prærequiſitum ad omnem eorum actionem: ſed cum tali dictamine non poſſunt componere non actum: alioqui poſſent peccare: ergo nulla eorum actio eſt libera: patet Conſequentia ex conditione prædictâ, quæ exigit ad libertatem, ut cum omnibus prærequiſitis poſſit componere non actionem, ac facere ut ſimul ſint. Egregia ſanè P. Annati Philoſophia, præclara gratiæ laus, mira defenſio humanę libertatis, recondita utriuſque reconciliatio; quâ gratia perfecta adimit libertatem, & libertas perfecta aufert gratiam. Cùm tamen Eccleſia tamquam cœlitùs miſſum oraculum ſemper illud S. Augustini ſuſpexerit ac tenuerit: *Hæc voluntas libera tantò erit liberior, quantò ſanior; tantò autem ſanior, quantò divinæ miſericordiæ gratiæque ſubjectior.* Epiſt. 89. *Voluntas quippè humana non libertate conſequitur gratiam, ſed gratiâ potiùs libertatem.* lib. de corrept. & gratia c. 8. Quarum rerum evidentia exclamare compulit S. Augustinum ibid. *Ecce quemadmodum ſecundùm gratiam Dei, non contra eam libertas defenditur voluntatis.*

§. IV. *Secundum libertatis pigmentum ex determinatione voluntatis.*

CL. Durum planè eſt Moliniſtis contra ſtimulum veritatis calcitrare. Nam quò fortius Gratiam Victricem & Praedeterminantem impugnare ſe putant, eò debiliùs Scientiam ſuam Mediam defendunt. Quòd cernere licet in omnibus illis teſtimoniis, quæ ex Doctore Angelico congerunt, ut probent voluntatem ſe determinare, & inde inferant non poſſe à Deo prædeterminari. Quæ conſequentia ab eis deducitur ex illo Moliniſtico principio, ſcilicet, quod ſe determinat non poteſt priùs ab alio deter

Digitized by Google

minari, ſivè quod idem eſt, prædeterminari. Quod principium quantò magis extollunt, tantò magis oſtendunt, determinationem voluntatis non cauſari à Deo effectivè. Si enim à Deo effectivè cauſetur debet eſſe terminus proprius alicujus actionis Dei; quia prædicta determinatio, cùm non habeat neceſſariam connexionem cum voluntate, non poteſt eſſe terminus illius actionis, quæ cauſat voluntatem virtutemque volendi, ſiquidem iſtud axioma, *Qui dat formam, dat conſequentia ad illam*, ſolùm habet locum in iis, quæ cum formâ neceſſariam habent habitudinem: ac proindè ex eo quòd Deus cauſet voluntatem, non poteſt dici effectivè cauſare ejus determinationem, quę contingenter voluntati conjungitur, & oppoſitum illius potuiſſet cum voluntate conjungi. Non enim intelligibile eſt quòd ex vi actionis ſolùm, attingentis principium productivum plurium effectuum, ſequatur iſte effectus, & non ille: ſed actio quæ cauſat determinationem voluntatis facit, quòd iſte effectus ſequatur, & non ille; ergo non eſt intelligibile, quòd actio cauſans effectivè determinationem voluntatis ſit actio producens voluntatem; ſed oportet ut ſit actio propriè terminata ad determinationem voluntatis; ac proinde prior ipsâ determinatione voluntatis, eo modo, quo quælibet actio eſt prior cauſalitate ſuo termino.

Si autem præter collationem virtutis volendi debent Moliniſtæ, velint, nolint, admittere aliam Dei actionem propriè terminatam ad determinationem voluntatis, quę proinde ſit prior cauſalitate determinatione voluntatis, ut ſuo termino; neceſſe eſt, ut etiam admittant prædictam actionem eſſe voluntatis prædeterminativam? & voluntatem ita ſe determinare, ut etiam à Deo priùs determinetur, ſive prędeterminetur. Nam, ſi non volumus ludere terminis, conſtat Angelicos diſcipulos, per hoc quòd Deus prędeterminat voluntatem, nihil aliud intelligere, niſi quòd Deus actione diſtinctâ à collatione virtutis præcedat cauſalitate determinationem voluntis. Si hoc velint Moliniſtæ concedere, nec deſiderent tamen Deum, per hoc dici prædeterminare voluntatem, lubentiſſimè manus eis dabunt Angelici diſcipuli, & ab iſto *prædeterminationis* vocabulo pacis causâ abſtinebunt, dummodò res ipſa eis concedatur: non enim ſuam gloriam, ſed veritatem quærunt: nec re prętermiſsâ de vocibus amant diſputare.

CLJ. Voluntatis determinationem cauſari efficienter à Deo per actionem diſtinctam à collatione virtutis; ac proindè voluntatem ita ſe determinare, ut etiam à Deo prædeterminetur, his paucis verbis evidenter probat S. Augustinus: *Fidelis anima orat Dominum, & dicit: da quod jubes, & jube quod vis*: & addit, *jubet autem ut credamus, & dat ipſum credere*, de dono perſev. cap. 20. Ex quibus verbis ſic arguo: jubet Deus ut voluntas ſe determinet: ergo dat voluntati quòd ſe determinet. Conſequentia eſt legitima & evidens ſecundùm S. Augustinum. Nunc ſubſumo; quidquid Deus dat de novo vo-

Digitized by Google

luntati, cauſatur à Deo efficienter per actionem diſtinctam à productione voluntatis: ſed, ut probatum eſt ex S. Augustino, Deus dat de novo voluntati determinationem ſui actûs: ergo cauſat eam efficienter per actionem diſtinctam à collatione virtutis. Et cùm concurſus ſimultaneus non præcedat cauſalitate determinationem voluntatis, impoſſibile eſt, quòd hic concurſus ſit illa actio, per quam Deus cauſat efficienter determinationem voluntatis.

Eodem argumento virtualiter & in ſuâ radice uſus eſt S. D. N. Clemens VIIJ. in Congregatione 21. de auxiliis habitâ die 27. Januarii Anno 1603. in quâ cùm oſtenſum fuiſſet, Molinam dicere, quòd concurſus divini auxilii naturâ poſterior eſt concurſu liberi arbitrii, cùmque ad Scientiam Mediam recurreret Arrubal, interrogavit Pontifex, quid per illam Scientiam Deus prævidet? Reſpondit Arrubal, influxum liberi arbitrii. Replicavit Pontifex, Aut quem gratia facit, aut quem natura? ſi primum, ſcientia illa non eſt ante decretum; ſi ſecundum, idem dicit Caſſianus; ſic habent acta Congreg. citatæ. Acutè perſpexit Pontifex, ſuperfluam eſſe Scientiam Mediam, ſi gratia influxum ſeu determinationem liberi arbitrii cauſet; nam ſi poſitâ gratiâ debet poni determinatio liberi arbitrii, qui perfectè cognoſcit gratiam, cognoſcet & hujuſmodi determinationem, ſicut ad certam cognitionem effectûs ſufficit cognitio perfecta cauſæ: & hoc ipſo quòd ex ſolâ cognitione gratiç non poſſit certitudinaliter cognoſci determinatio liberi arbitrii, manifeſtè ſequitur, iſtam determinationem non ſubdi cauſalitati gratiæ, nec efficaciæ decreti, ſed ex præſcientiâ ſortiri ſuam certitudinem. Vide cap. 1. art. 1. & 2.

CLIJ. Quare leviſſimum eſt, quod ex hâc determinatione liberâ voluntatis conficitur argumentum, & ab Angelico Præceptore jam pridem eſt ſolutum.

Objiciunt Molinistæ.

Quod ſe & ab intrinſeco determinat ad agendum, non poteſt ab alio determinari: ſed voluntas ſe & ab intrinſeco determinat ad agendum: ergo non poteſt à Deo determinari: multo minùs prædeterminari.

Objiciunt impugnatores D. Th.

Deus non poteſt facere, quod contradictoria ſint ſimul vera: hoc autem ſequeretur ſi voluntatem movet: nam voluntatem moveri ex ſe, eſt non moveri ab alio: ergo Deus non poteſt movere voluntatem.

Solvit Angelicus Doctor argumentum ſibi propoſitum his verbis: Dicendum, quod moveri voluntariè eſt moveri ex ſe, id eſt, à principio intrinſeco: ſed illud principium intrinſecum poteſt eſſe ab alio extrinſeco, & ſic moveri ex ſe non repugnat ei quod movetur ab alio, 1. p q. 105. a. 4. ad 2.

Digitized by Google

Ita & nos Moliniſtarum ſolvimus argumentum, Quod ſe & ab intrinſeco determinat ut primum movens, non poteſt ab alio determinari, conceditur; ut ſecundum movens, negatur. Voluntas autem determinat ſe ut ſecundum movens: quia, ut ait D. THOMAS, principium intrinſecum, per quod ſe determinat, eſt ab alio acceptum; quod principium non eſt aliud, quam judicium indifferens, ex quo voluntas ſe determinat; & ita vis ſolutionis Angelicæ non conſiſtit in hoc, quòd Deus ſolummodò dicatur movere voluntatem, quia dat illi judicium indifferens, ſive principium intrinſecum ſui motûs: ſic enim ſolùm remotè moveret voluntatem, juxta Durandi ſententiam. Sed intentio D. THOMÆ eſt, oſtendere, quòd hoc ipſo quòd voluntas applicetur, & prædeterminetur à Deo mediante judicio indifferenti; ita movetur, quòd etiam ex judicio illo indifferenti ſe determinet.

Undè prædeterminatio phyſica dependens à judicio indifferenti tribuit voluntati quòd ſe moveat, & determinet, ut clariſſimè expreſſit Communis Doctor & Præceptor noſter q. 3. de malo, art. 2. ad 4. dicens: *Manifeſtum eſt quòd cùm aliquid movet alterum, non ex hoc ipſo quod eſt movens, ponitur quòd ſit primum movens. Unde non excluditur quin ab altero moveatur, & ab altero habeat ſimiliter hoc ipſum quod movet. Similiter cùm aliquid movet ſeipſum, non excluditur quin ab alio moveatur, à quo habet hoc ipſum quod ſeipſum movet.* Ita & Moliniſtis dicimus, cùm voluntas ſe determinat, non excluditur, quin à Deo prædeterminetur, à quo habet hoc ipſum quod ſeipſam determinet.

Diſtinguere in hoc caſu inter determinari, & prædeterminari nihil eſt aliud, quàm nodum in ſcirpo quærere, & veritatem detorquere. Nam ſicut ſecundum movens priùs ab alio movetur, quàm ſeipſum moveat; ita ſecundum determinans priùs ab alio determinatur, quàm ſe determinet: ſi priùs determinatur, ergo prædeterminatur: ſiquidem *prædeterminari* apud nos nihil eſt aliud, quam *priùs determinari.*

CLIIJ. Cæterùm, ut melius noſtra & Angelici Doctoris ſolutio in ſuâ „ radice penetretur, oportet explicare, quid ſit movere ſeipſum. Hoc optimè „ explicant Salmanticenſes tract. de voluntario, diſp. 1. n. 6. Ut aliquid, in- „ quiunt, perfectè dicatur movere ſeipſum debet in ſe habere integrum prin- „ cipium ſui motûs, aliàs non moveretur à ſe, ſed ab eo, à quo eſt tale „ principium. Integrum autem principium alicujus motûs coaleſcit tum ex „ potentiâ executivâ: tum etiam ex cognitione finis qui eſt terminus mo- „ tus. Cùm enim omne agens agat propter finem, atque adeò motum à fine, „ & finis non moveat niſi mediâ cognitione, hujuſmodi cognitio intrat ne- „ ceſſariò principium motus. Et ſicut potentia eſt ratio ut motus ſit, ita ut „ ſit ad finem ratio eſt prędicta cognitio. Quę ergo utrumque in ſe habent „ dicuntur perfectè ſe movere; quippè utrumque eſt eis ab intrinſeco, &

Digitized by Google

„ quod agant ſeu moveantur, & quòd tali motu attingant finem. Quæ verò „ non habent cognitionem, ſed ſolam potentiam executivam motus, etſi ha- „ beant in ſe aliquod principium ſui motus, & ratione ejus dicantur ſe mo- „ vere, non tamen dicuntur ſe movere perfectè & abſolutè, quia deeſt illis „ integrum principium ejuſdem motus: & quamvis ſubſtantia operationis „ ſit ab intrinſeco; ordinatio & determinatio ad finem tota eſt ab intrinſeco „ cognoſcente.

Hinc concludunt, quòd ſi *voluntariè agere* nihil eſt aliud, quàm movere ſeipſum in agendo (id quod magis explicat nomen *ſpontanei*, quod cum voluntario coincidit) & ad movendum ſe nec ſufficit ſola potentia intrinſeca elicitiva motus, nec ultra eam requiritur aliud, quàm cognitio ducens motum ad finem, non potuit voluntarium congruentiùs diffiniri, quàm per *eſſe ab intrinſeco cùm cognitione.*

Eſt autem (ſecundum D. Thomam 1. 2. q. 6. a. 2.) *duplex cognitio finis, perfecta ſcilicet & imperfecta. Perfecta quidem cognitio finis eſt, quando non ſolùm apprehenditur res quæ eſt finis: ſed etiam cognoſcitur ratio finis, & proportio ejus quod ordinatur ad finem ipſum. Et talis cognitio finis competit ſoli rationali naturæ. Imperfecta autem cognitio finis eſt quæ in ſolâ finis apprehenſione conſiſtit, ſine hoc quòd cognoſcatur ratio finis, & proportio actus ad finem: & talis cognitio finis reperitur in brutis animalibus per ſenſum & æſtimationem naturalem. Perfectam igitur cognitionem finis ſequitur voluntarium ſecundum rationem perfectam.*

CLIV. Si agens ex perfectâ cognitione finis movet ſeipſum, oportet ut quò perfectior fuerit cognitio finis, & quò magis ponderantur ejus merita, tantò magis agens moveat ſeipſum. Et ideò in amore beatifico, quantumvis quoad ſpecificationem neceſſario, magis voluntas movet ſeipſam, quam amando Deum libertate ſpecificationis. Similiter amando finem magis ſeipſam movet voluntas quam amando media, quia amor mediorum ex amore finis procedit; propter quod unum quodque tale & illud magis.

Hæc ratio movendi ſe ex perfectâ cognitione finis vocatur à S. Augustino aliiſque Patribus libertas à coactione; ratione cujus ſolet ex eis dici, quòd neceſſitas naturalis inclinationis non repugnat libertati; tum quia id, in quod tendit naturalis inclinatio poteſt ex perfectâ cognitione amari; tum quia naturalis inclinatio in finem eſt ratio amandi media cum poteſtate ad utrumlibet. Vndè ſi contingat uno & eodem actu voluntatis finem cum mediis amari, invenientur ſimul neceſſitas naturalis inclinationis & libertas indifferentiæ, quamvis reſpectu diverſorum. Ea autem ſibi non repugnant, quæ in uno & eodem ſubjecto ſe compatiuntur. De hoc ſic loquitur Præceptor noſter: *Naturalis neceſſitas ſecundùm quod voluntas aliquid ex neceſſitate velle dicitur, ut felicitatem, libertati voluntatis non repugnat, ut Auguſt. docet in 5. de civitate Dei. Libertas enim voluntatis violentiæ vel coactioni opponitur. Non eſt autem*

violentia

Digitized by Google

violentia vel coactio in hoc quòd aliquis ſecundum modum ſuæ naturæ movetur, ſed magis in hoc quòd naturalis motus impeditur: Sicut cùm impeditur grave ne deſcendat ad medium. Undè voluntas liberè appetit felicitatem, licet neceſſariò appetat illam. Sic autem & Deus ſuâ voluntate liberè amat ſeipſum licet de neceſſitate amet ſeipſum, de pot. q. 10. a. 2. ad 5.

An autem hæc libertas à coactione, ſivè, quod idem eſt, poteſtas movendi ſe ex perfectâ cognitione finis, ſufficiat ad meritum, poteſt rationabiliter dubitari, ſi de eſſentiâ meriti pro omni ſtatu fiat quæſtio. Si verò ſolùm conſideretur ſtatus naturæ lapſæ certiſſimum eſt prædictam libertatem à coactione non ſufficere ad meritum. Nam Innocentius X. damnavit hanc propoſitionem:

Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

Cui damnationi reverenter, & ex toto corde ſine ullâ mentis reſtrictione nos ſubmittentes, hanc etiam propoſitionem in omni ſenſu ab Eccleſiâ reprobato, damnamus, rejicimus, & reprobamus.

Circa Doctrinam præſentis numeri conſule opuſculum tertium, ubi cap. 10. §. ultimo, & cap. 11. §. primo, ad normam ſyllogiſmi practici, quæ hìc dicimus, clarè explicamus.

§. V. *Tertium libertatis pigmentum ex ſuppoſitione antecedente.*

CLV. Cum duplex ſit conditio actûs liberi, *voluntatis*, ſcilicet, *determinatio*, & *ad utrumlibet poteſtas*: ex utrâque conditione pigmenta ſibi formant Moliniſtæ, ut cum deſtructione phyſicæ prædeterminationis faciem Scientiæ. Mediæ ornent, ac decorent. *Fruſtra autem jacitur rete antè oculos pennatorum.* Jam vidimus Paragrapho præcedenti merum veritatis eſſe fucum, aſſerere quòd voluntas non poſſit ſe determinare, ſi à Deo prædeterminetur, ſi Delectatione victrice invictè trahatur. Tam enim delectatio victrix, quàm phyſica prædeterminatio movent & determinant voluntatem, hæc phyſicè, illa moraliter, cum dependentiâ à judicio indifferenti: ac proindè ex perfectâ cognitione finis, quod ſufficit, ut voluntas ſic priùs mota ſe moveat, & determinet.

In hoc autem Paragrapho alterius conditionis pigmentum ex poteſtate ad utrumlibet quæſitum diluemus, quod ſub hâc formâ poteſt proponi: ſuppoſitio antecedens & inſuperabiliter inferens actum tollit poteſtatem ad

Digitized by Google

utrumque: ſed tam DELECTATIO VICTRIX, quàm phyſica prædeterminatio antecedunt voluntatis determinationem, & inſuperabiliter inferunt eam: ergo tollunt poteſtatem ad utrumlibet. Minorem concedimus, Majorem ſic probant: Quod antè omnem voluntatis determinationem determinat voluntatem ad unum actum, tollit poteſtatem ad utrumlibet; ſed ſuppoſitio antecedens & inſuperabiliter inferens actum, ante omnem determinationem voluntatis determinat eam ad unum actum: ergo &c.

RESPONDETUR negando Majorem, & ad illius prob. diſtinguitur Major. Quod determinat voluntatem ad unum actum, remanente poteſtate ad utrumque, tollit poteſtatem ad utrumlibet, negatur. Quod determinat ad unum, ſublatâ poteſtate ad utrumque, tollit, &c. conceditur. Suppoſitio autem antecedens, qualis eſt DELECTATIO VICTRIX, & qualis quoque eſt phyſica prædeterminatio, ante omnem voluntatis determinationem, determinant quidem voluntatem ad unum actum, ſed remanente poteſtate ad utrumque; quia determinant dependenter à judicio indifferenti, quod tribuit voluntati poteſtatem ad utrumque.

CLVJ. Undè DELECTATIO VICTRIX, & phyſica prædeterminatio non determinant voluntatem, tollendo indifferentiam ex parte actûs primi ſe tenentem; ſed ipſam poteſtatem ad utrumque conjungunt cum uno ex duobus actibus, qui non poſſunt ſimul conjungi. Sicut enim qui ſuâ actione conjungit virtutem calefaciendi calefactioni, non tollit virtutem calefaciendi, ſed eam perficit; ita Deus DELECTATIONE VICTRICE, & phyſicâ prædeterminatione conjungens poteſtatem ad duos actus inter ſe incompoſſibiles, cum uno ex illis, non tollit prædictam poteſtatem ad utrumque actum, ſed eam perficit, faciens, quòd habeat ſuum exercitium, & quòd actus egrediatur à poteſtate faciendi utrumque, ac proinde quòd actus liber egrediatur; ſiquidem ad libertatem actûs nihil aliud requiritur, quàm quòd actus exeat à poteſtate faciendi utrumque, ſicut ad actum vitalem ſufficit, quòd actus exeat à principio vitæ.

Quemadmodum ergo voluntas cognoſcendo *in majore* perfectè finem, vel ipſam rationem boni, habet poteſtatem ſe movendi & determinandi; ita cognoſcendo *in minore* perfectè media, aut bona particularia, accipit poteſtatem ſe ad utrumque oppoſitum determinandi. Judicium enim *minoris* indifferens in quantum offert voluntati utrumque ut amplectibile dat voluntati poteſtatem prædictam; in quantum verò judicat unum hìc & nunc eſſe amplectibile, & concluditur hic & nunc eligendum, determinat voluntatem ad unum, remanente poteſtate ad utrumque. Vndè ſicut impoſſibile eſt, poſitâ perfectâ cognitione finis voluntatem non ſe movere, & determinare, inquantum ex ipſâ ratione finis volitâ *in majore* concludit ipſum finem eſſe amandum: ita impoſſibile eſt, poſito judicio *minoris* indifferenti voluntatem

Digitized by Google

non ſe determinare ad unum cum potentiâ ad oppoſitum, in quantum ex ipſo judicio *minoris* indifferenti concludens, unum eſſe volendum vult illud cum poteſtate volendi oppoſitum. Neque hoc magis derogat divinæ omnipotentię, quàm quòd non poſſit rerum eſſentias mutare, & poſitâ diffinitione non ponere eſſentiam.

CLVIJ. Quam de judicio *minoris* indifferenti doctrinam ex communi Thomiſtarum doctrinâ deſumpſimus, inter quos eam clariſſimè, & in ſuâ radice explicant Doctiſſimi Salmanticenſes tom.3. in 1.2. tract. de voluntario, diſp.2. dub. 1. nu. 20. & ſeq. quorum verba referimus:

„Pro quō animadvertendum eſt, quòd ut voluntas liberè operetur, aliquid requiritur ex parte potentiæ, ſeu actus primi, & aliquid ex parte actualis exercitii libertatis. Ex parte potentiæ ſufficit, & requiritur, ut ſimul ſit in eâ facultas, & *poſſe* ad utrumlibet extremum oppoſitionis: ita ut ſimul verificetur quòd poteſt amare, & poteſt non amare, ſeu quòd poteſt amare, & poteſt odiſſe. Ex parte verò actualis exercitii requiritur, quòd actu ſe applicet ad unum ex prædictis extremis, & non ad aliud: quippè actualis applicatio ad utrumque ſimul eſſe repugnat: ita tamen fieri debet hæc applicatio, ut non excludat potentiam ad oppoſitum, ſed intactam, & illæſam relinquat. Seu requiritur quòd ita ſe applicet ad unum, ut ſimul cum hâc applicatione permaneat, & conſervetur idem *poſſe* ad utrumque, & cum eâdem amplitudine ſicut erat antea: ratione cujus verificetur, etiam quando actu ad unum tendit, poſſe tendere ad oppoſitum. Quæcumque igitur determinatio ita applicat voluntatem ad unum extremum, ut non remaneat in eâ prædictum *poſſe*, officit libertati: quæ verò illæſum relinquit, ſive ab ipsâ voluntate, ſive ab intellectu, vel aliunde proveniat, optimè cum libertate cohæret.

„Secundò nota, voluntatem quoties liberè agit, (*libertate contrarietatis*) duplex ſaltem judicium ab intellectu requirere (ſivè formaliter, ſivè ſolùm virtualiter diſtinctum) alterum proponens indifferenter extrema, inter quæ eſt exercenda libertas, & in unoquoque ſufficientem bonitatem ratione cujus poſſit appeti, ſimul cum aliquo bonitatis defectu, ratione cujus valeat reſpui: alterum dictans determinatè & efficaciter, quę pars hìc, & nunc, ſit eligenda. Ex quibus primum conſtituit voluntatem ſolùm in actu primo liberam, & potentem ad utrumlibet: ſecundum verò conſtituit eam ſub actuali exercitio libertatis applicatam ad partem quæ eligitur. Nam ſicut voluntas ut libera in actu primo, ſolùm habet quòd poſſit tendere ad utrumlibet, non tamen pro illo ſigno tranſit ad aliquod actu appetendum: ita judicium pro tali ſigno neceſſarium ſolùm debet proponere utrumque ut poſſibile appeti: non verò oſtendere, quòd ſit hìc, & nunc determinatè eligendum.

Digitized by Google

„Cęterum, quia exercitium libertatis eſt actualis electio unius dumtaxat, „ retento eodem *poſſe*, & facilitate ad aliud, judicium ad hoc requiſitum „ debet determinatè dictare illud unum eſſe eligendum, & connotare per- „ manentem propoſitionem primi judicii de utriuſque eligibilitate. Et ſicut „ in voluntate non habent repugnantiam, ſed proportionem & connexio- „ nem, quòd potens eligere utrumlibet, eligat determinatè unum: ita in „ intellectu nullam habent oppoſitionem, ſed proportionem & connexio- „ nem, judicare ex unâ parte utrumque extremum eſſe eligibile, & ex „ aliâ hoc dumtaxat eſſe eligendum. Atque adeò ſtant ſimul determinatio „ & applicatio poſterioris judicii ad unum extremum, & indifferens pro- „ poſitio prioris reſpectu utriuſque. Eò præſertim quia prædicta judicia ha- „ bent diſtincta objecta: nam primum judicat indifferentiam ex parte po- „ tentiæ, & actus primi, poſterius verò determinationem ex parte actus „ ſecundi: quæ ſicut non repugnant ſimul eſſe in voluntate; ita non repu- „ gnant ſimul cognoſci & judicari ab intellectu.

„CLVIIJ. Hinc liquet veritas noſtræ ſolutionis. Nam ex quâ parte ulti- „ mum judicium intellectûs practicè & efficaciter dictat electionem unius „ tantùm extremi, & conſtituit voluntatem ſub libertatis exercitio, trahit „ infallibiliter ſecum ipſam electionem: & ideò non eſt poſſibile in ſenſu „ compoſito cum illo, voluntatem non eligere tale extremum, aut eligere „ oppoſitum. Ex quâ verò prædictum judicium non opponitur primo, re- „ linquit cum eâdem indifferentiâ & univerſalitate totam ejus propoſitio- „ nem circa utrumque extremum, atque adeò integram & illęſam facultatem „ quę ex vi talis judicii erat in voluntate per modum actûs primi ad eligen- „ dum utrumlibet: quod eſt ipſam voluntatem poſſe abſolutè & in ſenſu „ diviſo non eligere quod eligit, & eligere oppoſitum.

„Dices, eo ipſo quòd ultimum judicium quoquo modo voluntatem ad „ unum determinet, tollit indifferentiam prioris, quæ omnem determina- „ tionem excludit; ergo non relinquit facultatem ad utrumlibet.

„CLIX. Reſpondetur negando antecedens, loquendo de indifferentiâ „ poſitivâ, quæ eſt de ratione libertatis: hæc enim indifferentia ſolùm poteſt „ auferri per determinationem ad unum tenentem ſe ex parte potentiæ, & „ reſtringentem illam in ratione potentiæ, non autem per determinatio- „ nem quæ ſe tenet ex parte actûs ſecundi, qualis eſt determinatio, quæ „ ſit per prædictum ultimum judicium. Nam ut diximus, ita hoc judi- „ cium applicat ad unum actum, ut non reſtringat, neque coarctet lati- „ tudinem potentiæ, & facultatem ejus per modum actûs primi ad op- „ poſitum.

„Diximus *loquendo de indifferentiâ poſitivâ*, *&c.* Quia in voluntate ut „ actuata per primum judicium, & antequam ſecundum adveniat, duplex

„ indifferentia conſiderari poteſt. Alia *poſitiva*, quæ dicit virtutem per mo-
„ dum actûs primi non coarctatam, neque limitatam ad unum: & hæc ma-
„ nere debet in quolibet ſtatu potentiæ liberæ, adhuc in ipſo exercitio liber-
„ tatis. Alia *privativa*, vel *negativa*, quæ dicit ſuſpenſionem ab omni actu
„ ſecundo, atque adeò ab omni libertatis exercitio. Hæc autem indifferen-
„ tia tantùm abeſt, quòd ſit neceſſaria ad libertatem, quòd potiùs aufertur
„ per quemlibet actum liberum: tamdiuque voluntas exercitio libertatis ca-
„ ret, quamdiu ſub illâ perſeverat: Undè divina libertas, quæ omnium
„ perfectiſſima eſt, & ſemper in actuali exercitio, nunquam tamen ſuſpen-
„ ſionem admittit.

„ Judicium ergo de quo loquimur tollit hanc ſecundam indifferentiam:
„ quia transfert voluntatem ab eſſe libera ſolùm in actu primo, atque adeò
„ ab ſtatu prædictæ ſuſpenſionis, ad ſtatum actûs ſecundi, & exercitii li-
„ bertatis; non tamen tollit aliquid de primâ, quia virtus & latitudo po-
„ tentiæ non diminuitur per applicationem ad actum ſecundum; ſed actua-
„ tur, & perficitur: Undè potiùs prædictum judicium conducit tamquam
„ ſimpliciter neceſſarium ad exercendam libertatem, quàm ei aliquo modo
officiat. Huc uſquè Doctiſſimi Patres.

§. VI. *Satisfit quibuſdam objectionibus contra doctrinam de judicio indifferenti præc. §. traditam.*

CLX. Ut præclara hæc Thomiſtarum de judicio *minoris* indifferenti doctrina ſine offendiculo à Cordatis ſuſcipiatur, aliqua contra eam objiciemus, & diluemus.

Primò. Superflua erit in voluntate prædeterminatio phyſica; ſufficienter enim Deus applicabit voluntatem mediante illo judicio indifferenti; ſiquidem ſtante tali judicio infallibiliter ponitur actus liber.

Respondetur, Nonobſtante prædicto judicio voluntatem adhuc indigere præmotione phyſicâ, quâ Deus in omni operante immediatè operatur. Non enim Deus in voluntate operante immediatè operaretur ſi ultra prædictum judicium phyſicè à Deo non prædeterminaretur. Ratio eſt quòd ſicut omnis virtus immediatè à Deo dependet licet una virtus ab alia virtute cauſetur, ita omnis actio phyſicæ prædeterminationi ſubordinatur, licet una actio ab aliâ cauſetur & determinetur. Hoc enim exigit univerſalitas influxûs primi moventis. Undè dum dicitur quòd judicium ultimum practicum applicat & determinat voluntatem ad unum actum, ſemper ſubintelligitur concurrente applicatione & phyſicâ prædeterminatione Dei, & ita in omni operante ab aliâ ſecundâ cauſâ moto, eſt ſemper ſubintelligendum; v. g.

Digitized by Google

ignis comburet neceſſariò lignum ſibi approximatum & ritè diſpoſitum, ſubintellige concurrente Dei applicatione. Ovis apprehensâ lupi ſpecie & æſtimativâ illius judicante eſſe fugiendum, fugiet lupum, ſubintellige concurrente Dei prædeterminatione ad talem fugam. Voluntas appetens finem appetet medium neceſſarium ad finem, ſubintellige concurrente Dei prædeterminatione ad volitionem mediorum: & ſic de omnibus aliis quibuſcumque actionibus quæ ex aliquâ præcedente actione inferuntur: alioquin Deus non in omni operante operaretur applicando virtutes eorum ad agendum, cujus contrarium docet D. Thom. 1. p. q. 105. a. 5. & de potentiâ q. 3. a. 7.

CLXJ. Secundò. Si ad omnem actum liberum voluntatis debet præcedere judicium efficax intellectûs applicans ad talem actum: voluntas non erit priùs movens ad exercitium, ſed priùs quoad exercitium ab intellectu movebitur.

Nec refert ſi dicas, efficaciam illius judicii non eſſe ex ipſo intellectu, ſed ex voluntate mediâ aliâ volitione, quæ prædictum judicium antecedit. Nam contra hoc eſt, quia ſi ad omnes actus voluntatis ſupponitur prædictum judicium, ſaltem efficacia primi judicii erit ex ipſo intellectu: ſiquidem nullum ſupponit actum voluntatis, à quo eam recipiat.

Respondetur nihilominus ſuſtinendo prædictam ſolutionem. Et ad impugnationem dicendum eſt, efficaciam primi judicii neque eſſe ex voluntate creatâ, neque ex intellectu ſecundùm ſe, ſed ex voluntate authoris naturæ, cui ſpeciali titulo incumbit movere, tam voluntatem, quàm intellectum ad exercitium primi actûs: ut indè voluntas poſſit ſe, & intellectum ad cæteros actus applicare.

Hæc eſt diſtinctio, quam n. 73. dedimus duplicis prædeterminationis; *ſpecialis* ſcilicet, & *univerſalis*. Dum enim Deus immittit judiciumindifferens, & practicum independenter ab aliquâ volitione præcedente, tunc *ſpecialiter* prædeterminat voluntatem; dum verò prædictum judicium immittit Deus præcedente aliquâ volitione, tunc *univerſaliter* dicitur eamprædeterminare.

Quam doctrinam tradunt Salmanticenſes ſupra diſp. 2. dub. 5. num. 105. ubi cùm ſibi objeciſſent, quòd voluntas in primo actu non movet ſe, ſed movetur ſpecialiter à Deo: eo quòd non ſupponitur alius actus, per quem ſe moveat; igitur non eſt libera. Reſpondent: Voluntatem in primo actu „ & movere ſeipſam, & moveri ſpecialiter à Deo: quia hæc duo non re„ pugnant. Cùm enim Deus moveat unumquodque accommodatè ad ejus „ naturam, non minùs poteſt movendo cauſas liberas conſervare eis liber„ tatem, & modum ſe movendi, quàm movendo neceſſarias imponere illis „ neceſſitatem & determinationem. Undè, quia voluntatis ea eſt natura, „ ut circa objectum indifferenter propoſitum petat ferri cum libertate, ſic

Digitized by Google

„ eam applicat, ut non tollat quominùs ipſa *elicitivè* ſe moveat, prout ſuf„ficit ad agendum liberè abſolutè.

„ Diximus, *pro ut ſufficit ad agendum liberè abſolutè*: quia non negamus vo„luntatem habere aliquid in cæteris actibus, quod non habet in primo, ra„tione cujus tribuitur ei à D. Thom. quòd ſpecialiter in illis ſe moveat. „ Nam in primo non ſe movet medio conſilio proprio, ſed ab authore na„turæ invenit præſtitutum ſibi finem, circa quem poſſit operari, vel non „operari: in cæteris verò ipſe agens mediâ ratione, & conſilio adinvenit, „ & determinat objectum à ſe proſequendum, vel fugiendum: & quia „ conſilium non eſt de fine ut tali, ſed de mediis quæ ipſum finem voli„tum præſupponunt, debet hunc modum movendi ſe præcedere aliquis „ actus in voluntate, qui ſit ratio conſilii, & electionis circa media. Quam„vis autem prædictus modus movendi ſe libertatem augeat; non tamen „ requiritur ad agendum abſolutè liberè. Quod latiùs proſequuntur de „ Angelis, diſp. 11. à num. 27.

Iſtos duos modos movendi ſe, quos habet voluntas, diſtinximus initio hujus articuli; unum vocavimus *modum movendi ſe virtualiter*, alium vocavimus *modum movendi ſe formaliter*. Qui etiam poſſent ſic appellari, ut primus dicatur modus movendi ſe, vel determinandi ſe, *elicitivè*, alter dicatur modus movendi ſe, vel determinandi ſe, *applicativè*. Sed parum curandum eſt de nominibus, cùm res ipſa teneatur. * Quantum ad ipſam rem, réflectè oculos mentis ſuprà doctrinam communem; docent Theologi, ubi ſunt duo actus realiter diſtincti, quorum unum ex alio deducit intellectus, eſſe diſcurſum formalem in intellectu: at ubi unâ realiter cognitione attinguntur principia & concluſiones, eſſe ſolummodò diſcurſum virtualem. Ita in voluntate, dum ex præcedente actu & conſilio determinat ſe ad aliquid amandum eſt *applicatio formalis*: dum verò ſine aliquo præcedente actu & conſilio, cum ſolo judicio indifferenti de amabilitate oppſiti aliquid amat, eſt ſolummodò *applicatio virtualis*: inquantum ſimul fertur in ipſam rationem boni, & id quòd judicatur bonum. Hæc *applicatio virtualis* ſufficit ad libertatem voluntatis *motæ tantum*, ſed *applicatio formalis* exigitur ad libertatem voluntatis *moventis ſe*. Vide opuſc. 3. cap. 11. §. ult.

Junior Moliniſta (de quo n. 127.) duas præcedentes objectiones aſſumpſit,& poſtquam doctrinam Angelicam de judicio indifferenti noſtris duabus objectionibus impugnavit, non alia habens arma quàm quæ ipſi miniſtravimus, ac ſi earum aciem non retundiſſemus, addit: *His Philalethes reponit verba & non ſolutionem*. Judicet Cordatus Lector, ſi verba, & non ſolutionem repoſuerimus, & hinc agnoſcat iſtum eſſe Moliniſtarum genium, ut quod non impugnare valet intellectus, contemnere incipiat affectus. *

Digitized by Google

CLXIJ. Tertiò. Falsò ſupponitur, voluntatem ſequi in omnibus ductum intellectûs: experientia enim oſtendit, multoties nos appetere malum, quod intellectus judicat eſſe fugiendum; & fugere bonum, quod dictat eſſe proſequendum.

Respondetur, veriſſimè ſupponi, voluntatem ſequi in omnibus ductum intellectûs. Pro quo *Nota primò*, quòd cùm objectum voluntatis ſit bonum cognitum ab intellectu, ſicut repugnat eam volendo extra ſuum objectum ferri, ita repugnat velle niſi quod intellectus proponit, & ſecundùm eam tantùm rationem ſecundùm quam proponit. *Secundò nota*, voluntatem quoties liberè appetit aliquod objectum, reflecti ſaltem virtualiter ſupra ſuum actum volendo illum, & omnem ejus modum, quidquid enim velit, vult ſe *velle* illud, & ita *velle* ſicut de facto vult. Vndè non ſolùm debet ei proponi ut bonum, objectum quod directè vult, ſed etiam hoc quod eſt velle illud hìc, & nunc, cum omnibus quibus afficitur prædictum *velle*. Imò quia non utcumque vult tale *velle*, ſed præeligendo ipſum ſuo oppoſito, totum hoc debet, ſaltem virtualiter judicari ab intellectu, ſcilicet, *Bonum & conveniens eſt abſolutè hìc, & nunc, omnibus inſpectis velle tale objectum, & elicere talem actum potiùs quàm oppoſitum.* Quidquid verò horum intellectus formaliter, vel virtualiter non proponit, repugnat voluntatem in ſenſu compoſito ad actum procedere, ſicut repugnat, quòd tendat ad incognitum, & egrediatur ſuum objectum.

CLXIIJ. Hinc facilè probatur noſtra ſuppoſitio. Nam cùm totum hoc abſolutè ſit volitum *eligere hìc, & nunc, ex duobus propoſitis unum præ alio*, totum debet judicari ut conveniens: ne voluntas volens ſic eligere, feratur in id, quod ſub cognitione, & ſub judicio non cadit. Quarè non ſufficit, ut intellectus judicet utrumque extremum poſſe eligi: ſed debet determinatè judicare abſolutè eſſe conveniens hìc, & nunc, omnibus inſpectis eligi, quod eligitur, potiùs quàm oppoſitum: ſicut voluntas abſolutè totum hoc reflexè vult.

Ad hæc: Ut voluntas ſit potens in actu primo utrumlibet eligere, requiritur quòd intellectus utrumque proponat, & judicet poſſe utrumque eligi: ergo ut voluntas ab ſtatu hujus indifferentiæ tranſeat, & applicet ſe ad eligendum determinatè hoc præ illo, neceſſe eſt ut intellectus ſimiliter tranſeat illuminando illam, & dictando eſſe hìc, & nunc conveniens eligere, ſicut eligit, & non ſicut non eligit: aliàs voluntas ibit in hoc tranſitu judicio deſtituta, & cœco modo procedet in diſcretione extremi electi, à non electo. Imò quia ſecundùm ſe cœca eſt, nullatenus ad talem diſcretionem procedet, ſed ſiſtet in eàdem indifferentiâ in quâ ſiſtit judicium intellectus.

Accedit,

Digitized by Google

Accedit, quòd ſicut voluntas ſecundùm totum quod in eâ eſt, ſupponit pro causâ, vel ratione à priori intellectum: ita actus voluntatis, & quęlibet formalitas in eo reperta debet ſupponere, ut rationem ſui, actum ipſius intellectûs: ac proindè repugnabit voluntatem, habere actum eligendi inter extrema ſibi propoſita, ſumendo unum relicto alio, niſi hujus diſtinctionis ratio in intellectûs judicio appareat: quatenùs hujuſmodi judicium priùs diſcernat, & imperet quid ſit hîc & nunc eligendum, & quid relinquendum.

Qui verò dixit, *ſit pro ratione voluntas*, non negavit neceſſitatem hujus judicii & imperii quoties voluntas operatura eſt: ſed voluit oſtendere, ſufficere ipſam delectationem, vel exercitium libertatis, ut intellectus, omni aliâ ratione honeſti ſeclusâ, judicet, (ſivè verè, ſivè falsò) oportere hîc, & nunc, ſic eligere. Maneat igitur, voluntatem in ſuis actibus omninò conformandam eſſe modo judicii intellectûs: ita ut dum intellectus indifferenter tantummodò eligibilia proponit, voluntas ſolùm ſit indifferens, & potens ad utrumque: tunc verò infallibiliter unum determinatè eligat, quando intellectus ſuo ultimo & imperiali judicio ita decernit. Hæc ad verbum ex doctiſſimis Salmanticenſibus ſuprà diſp. 2. dub. 1. num. 14. & ſeq.

CLXIV. Undè ad objectionem reſpondetur negando falſum ſupponi, & ad probationem occurrit D. THOMAS q. 24. de veritate, a. 2. his verbis: *Quòd quando appetitus videatur cognitionem non ſequi, hoc ideò eſt, quia non circa idem accipitur appetitus, & cognitionis judicium: eſt enim appetitus de particulari operabili, judicium verò rationis quandoque eſt de aliquo univerſali, quod eſt contrarium appetitui. Sed judicium de hoc particulari operabili ut nunc, nunquam poteſt eſſe contrarium appetitui, qui enim vult fornicari, quamvis ſciat in univerſali fornicationem malum eſſe, tamen judicat ſibi ut tunc bonum fornicationis actum, & ſub ſpecie boni ipſum eligit.*

§. VII. *Corollarium concilians* DELECTATIONEM VICTRICEM *cum gratiâ phyſicè prædeterminante.*

CLXV. LAtiùs doctrinam de judicio indifferenti ex mente Angelici Doctoris, & ſapientiſſimorum Thomiſtarum explicui propter duo. Primò, ut Cordatis omnibus innoteſceret, quòd judicium indifferens, & libertas indifferentiæ ex eo orta, ſit nomen æquivocè uſurpatum à Thomiſtis, & Moliniſtis. Hi enim arbitrantur, indifferentiam judicii debere excludere omnem determinationem, ita ut poſito quocumque judicio intellectûs, liberum ſit voluntati ſequi contrarium, etiam in ſenſu compoſito, nec voluntatem fore liberam putant, ſi ad prædictum judicium in aliquo ſenſu adſtringeretur. Vnde imaginantur, unum & idem judicium eſſe regulans

Digitized by Google

amorem, & odium: quod proponendo voluntati objectum, & ſub ratione boni, & ſub ratione mali, regulabit amorem, ſi voluntas ad illum ſe determinaverit: ſi verò ad odium ſe determinaverit, regulabit odium. Quæ hallucinatio provenit ex eo, quòd non ſufficienter diſtinguatur inter indifferentiam actûs primi, & determinationem actus ſecundi, ex quibus provenit virtutem faciendi duos actus inter ſe oppoſitos conjungi cum uno ex oppoſitis, abſque hoc quòd aliquid perdat de virtute faciendi oppoſitum: quod ſufficit ad veram libertatem indifferentiæ, dummodò virtus faciendi oppoſita ſe determinet ad ſuum actum, ſivè, quod idem eſt, dummodò agat cum perfectâ cognitione finis, mediante ſyllogiſmo practico formali, vel virtuali.

Angelici autem diſcipuli ſuum Solem fixis oculis ſemper intuentes, in ipſius lumine clarè vident, judicium indifferens non debere excludere omnem determinationem; quia optimè concipiunt cum indifferentiâ actûs primi ſtare determinationem actûs ſecundi, nec ad libertatem plus requiri, quàm poteſtas faciendi oppoſitum in ſenſu diviſo, nullo autem modo in ſenſu compoſito. Undè ſubtiliter, nec minùs dilucidè diſtingunt duo judicia inter ſe incompoſſibilia, quibus debet regulari amor, & odium. Nam judicium indifferens regulans amorem, licet *ſpeculativè* judicet objectum ſibi propoſitum eſſe amabile, & odibile, *practicè* tamen judicat hîc & nunc eſſe amandum, potiùs quàm odiendum. Judicium verò indifferens regulans odium debet practicè judicare objectum hîc & nunc eſſe odiendum, potiùs quàm amandum, licet *ſpeculativè* judicet eſſe odibile, & amabile. Cùm ergo hæc duo judicia ſint inter ſe incompoſſibilia & contraria, omninò repugnat, ut ſtante aliquo ex illis in intellectu detur ſimul oppoſitus conſenſus in voluntate, aut non detur ille, quem tale judicium expoſcit. Quia tamen *ſpeculativè* conveniunt, indifferentiam actûs primi, ſive virtutem faciendi utrumque oppoſitum conferunt voluntati, cum determinatione ad actum ſecundum ſibi proportionatum: & ita fit ut quodcumque ex illis judiciis habuerit voluntas, ſemper id quod amabit, ita amabit, ut poſſit illud odire vel non amare: vel è contra, id quod odiet, ita odiet, ut illud poſſit amare vel non odire.

CLXVJ. Secundò, ut appareat veritas noſtræ concordiæ, & videatur, quàm benè conveniant, & in unâ ſede morentur, Victrix delectatio, & Physica Prædeterminatio, ſivè, quod idem eſt, gratia phyſicè prædeterminans, & delectatio juſtitiæ concupiſcentiam vincens. Advertendum eſt, delectationem victricem eſſe fortiorem amorem juſtitiæ, quàm ſit amor boni concupiſcentiæ, ut enim docet S. Th. 1. 2. q. 32. a. 3. ad 3. *Omne amatum fit delectabile amanti, eo quòd amor eſt quædam unio, vel connaturalitas amantis ad amatum*. Unde Deus inſpirans nobis miris & occultis modis

amorem juſtitiæ fortiorem, quàm ſit amor delectabilis, facit, quòd ea quæ juſta ſunt magis nos delectent, quàm ſenſibilia, & intellectus determinatur ad judicandum practicè ea hîc, & nunc, ut magis delectabilia eſſe amplectenda: ſicque vincit delectatio juſtitiæ delectationem concupiſcentiæ. Et cùm amor ſit ipſa boni complacentia, per quam affectus bono tanquam ſibi convenienti & connaturali primùm coaptatur: illud dicitur rectè delectare voluntatem, quod ſui complacentiam in voluntate cauſat; ad hoc autem non ſufficit, quòd apprehendatur ut bonum, ſed debet practicè judicari hîc & nunc conveniens. *Objectum enim*, ait D. Thom. q. 6. de malo, a. 1. *movens voluntatem eſt bonum conveniens apprehenſum. Undè ſi aliquod bonum proponatur in ratione boni, non autem in ratione convenientis, non movebit voluntatem.* Quod igitur practicè judicatur hîc, & nunc, eſſe conveniens & amplectendum, dicitur delectare voluntatem, id eſt, ſui complacentiam cauſare, quod Gallicè exprimimus, *Cela me plait.*

Ad hunc ſenſum intelligitur, ut notavimus nu. 106. quod S. Augustinus ſerm. 57. cap. 3. dixit: *Non amatur, niſi quod delectat*, id eſt, non amatur niſi quod ſui complacentiam cauſat, ſivè, quod idem eſt, niſi quod practicè judicatur eſſe conveniens. Similiter explicatur celebre aliud ejuſdem Sanctiſſimi Præſulis teſtimonium lib. 1. q. 2. ad Simplician. *Quis habet in poteſtate tali viſo attingi mentem ſuam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem? quis autem animo amplectitur aliquid quod eum non delectat?* id eſt, quod non judicat practicè eſſe conveniens, ſivè quod non ſibi placet, ac ſi Gallicè diceremus, *qui eſt celuy qui aime, ce qu'il ne luy plait pas? Cùm ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum*, id eſt, cum eâ quæ juſta ſunt judicamus eſſe convenientia, in illiſque complacemus, *inſpiratur hoc, & præbetur gratiâ Dei, non nutu noſtro & induſtriâ, aut operum meritis comparatur.* Deniquè & illud quod ſubjungit: *Sed voluntas ipſa niſi aliquid occurrat quod delectet, atque invitet animum*, id eſt, quod judicetur practicè eſſe conveniens, animoque placeat, *moveri nullo modo poteſt. Hoc autem ut occurrat, non eſt in hominis poteſtate.*

CLXVII. Hinc clarè oſtenditur, delectationem juſtitiæ victricem effectum eſſe phyſicæ prædeterminationis. Nam ſi delectatio prædicta conſideretur ex parte objecti, quod practicè judicatur hîc, & nunc, eſſe conveniens, ſivè delectabile; Deus phyſicè prædeterminat intellectum ad hujuſmodi judicium practicum. Si verò conſideretur ex parte voluntatis, prout eſt ipſa complacentia, ſivè amor juſtitiæ, Deus quoque phyſicè prædeterminat voluntatem ad amandum juſtitiam: qui amor juſtitiæ erit neceſſarius, ſi judicium practicum non habeat ſibi adjunctum judicium ſpeculativum alicujus mali; quod ſi habuerit, liber erit. Undè nulla quoad rem poteſt eſſe diſcordia, etiam in hoc puncto, inter diſcipulos utriuſque Solis:

Digitized by Google

utrique enim admittunt, nullum præceptum impleri poſſe ſine delectatione, ſivè amore juſtitiæ; & utrique docent, Deum ſpeciali quodam auxilio phyſicè prædeterminare voluntatem ad hunc amorem juſtitiæ. Sed in nominibus videtur quædam inter eos differentia: quia diſcipuli S. Augustini ipſum amorem juſtitiæ gratiam vocant, diſcipuli verò S. Thomæ ipſum auxilium *quo* prædeterminatur amor nomine gratiæ intelligunt.

Victrix autem congruè dicitur, eo quòd vincat delectationem concupiſcentiæ, ſivè amorem boni delectabilis. Hic enim inſurgente concupiſcentià excitatur circa particulare operabile, qui ſi fortiore amore juſtitiæ ſuperetur, plus delectabit quod juſtum eſt, quàm bonum concupiſcentiæ, *& delectatione juſtitiæ, vincetur delectatio peccati*, ut ait S. Augustinus lib. 1. oper. imperfect. contra Julian. De hoc delectationum, ſivè amorum conflictu vide quæ dicta ſunt num. 71. quibus additur locus hâc de re clariſſimus & preſtantiſſimus S. Augustini in epiſt. ad Galatas, ubi loquens de fructibus Spiritùs Sancti, ſic ait: *Regnant ergo ſpiritales illi fructus in homine, in quo peccata non regnant: Regnant autem iſta bona, ſi tantùm delectant* (amantur) *ut ipſa teneant animum in tentationibus, ne in peccati conſentionem ruat. Quod enim ampliùs nos delectat* (amamus) *ſecundùm id operemur neceſſe eſt: ut v. g. occurrit forma ſpecioſa fœminæ, & movet ad delectationem* (amorem) *fornicationis. ſed ſi plus delectat* (plus placet, plus amatur) *pulchritudo illa intima, & ſincera ſpecies caſtitatis, per gratiam quæ eſt ex fide Chriſti, ſecundùm hanc vivimus, & ſecundùm hanc operamur, ut non regnante in nobis peccato, ad obediendum deſideriis ejus, ſed regnante juſtitià per charitatem cum magnâ delectatione faciamus quidquid in eâ Deo placere cognoſcimus.*

CLXVIIJ. Non tamen ſemper prædeterminat Deus ad amorem juſtitiæ fortiorem, nec proindè gratia prædeterminans ſemper eſt victrix: ſed ſæpè in initio prædeterminat inſpiratione gratiæ ſuæ prævenientis amorem juſtitiæ minùs fortem, quàm ſit amor delectabilis, & licet tunc gratia ſit efficax, & prædeterminans reſpectu iſtius imperfecti amoris, eſt tamen inefficax reſpectu impletionis mandatorum, eo quòd ex fortiore amore delectabilis vincente illum imperfectum amorem juſtitiæ, redditur homo impotens ad implenda præcepta. Quod præclarè docuit S. Augustinus lib. de grat. & lib. arb. cap. 15. *Per hanc*, inquit gratiam, *etiam fit, ut ipſa bona voluntas, quæ jam eſſe cœpit, augeatur; & tam magna fiat, ut* possit *implere divina mandata, quæ voluerit*, *cùm* valdè, perfectèque voluerit. *Ad hoc enim valet, quod ſcriptum eſt: ſi volueris conſervabis mandata: ut homo qui* voluerit, et non potuerit, *nondum ſe plenè velle cognoſcat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata. Sic quippè adjuvatur, ut faciat quod jubetur.*

Ex quo intelligi poteſt, gratiam eſſe relativè efficacem, & inefficacem;

Digitized by Google

victricem, & victam, ſi ad diverſos actus fiat reſpectus, v. g. aliquis poſt Communionem accipit propoſitum, & voluntatem non fornicandi: hæc voluntas eſſet fortis, & ſufficiens ad non fornicandum, ſi homo permaneret in eâdem diſpoſitione. Verùm viſâ alicujus mulieris pulchritudine immutatur, & inſurgit ex actuali motu concupiſcentię fortior amor delectabilis, quàm ſit voluntas non fornicandi. Ideò ſi hæc voluntas fortiori auxilio prædeterminante non roboretur, id eſt, ſi Deus non augeat hanc voluntatem, ſuccumbet, quę non ſuccubuiſſet, ſi motus concupiſcentiæ fuiſſet minor. Gratia igitur dans efficaciter voluntatem non fornicandi eſt ſemper efficax reſpectu illius voluntatis, at reſpectu impletionis præcepti de non fornicando nunc eſt efficax, & victrix; nunc inefficax, & victa, ſecundùm quod minor, vel major eſt delectatio concupiſcentiæ. Et ſi fortè quæras, cur Deus nunc prædeterminet ad amorem minùs fortem, nunc ad fortiorem, audi S. Augustinum lib. 2. de peccat. merit. cap. 17. dicentem: *Ideò quiſque noſtrum bonum opus ſuſcipere, agere, implere, nunc ſcit, nunc neſcit, nunc delectatur,* (amat) *nunc non delectatur* (non amat) *ut noverit non ſuæ facultatis, ſed divini muneris eſſe, quòd ſcit, vel quòd* DELECTATUR, (amat) *ac ſic ab elationis vanitate ſanetur, & ſciat quàm verè non de terrâ iſtâ, ſed ſpiritualiter dictum ſit: Dominus dabit ſuavitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.* Vide quæ diximus num. 72.

* Arguit Junior Moliniſta (de quo n. 161.) vel cum primâ gratiâ prędeterminante, & voluntate non fornicandi eſt in poteſtate voluntatis impedire fortiorem motum concupiſcentiæ, vel illi jam exorto reſiſtere, aut aliam gratiam fortiorem impetrare, vel non; ſi poteſt & non facit, hoc ipſo gratia illa erat proximè ſufficiens & inefficax. Si non poteſt, ergo prima non fuit ſufficiens, ubi ergo libertas?

Reſpondetur, non poſſe impedire motum concupiſcentiæ, ſed poſſe illi exorto reſiſtere ex gratia victrice *ſibi oblatâ*, non *ex gratiâ ſufficiente ſibi datâ*, id eſt, poteſt recipere, & de facto recipiet gratiam vicTricem, ſi ad conſentiendum concupiſcentiæ non ſe determinaverit. *

CLXIX. Quarè meritò damnavit Innocentius X. hanc propoſitionem, *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*, omnes enim Catholici docent, quòd alicui gratiæ interiori veriſſimè reſiſtitur, ſed non ita ut Moliniſtæ, quaſi eidem gratiæ nunc reſiſtatur, nunc non reſiſtatur pro ſolo flexu voluntatis. Hanc etiam juſtè damnavit idem Pontifex: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam eſſe talem, cui poteſt humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* Non enim Semipelagiani hæretici fuerunt, quia gratiæ vel obtemperari, vel reſiſti poſſe dicerent: ſiquidem omnes id Catholici docent, cùm & ipſi gratiæ efficaci poſſe reſiſti affirment: ſed in

Digitized by Google

eo præciſè ab Augustino oppugnati, & poſteà ab Eccleſiâ damnati ſunt, quòd fidem inchoatam; & perſeverantiam in fide negarent hominibus dari per gratiam; eam videlicet, *quæ non eſſet communis bonis, & malis, ſed diſcernens bonos à malis*: eam de quâ dictum eſt: *Omnis qui audivit à Patre & didicit venit ad me*: eam, *quæ* ut ait S. August. de prædeſt. SS cap. 8. *Occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur, ideòque tribuitur ut cordis duritia primitùs auferatur*: eam deniquè per quam *Deo volenti ſalvum facere nullum humanum reſiſtit arbitrium*, de correp. & grat. cap. 14. & ex quâ totum gratuitæ prædeſtinationis myſterium indiſſolubili ſeri connectitur. Has igitur duas propoſitiones in omni ſenſu ab Eccleſiâ damnato rejicimus, & damnamus.

§. VIIJ. *Quartum libertatis pigmentum ex Concilio Trid. vera quoque ſenſûs compoſiti & diviſi intelligentia traditur.*

CLXX. Solent Moliniſtæ inter ſua libertatis pigmenta nobis objicere authoritatem Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 5. definientis: *Juſtificationis exordium in adultis à Deo per Chriſtum Jeſum præveniente gratiâ ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus operatione, quâ nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, ut qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponantur: ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritûs Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omninò agat inſpirationem illam recipiens, quippè qui &* ILLAM ABJICERE POTEST, &c.

Item can. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, neque* POSSE DISSENTIRE SI VELIT; *ſed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, merèque paſſivè ſe habere, Anathema ſit.*

Cum his Concilii verbis non putant Moliniſtæ prædeterminationem phyſicam poſſe componi. Undè quæſo? In promptu cauſa eſt: lumen Angelicum abjicientes, & ſuum requirentes, diſtinctionem ſenſûs compoſiti & diviſi non percipiunt, ſuamque Scientiam Mediam ubique venantes non capiunt efficaciam gratiæ prædeterminativam. Aliter ſapiunt Cordati D. Thomæ diſcipuli, qui apprimè ſciunt, & libertatem arbitrij, & efficaciam gratiæ ſimul ſalvare, adeoque nec latum unguem à verbis Concilij recedunt. Imprimis docent, gratiam phyſicè prædeterminantem facere, quòd liberum arbitrium agat; non ergo ſecundùm eos liberum arbitrium poteſt dici, *veluti inanime quoddam nihil omninò agere, merèque paſſivè ſe habere.* Deindè docent, gratiam phyſicè prædeterminantem dependenter à judicio indifferenti facere, ut liberum arbitrium agat: cùm ergo prædictum judi-

Digitized by Google

cium tribuat libero arbitrio poteſtatem ad utrumque, oportet ut dum liberum arbitrium prædeterminatur ad unum, ita illud unum agat, quòd etiam ſimul habeat poteſtatem faciendi oppoſitum; ac proindè quòd poſſit gratiam prędeterminantem abjicere, eique diſſentire, ſi velit. Ad eum prorsûs modum, quo poteſt gratiam ſanctificantem abjicere, ejusque inclinationi diſſentire, ſi velit; in ſenſu, ſcilicet, diviſo, non autem in ſenſu compoſito.

CLXXI. Aperienda hìc eſt mala Moliniſtarum fides, qui aliter hos ſenſus intelligere ſe fingunt, quàm ſint intelligendi. Dicunt enim hanc noſtram propoſitionem, *Liberum arbitrium phyſicè prædeterminatum à Deo poteſt abjicere gratiam eique diſſentire in ſenſu diviſo, & non poteſt in ſenſu compoſito*, ſic eſſe intelligendam, quòd quamdiu motio divinæ gratiæ eſt in homine, ille nequeat diſſentire, ſed neceſſariò convertatur: ablatâ verò illâ motione efficaci, tunc poterit diſſentire, & non converti. Non, inquam, eſt iſte verus ſenſus hujus propoſitionis, ſed ſenſus à Moliniſtis egregiè confictus, & tanquam hæreticus, ac humanæ libertatis penitùs deſtructivus, falsò adſcriptus utriuſque Solis diſcipulis, cùm tamen ab eorum mente ſit alieniſſimus.

Videantur Capreolus in 1. diſt. 38. q. 1. a. 2. ad 2. Ferrarienſis lib. 1. cont. Gent. c. 67. Dominicus Soto de grat. & lib. arb. lib. 1. c. 16. Bannez 1. p. q. 14. a. 13. dub. ult. & 2. 2. q. 10. a. 1. dub. 2. docum. 3. ad 4. Alvarez de auxil. diſp. 25. num. 19. & diſp. 92. num. 5. & 6. Salmanticenſes tom. 1. tract. 4. diſp. 10. dub. 5. qui, & omnes paſſim Thomiſtæ, tam clarè, & tam frequenter ſe explicant, ut nullus in eos ſuperſit calumniæ locus.

Supponunt doctrinam probabiliſſimam, & per ſe manifeſtam Ariſtotelis, & D. THOMÆ 9 Metaphyſ. lect. 10. quòd in causâ contingenti & liberâ ſimul eſt potentia ad utrumque oppoſitorum, quamvis horum alterum actu habeat: non tamen eſt potentia ad oppoſita ſimul habenda. Sic enim in homine, quamvis actualiter, aut ſedente, aut ambulante, eſt ſimultas *potentiæ* ad ſedendum, aut ambulandum, non tamen eſt *potentia ſimultatis*, hoc eſt, potentia ad ambulandum, & ſedendum ſimul. Et ſimiliter in pariete eſt ſimul potentia ad eſſe nigrum, & ad eſſe album, quæ potentia ad utrumque non tollitur à pariete per actualem albedinem & nigredinem, non tamen eſt potentia ad eſſe ſimul album & nigrum. Et ratio eſt, quia potentia ad unum actum non repugnat potentiæ ad actum contrarium, nec etiam repugnat actui contrario. Sed tota repugnantia & incompoſſibilitas eſt ſolùm in ipſis actibus contrariis, qui ſimul & ſemel reperiri nequeunt in eodem ſubjecto.

Juxta quam Doctrinam facillimè explicatur noſtra propoſitio, *Liberum*

Digitized by Google

arbitrium phyſicè prædeterminatum non poteſt diſſentire in ſenſu compoſito: Non enim componitur, aut combinatur in hâc propoſitione auxilium prædeterminans cum ſolâ potentiâ ad reſiſtendum, ſed cum ipſo actuali diſſenſu, & reſiſtentiâ voluntatis. Nec enim hujuſmodi auxilium habet repugnantiam & incompoſſibilitatem cum potentiâ & libertate diſſensûs aut reſiſtentiæ voluntatis, ſed cum ſolo ejus diſſenſu, aut reſiſtentiâ actuali.

Igitur ſicut hæc propoſitio, *Petrus ſedens non poteſt ambulare in ſenſu compoſito*, non ſignificat, quòd quando Petrus ſedet amiſerit aut potentiam progreſſivam, aut libertatem ambulandi: cùm verò non ſedebit, jam & potentiam, & libertatem ambulandi recuperabit; ſed ſignificat ambulationem & ſeſſionem eſſe actus ſimul incompoſſibiles Petro. Ita & hæc propoſitio, *Liberum arbitrium phyſicè prædeterminatum à Deo non poteſt diſſentire in ſenſu compoſito*, non ſignificat quòd quando prædeterminatio eſt in homine, non poſſit diſſentire ſi velit, ablatâ verò prædeterminatione tunc poſſit diſſentire; ſed ſignificat prædeterminationem eſſe incompoſſibilem cum diſſenſu & reſiſtentiâ voluntatis, nec minùs cum illis pugnare, quàm pugnent in Petro ſedere ſimul & ambulare, vel ſedere, & non ſedere. Itaque ſicut Petrus dum ſedet, ideò liberrimè ſedere intelligitur, quia poteſt ſurgere, poteſt non ſedere, poteſt ambulare, quamvis ipſam ambulationem nequeat componere cum actuali ſeſſione. Ita liberum arbitrium dum à Deo efficaciter prædeterminatur, ideò liberrimè moveri, ſeu conſentire intelligitur, quia ad diſſentiendum, & quidvis aliud operandum, liberrimam retinet poteſtatem, quamvis actum diſſensûs aut reſiſtentiæ non poſſit componere cum ipsâ phyſicâ prædeterminatione.

CLXXIJ. Hæc eſt germana ſensûs compoſiti intelligentia, juxta quam veriſſimè dictum eſt, 1. Joan. 1. *Omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat; ſed nec peccare poteſt, quoniam ſemen Dei manet in illo.* An non natus eſt ex Deo David? an non Petrus Apoſtolus? an non juſti alii plerique? quos tamen poſt acceptam gratiam & potuiſſe peccare, & turpiter peccaſſe Scriptura commemorat? an ergo Scriptura ſibi contraria? Nequaquam; peccare enim poſſunt juſti abſolutè & ſimpliciter in ſe ſpectati, & *in ſenſu diviſo*; At, ut juſti, & ex Deo nati, ut ſemen divinæ gratiæ in ſe habentes non peccant, nec peccare queunt *in ſenſu compoſito.* Nam hæc propoſitio, *juſtus poteſt peccare mortaliter*, in ſenſu compoſito eſt falſa, & in ſenſu diviſo eſt vera: Et tamen *in ſenſu compoſito* non reddit hunc ſenſum, quòd ſcilicet juſtus hoc ipſo quòd habeat gratiam ſanctificantem eſt impeccabilis mortaliter, eo quòd ſi ab illo auferatur, poterit peccare: alioqui gratia ſanctificans non diſtingueretur à perfectiſſimo dono confirmationis in gratiâ; ſed tantùm per illam ſignificatur, quòd juſtus non poſſit conjungere cum ſuâ juſtitiâ, ſeu gratiâ,

Digitized by Google

gratiâ, peccatum mortale, ita ut ſimul ſint in juſto peccatum mortale, & gratia: & è contra *in ſenſu diviſo* eſt prædicta propoſitio vera, quia tantùm denotat, quòd juſtus etiamſi juſtus ſit, poteſt conjungere peccatum mortale cum ſuo libero arbitrio, quod peccatum ſi eſſet, deſtrueret gratiam ſanctificantem.

Eâdem ergò proportione debet explicari ſenſus compoſitus & diviſus in libero arbitrio phyſicè prædeterminato: ac proinde, ſicut non tollit à juſto libertatem peccandi mortaliter, quod *in ſenſu compoſito* non poſſit tale peccatum committere, dummodò *in ſenſu diviſo* poſſit: ita non auferet à voluntate libertatem & potentiam diſſentiendi, quod phyſicè prædeterminata non poſſit *in ſenſu compoſito* diſſentire, dummodo poſſit *in ſenſu diviſo*. Et ſicut in juſto ipſa poteſtas peccandi mortaliter eſt poteſtas abjiciendi gratiam; ita & in phyſicè prædeterminato poteſtas diſſentiendi erit etiam poteſtas abjiciendi prædeterminationem. Vide Salmanticenſes tom. 1. tract. 4. de voluntate Dei, diſp. 10. dub. 5. ubi objectiones aliquas contra hanc diſtinctionem clarè & ſolidè ſolvunt.

Junior Moliniſta (de quo n. 168.) ſic refert noſtram Doctrinam: Di„ ces 1. erat in poteſtate voluntatis ponere impedimentum iſti gratiæ ap„ plicando ſe ad peccandum, & ita intelligendo ſenſum diviſum, poteſt „ voluntas gratiæ prædeterminanti reſiſtere in ſenſu diviſo. Ita Philaleth. „ Hanc objectionem nobis impoſitam ſic impugnat. Sed contra 1°. Idem poſ„ ſent reſpondere. Hæretici de ſuâ gratia neceſſitante. 2°. verba illa diſſen„ tire, reſiſtere &c. non niſi impropriiſſimè in dicto ſenſu acciperentur. 3°. „ ipſum velle ſe applicare ad ponendum gratiæ impedimentum juxta Ad„ verſarios pendet a prædeterminatione.

Diſcat Junior iſte diſtinguere inter carentiam gratiæ prædeterminantis & victricis, & ipſam gratiam; & non finget hoſtem quem feriat. Ut carentia gratiæ ſit in noſtrâ poteſtate, ſufficit quod poſſimus ponere gratiæ impedimentum.

Ut autem gratiæ jam datæ poſſimus reſiſtere & diſſentire non ſufficit quod potuerimus ei ponere impedimentum, ſicut dicere nos fingit; ſic enim verba illa *reſiſtere & diſſentire* impropriè acciperentur, & Hæretici idem poſſent reſpondere de ſuâ gratiâ neceſſitante.

Sed ad propriam dictorum verborum ſignificationem exigitur ut ſimul cum gratia datâ adſit poteſtas abjiciendi gratiam per poſitionem actus contrarii; quam poteſtatem dicimus componi cum GRATIÂ VICTRICE ET PRÆDETERMINANTE; & quia talem poteſtatem negant Hæretici, non poſſunt idem dicere de ſuâ gratiâ neceſſitante.

Quarè ſtat ſemper firma comparatio noſtra (quoad reſiſtentiam & diſſenſum) *gratiæ prædeterminantis* & *gratiæ ſanctificantis*; quia per determina-

Digitized by Google

tionem ad amorem contrarium utrique ponimus impedimentum & utramque abjicimus, eo quòd cum tali determinatione utraque eſt incompoſſibilis, & cum poteſtate ad talem determinationem utraque compoſſibilis. Diſcat hoc Junior Moliniſta, & obmuteſcet. *

CLXXIIJ. Quod in re tam clarâ obtundit Moliniſtas eſt, quòd ſeparent phyſicam prædeterminationem ab actu, & illam concipiant ad inſtar illorum prçrequiſitorum, quæ poſſunt ab actu ſeparari, cum quibus contingit componi non actus. Quis Cordatus non mirabitur hujuſmodi figmentum? cùm enim movens & motum ſint correlativa, implicat contradictionem, quod Deus phyſicâ prçdeterminatione actualiter moveat animam ad conſenſum, & anima non moveatur, & conſentiat. Unde motio Gratiæ prædeterminantis non importat aliquam prioritatem temporis ante conſenſum ipſius voluntatis, ſed ſolam prioritatem naturæ, & quidem talem, quæ dici nequat, prioritas *in quo*, quasi in uno ſigno naturæ exiſtat motio efficax, sive prçdeterminatio physicâ, & in alio ſigno exiſtat conſenſus voluntatis, ut enim diximus, *movere & moveri* correlativa ſunt. Nec poteſt concipi Deus in aliquo inſtanti naturç, ſeu exiſtentiç prçdeterminare, quin in eodem voluntas concipiatur mota & conſentiens. Tota ergo hçc prioritas eſt pura *prioritas à quo*, consiſtens in dependentiâ phyſicâ actus à gratiæ prædeterminatione.

Quarè ut benè concipiatur phyſica prædeterminatio debet ſemper concipi ut conjuncta actui, à quo totam ſuam eſſentiam ſumit; & conſequenter eodem modo comparari debet ad potentiam quo actus, qui cùm nihil tollat de potentiâ, nec in aliquo diminuat virtutem ejus ad oppoſita, ſed ſolùm actum ſibi oppoſitum excludat; ita & prædeterminatio phyſica nihil tollit de potentiâ, nec ejus virtutem ad oppoſita in aliquo diminuit, ſed ſolùm actum ſibi oppoſitum excludit. Et ſicut verificatur, quòd voluntas actualiter amans non poteſt *in ſenſu compoſito* non amare; & hoc illæsâ amoris libertate. Ita verificari debet quòd voluntas ad amandum prædeterminata non poteſt *in ſenſu compoſito* non amare, & hoc illæsâ amoris libertate. Siquidem voluntas eſt ſimul prædeterminata, & amans.

CLXXIV. His ita poſitis, ingeminent Moliniſtæ ſuas de læsâ per gratiam phyſicè prædeterminantem hominis libertate, querelas. Impugnantes S. Augustinum dicunt, libertatem conſiſtere in hoc, quòd *poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poſſit agere & non agere*. Una hæc diſtinctio ſensûs compoſiti, & diviſi ab utroque Eccleſiæ Sole nobis porrecta omnia eorum argumenta retundet. Non enim neceſſe eſt, ut cum omnibus illis ad agendum requiſitis, inter quæ eſt Gratia victrix & prædeterminans, ſtet ſimul, ut non agat voluntas, ſed ſolùm ut poſſit non agere. In libero enim arbitrio quantumcumque ad agendum præparato, imò determinato,

Digitized by Google

& actu operante, requiritur, ut diximus jam ſæpè, *ſimultas potentiæ* ad operandum: & non operandum, non *potentia ſimultatis*, ut videlicet ſimul agat, & non agat: hoc eſt, ut clariùs expoſuimus, in libero arbitrio eſt poteſtas ad oppoſita, non tamen poteſtas ad ea ſimul in ſe habenda; hoc enim nemo niſi inſulſus dixerit. Hoc ergo ſenſu admittimus Moliniſtis, libertatem intelligendam, ut nimirum poſitis omnibus ad agendum requiſitis, etiam auxilio gratiæ phyſicè prædeterminantis, ſtet ſimul, ut poſſit non agere, non autem, ut ſimul non agat. Potentia enim non volendi non repugnat cum omnibus illis ad volendum requiſitis, ſed ſolus actualis diſſenſus, quo actualiter non velit. Itaque *in ſenſu diviſo* poteſt voluntas non facere, id quod Deus per gratiam phyſicè prædeterminantem in eâ operatur, *in ſenſu* verò *compoſito* nequaquam.

CLXXV. Horum utrumque inſinuat D. Augustinus, dum infirmitatem voluntatis humanæ, quæ includit poteſtatem peccandi, paſſim componit cum indeclinabili gratiæ firmitate, quâ fit ut invictiſſimè nolit à bono, ad quòd excitatur, averti, cùm tamen ex ſuâ infirmitate id facillimè poſſit. Lib. de corrept. & grat. cap. 12. *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur.* Rursùm: *Et ideò quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliquâ vinceretur.* Rurſùm: *Infirmis ſervavit ut, ipſo donante invictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere invictiſſimè nollent.* Ubi infirmitatem voluntatis allegat, oſtendit ejus libertatem abſolutam, & *in ſenſu diviſo*, quæ etiam ſub gratiâ conſtituta, poteſt gratiȩ diſſentire. Ubi invictiſſimam, indeclinabilem, & inſuperabilem gratiȩ motionem nominat, oſtendit infallibilitatis, ſeu *ſenſûs compoſiti* neceſſitatem, quâ non poſſit voluntas ab opere bono ullâ tentatione ita declinari, ullâ adverſitate ita ſuperari, ut actualis declinatio, & ſuperatio voluntatis unà cum Dei gratiâ conjungatur.

CLXXVJ. Id ipſum D. Thomas clariſſimè docuit loco num. 140. relato contrà conditionem P. Annati. Item 2.2. q.29. a. 11. *Tripliciter poſſumus conſiderare charitatem, uno modo ex parte Spiritûs Sancti moventis animam ad diligendum Deum, & ex hâc parte charitas impeccabilitatem habet ex virtute Spiritûs Sancti, qui infallibiliter operatur quodcumque voluerit, undè impoſſibile eſt hæc duo ſimul eſſe vera, quòd Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quòd ipſe charitatem amittat peccando.* Clarè hìc Moliniſta habes neceſſitatem, & infallibilitatem ſenſûs compoſiti, dum aſſerit Doctor Angelicus, impoſſibile eſſe cum motione Spiritûs Sancti peccatum conjungi, cum quâ tamen conjungitur potentia ad peccandum. Item 1. 2. q. 10. à 4. ad 3. *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt huic poſitioni quod voluntas ad illud non moveatur* (en neceſſitatem ſenſûs compoſiti, & conditionatam) *non tamen eſt impoſſibile ſimpliciter* (en libertatem ſensûs diviſi & abſolutam.

Digitized by Google

unde non ſequitur, quod voluntas ex neceſſitate moveatur. Sic denique, & in Boëtium lib. 5. de conſolatione proſâ ultimâ, per eandem diſtinctionem ſensûs compoſiti & diviſi, concordat Dei præſcientiam cum rerum contingentiâ, dicens: *Quæ prævisa ſunt à Deo neceſſariò evenire* IN SENSU COMPOSITO, *contingen'er verò* IN SENSU DIVISO. Seu ut ipſe ibi exponit, neceſſariò neceſſitate conditionatâ, non neceſſitate abſolutâ: vel ut ipſemet lib. 1. contra Gent. cap. 67. *Neceſſariò neceſſitate conſequentiæ, non neceſſitate conſequentis*.

Igitur *neceſſitatem hanc ſensûs compoſiti* in libero arbitrio ſub gratiæ phyſicâ prædeterminatione conſtituto, tanquam ipſius libertatis humanæ inimicam velle criminari, non aliud eſt, quam aut terminos non capere, aut manifeſtè delirare; ſed nec delirio, nec terminorum ignorantiâ laborant, qui eam criminantur, imò conſultiſſimo actu ſuam Scientiam Mediam, ejusque fœtum, *gratiam verſatilem*, apud imperitos defendunt, qui audito nomine *neceſſitatis*, mox everſionem libertatis apprehendunt, eo quòd nomen *neceſſitatis*, univerſaliter & æquivocè expreſſum, ſit apud eos anguis latens in herbâ.

§. IV. *Eadem Concilii authoritas efficaciùs in Moliniſtas retorquetur. Quid de SS. Ignatio, & Xaverio? Mala fides P. Annati, ſuique contradictio.*

CLXXVIJ. Nos ad Concilium appellârunt Moliniſtæ. Unica tamen, ut vidimus, diſtinctio ſensûs compoſiti & diviſi, germanè intellecta, frivolam reddidit eorum appellationem: ſed quod mirum eſt, volentes Concilii laqueis nos irretire, ipſi ſeipſos irretiunt & illaqueant. Hic eſt Scientiæ Mediæ genius. Quod paucis oſtendo nihil noſtro more cenſurans, ſed omnia ad examen Cordati Theologi revocans. Conſtat Moliniſtas Calviniſmum ad nauſeam Thomiſtis exprobrare; aſſerentes ſe nullam differentiam inter Calvinianam & Thomiſticam doctrinam circa libertatem dignoſcere poſſe: veriùs dicerent ſe non velle. P. Annatus inſignis Moliniſta hanc differentiam rhetoricâ ſuâ aſtutiâ expoſtulat diſp. 4. de Scientia Media cap. 4. §. 3. nu. 111. his verbis: *Poſtulamus jam ab Adverſariis ut oſtendant, ecquæ ſit differentia inter rem illam* (libertatis intellige) *quam ipſi vel aſſerunt vel negant, & illam quam aſſerunt vel negant etiam hæretici. Si enim nulla eſt; nec eſt igitur ulla inter ipſorum doctrinam & illam quæ damnata eſt.*

Et primò circa rationem liberi agentis vel liberæ actionis, poſtulamus quid tandem rei ſit hominem eſſe liberum in agendo, vel actionem ejus eſſe liberam? & poſtquam excuſſimus omnia, ex Adverſariorum ſententiâ nihil aliud invenimus, quàm eſſe Dei prædefinitionem abſolutam, efficacem, infallibilem, infruſtrabilem, ex quâ ſequatur

Digitized by Google

actio voluntatis ſecluſâ coactione omni ac violentiâ, & ſuppoſitâ cognitionum mediocritate tali, quæ neque ratione objecti quod repræſentant, neque ratione modi quo repræſentant, neceſſitatem agendi ullam invehant, quam aliter vocant indifferentiam judicii. Hæc eſt ſpecies libertatis quæ tum in voluntate reperitur, tum in ejus actione: Et hoc ſtante, ſtat res illa tota quæ dicitur libertas. Interrogo autem quid ex illâ tabellâ deleat Calvinus, & conſequenter quid tollat ejuſce rei quæ apud Thomiſtas libertas eſt? Nihil enim ſi tollat, errat tantum quod eam rem quæ libertas eſt, nolit vocare libertatem, in quo tamen, ut oſtendi non eſt pertinax.

CLXXVIIJ Hæc eſt ſpecies libertatis, non Thomiſtarum, ſed quam eis imponit verborum ſuorum lenociniis P. Annatus, quæ ad longum retulimus, ut, hinc Cordatus agnoſcat, non tam ſtudere Moliniſtas veritati ſinceré aperiendæ, quam illi rhetoricis ſuis tropis involvendæ. Antequam tamen hanc fucatam impoſturam detegamus, & expoſtulationi P. Annati ſatisfaciamus; priùs noſtrum intentum proſequemur: oſtendo Concilii laqueis ſeipſos irretire Moliniſtas.

Jam ſatis patet juxta Moliniſtas, motionem gratiæ (quam aſſerit Calvinus totam ſuam efficaciam ex decreto ſortiri) non eſſe aliud quam phyſicam gratiæ prædeterminationem à Thomiſtis aſſertam; ac proinde idem eſt apud Calvinum. *Liberum arbitrium motum à Deo, ac phyſicè prædeterminatum:* ſed quando Concilium Tridentinum damnat hanc propoſitionem Calvini, *Liberum arbitrium motum à Deo non poteſt diſſentire*, ſeſſ. 6. can. 4. damnat illam in illo ſenſu, quo à Calvino aſſeritur (aliàs nihil quoad hoc egiſſet contra ipſum: cùm tamen conveniſſet ad illius errores proſcribendos, inter quos ille capitalis erat) ergo ſi idem ſenſus ſit motionis Calvinianæ, ac phyſicæ prædeterminationis, debent Moliniſtæ fateri, Anathema dictum eſſe aſſerenti, *liberum arbitrium phyſicè à Deo prædeterminatum non poteſt diſſentire*: Et cùm illam propoſitionem eſſe veram contendant, verè etiam laqueis Concilii ſe illaqueant, ac in conſiliis quibus cogitant juſto Dei judicio comprehenduntur.

CLXXIX. Confirmatur 1. Quando Concilium Trid. Definit liberum arbitrium motum à Deo poſſe diſſentire, per particulam *motum* non intelligit motionem moralem, nec phyſicam ſimultaneam: ergo phyſicam prævıam. Prob. Ant. Si prædictas motiones intelligeret, nihil actum foret quoad hoc contra Calvinum, qui nunquam aſſeruit motionem moralem, vel phyſicam ſimultaneam impedire uſum libertatis: debuit ergo Concilium intelligere motionem phyſicam & antecedentem, quam aſſerebat Calvinus tollere libertatem: & conſequenter hæc eſt propoſitio definita à Concilio, *liberum arbitrium motum à Deo præmotione phyſicâ poteſt diſſentire*, quam tamen negant Moliniſtæ.

Confirm. 2. Moliniſtæ agnoſcunt hanc fuiſſe Calvini illationem & do-

Digitized by Google

ctrinam; *Gratia phyſicè & antecedenter movet liberum arbitrium: ergo tollit libertatem*, ſivè quod idem eſt, ergo liberum arbitrium ab eâ motum non poteſt diſſentire. Vel Patres Tridentini eamdem eſſe Calvini Doctrinam agnoverunt, vel non agnoverunt? hoc ſecundum dici nequit, cum eſſet plus tribuere luminis Moliniſtis, quam Patribus Tridentini ad Doctrinam Calvini proſcribendam congregatis. Agnoverunt igitur Patres prædicti, ſicut & Moliniſtæ, quòd ex motione antecedenti & efficaci gratiæ, inferret Calvinus impotentiam diſſentiendi: ſed non agnoverunt antecedens eſſe hæreticum, quòd ſcilicet, *gratia phyſicè & antecedenter moveret liberum arbitrium*; aliàs obligati fuiſſent ad illud proſcribendum formaliter & conceptis terminis: cum antecedens, ex quo per legitimam conſequentiam infertur conſequens hæreticum, ſit etiam hæreticum. Agnoverunt igitur conſequentiam eſſe ſpuriam & erroneam: quod etiam modus quo loquuntur in illo can. 4. ſatis oſtendit. Hanc tamen conſequentiam legitimam eſſe contendunt Moliniſtæ.

CLXXX. Confirm. 3. Suarez lib. 2. de ſcient. cond. cap. 4. nu. 5. cum aliis Moliniſtis fatetur, vel eſſe admittendum præmotionem phyſicam non tollere libertatem: vel Scientiam Mediam eſſe admittendam, ut nos expediamus ab argumentis hæreticorum: ſed non admiſit Concilium Scientiam Mediam: ergo admiſit, præmotionem phyſicam non tollere libertatem. Prob. Minor. Anno 1547. quo hâc de re actum eſt, nondum fuerat Scientia Media è tenebris eruta: ſiquidem, ut vult P. Annatus de Scient. Med. diſp. 3. cap. 5. nu. 132. hoc non contingit ante annum 1566. in quo Fonſeca gloriatur ſe illam ab antiquis Patribus traditam, & in tenebris jacentem primum inveniſſe, & in ſuo Conimbricenſi, vel Eborenſi Collegio publicè docuiſſe, quamvis ut teſtatur Herice 1. 2. diſp. 7. cap. 10. non ſit auſus eam prælo mandare. Ergo Patres Concilii Tridentini non admiſerunt Scientiam Mediam.

Deindè incredibile videtur quod ait P. Annatus num. 129. Patres Concilii Tridentini admiſiſſe Scientiam Mediam, & tamen *nec cogitaſſe quidquam expreſſe de illâ, nec cogitare debuiſſe*: Cùm enim prædicti Patres convocati præcipuè eſſent ad componendam contra Lutherum, & Calvinum, libertatem creatam cum divinâ ſcientiâ, & prædiffinitionibus divinæ voluntatis: mirum certè foret, ſi nihil expreſsè cogitaſſent de Scientiâ Mediâ, quæ, ſecundùm aſſertores illius, abſque omni ambiguitate, valdèque perſpicuè conciliat libertatem cum ſcientiâ, & prædiffinitionibus Dei. Imò, ſi Molinam audiamus dicentem (1. p. q. 14. a. 13. diſp. 17. §. *His ita*) admittendam eſſe Scientiam Mediam, niſi turpiter hallucinari velimus, neceſſe eſt dicere Patres Concilii Trid. debuiſſe de illâ cogitare, aut ipſos turpiter fuiſſe hallucinatos.

Digitized by Google

CLXXX. Ex quo denique ſequitur, veriùs nos poſſe concludere SS. Ignatium, & Xaverium admiſiſſe phyſicam prædeterminationem, quam Moliniſtas falsò ſibi in patrocinium Scientiæ Mediæ adſciſcere S. Franciſcum Saleſium, & S. Virginem Tereſiam. Illum dicunt favere Scientiæ Mediæ, quia aſſerit divinis inſpirationibus nos poſſe diſſentire, etiam *in ſenſu compoſito*; iſtam autem dicunt Scientiam Mediam tenuiſſe, quia docet aliquos non elevari ad altiorem orationis gradum, eo quòd ponant divinæ gratię impedimentum, ita Henao num. 1084. 1085. Si iſta ſufficiant ad patrocinium Scientiæ Mediæ, omnes utriuſque Solis diſcipuli Scientiam Mediam intrepidè negantes, erunt illius patroni: ſiquidem nullus ex eis negat, quin divinis inſpirationibus ſæpiſſimè reſiſtamus, etiam *in ſenſu compoſito*: omnes ſimiliter aſſerunt, gratiam nobis denegari propter impedimentum, quod ei liberâ noſtrâ voluntate apponimus. Ridiculum certè eſt, ex principio communi utramque contradictionis partem defendentibus, concludere aliquid in favorem unius tantùm partis.

Longè melior eſt noſter proceſſus, quo, non ex communibus principiis, ſed ex eis quæ ultrò ab ipſis Moliniſtis conceduntur, inferimus SS. Ignatium, & Xaverium admiſiſſe phyſicam prædeterminationem. Cùm enim contra hæreticos ad majorem Dei gloriam pugnaverint, ut ſe ab eorum argumentis expedirent neceſſe fuit, ait Suar. ſupra cit. eos admittere, vel Scientiam Mediam, vel phyſicam prędeterminationem: ſed Molina & Fonſeca gloriantur ſe Scientiam Mediam adinveniſſe, nec à nemine ante eos fuiſſe traditam, & conſequenter coguntur fateri, SS. Ignatium, & Xaverium Scientiam Mediam non admiſiſſe: ergo admiſerunt phyſicam prædeterminationem, alioqui non ſe expediviſſent ab argumentis hęreticorum: quod de tantis Sanctis dicere injurioſum eſt.

Minora ſunt hęc, & ea deſpiceremus, ſi Moliniſtæ hujuſmodi parvis non ſibi blandirentur. Ad majora redeamus. De quibus Cordatum Lectorem requirimus, ut argumenta noſtra è Concilio Trid. ad hominem facta, æquiparare dignetur cum argumento nobis ex eodem Concilio à Moliniſtis objecto: nec-non & ſolutionem noſtram ſenſûs compoſiti & diviſi, cum ſolutionibus, quas daturi ſunt Moliniſtæ, & jam pridem expectamus: dignetur hæc, inquam, ęquiparare, & cordatè videat, an non ſit nobis major ratio timendi pro Moliniſtis, quam P. Annatus pro nobis timeat? Et an non jure merito hæc ſua verba in ſuos retorquere nobis liceat? *Vereor ne conſultiùs fuerit ipſos* (Moliniſtas dico) *in hiſce diſputationibus divertere oculos à Tridentino, niſi quantum neceſſitas agit reſpondendi argumentis, quæ ſuggerunt ejus decreta.*

CLXXXIJ. Jam tempus eſt, ut poſtulationi P. Annati ſatisfaciamus, ejuſque malam fidem aperiamus. Poſtulat à nobis P. Annatus differentiam ſententiæ noſtrę circa libertatem à ſententiâ Calvini; hanc dicit vir tanti

Digitized by Google

ingenii (utinam & tam bonæ fidei ?) ſe non invenire; ſiquidem poſtquam excuſſit omnia, nihil aliud pro libertate Thomiſtarum invenit, *quam eſſe prædefinitionem abſolutam, efficacem, infallibilem, infruſtrabilem, ex quâ ſequatur actio voluntatis ſeclusâ coactione omni ac violentiâ, & ſuppoſitâ cognitionum mediocritate tali, quàm aliter vocant indifferentiam judicij.* Hæc eſt, inquit, ſpecies libertatis Thomiſticæ: tum interrogat, *quid de illâ tabellâ deleat Calvinus.*

O Chriſtiane non times judicia Dei? ſiccinè audes Thomiſtis imponere, ut non aliam eos agnoſcere dicas in voluntate libertatem, quàm Dei prædefinitionem abſolutam, *&c.* in quo Thomiſtico Authore legiſti libertatem arbitrii eſſe prædefinitionem, efficacem, infallibilem? ſi leviter & quaſi ſurreptitiè hoc imponeres, tibi daretur venia; ſed maturo judicio & præmiſsâ diligenti inquiſitione, ſiquidem poſtquam excuſſiſti omnia, hanc tuam de libertate, quàm defendimus, profers definitionem, ut libertas apud Angelici diſcipulos nihil ſit aliud, quam Dei prædefinitio ſeu phyſica prædeterminatio mediante indifferentiâ judicii; tum quæris malignè, *Quid de illâ tabellâ deleat Calvinus?*

Jam vice verſâ tabellam gratiæ Moliniſticę ſuis phaleratam inſignibus poſſemus tibi rependere P. Annate, & à te titulo modis omnibus urgentiori expoſtulare, quid à te videri poſſet Semipelagiano expungendum: à quo tamen abſtinebimus nupero Summi Pontificis diplomati, & edicto Regio anni 1668. 23. Octob. religioſè obſequentes.

CLXXXIIJ. Modò ſufficiet tibi charitatis actum impendere, & te libertatis Thomiſticæ veram ſpeciem ignorantem, aut melius malignantem, de illius veritatem, & ſine ullo verborum apparatu erudire. Inquiris mî Pater *rationem liberè agentis, vel liberæ actionis*; Si principium liberum poſtulas, nihil eſt aliud quàm *poteſtas ſe ad utrumlibet applicandi*, ſivè formaliter, ſivè virtualiter. Si actum liberum deſideras, nihil eſt aliud quam *actus elicitus cum poteſtate ſe applicandi ad oppoſitum, vel non actum*, ſive formaliter, ſive virtualiter. Ecce pulchra & ſine fuco ſpecies Thomiſticæ libertatis, quam ſi ſimplici oculo inſpiceres, ſtatim ſcires *quid de hâc tabellâ deleat Calvinus*? delet enim de tabellâ principii liberi ipſam poteſtatem ſe applicandi ad bonum, & malum, cùm ait lib. 2. inſtit. cap. 2 *Liberi arbitrii hoc modo dicitur homo, non quia liberam habeat boni æquè ac mali electionem, ſed quia malâ voluntate agit.* Delet etiam de tabellâ actûs liberi poteſtatem faciendi oppoſitum, ſive diſſentiendi, dum cap. 3. ait: voluntatem (Dominus) *movet, non qualiter multis ſæculis traditum eſt, & creditum, ut noſtræ poſtea ſit electionis motioni, aut obtemperare, aut refragari.*

Ideò apertè, & fronte detectâ docet, non eſſe in homine liberum arbitrium, ipſumque nomen inane, & exterminandum eſſe. Itaque Calvinus, quemadmodum etiam Moliniſtæ notant, ex modo agendi quo pollet gratia

prædeterminando

Digitized by Google

prędeterminando voluntatem, liberum arbitrium apertè deſtrui dixit, cùm potiùs libertatem cum gratiâ conciliare debuiſſet. Undè ſuccumbens difficultati, quod hæreticorum proprium eſt, & in apertam hæreſim erumpens, liberum arbitrium *inane nomen* vocat lib. 2. inſtit. cap. 2. *Quod*, inquit, *ſine ingenti periculo non poſſe retineri cenſeo; magno contrà Eccleſiæ bono futurum, ſi aboleatur: neque ipſe uſurpare velim; & alios, ſi me conſulant, abſtinere optarim.* De re verò ipsâ cenſorium ejus decretum habes lib. 1. inſtit. cap. 15. *Qui Chriſti ſe diſcipulos eſſe profeſſi, in homine perdito & in ſpiritale exitium demerſo liberum arbitrium adhuc quærunt, inter Philoſophorum placita & cæleſtem doctrinam partiendo, planè deſipiunt, ut nec cælum, nec terram attingant.*

Hi ſunt ergo errores illi multi, & craſſi, & graves, qui meritò ſacræ Tridentinæ Synodo diſplicuerunt, quibus jugulandis decretum illud conditum eſt; in quo ſancit, quòd homo *gratiæ liberè aſſentiendo & cooperando diſponitur* ad juſtificationem ſuam: quòd *homo ipſe non nihil omninò agit inſpirationem illam recipiens:* quòd *illam & abjicere poteſt.* Itemque vetitum ſub anathematis comminatione, ne quis dicat: *liberum arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, neque poſſe diſſentire ſi velit*: quod juxta Molinæ Diſcipulos, atque intentam Calvini à Concilio damnationem, æquipollet iſti: *liberum arbitrium à Deo phyſicè prædeterminatum nihil cooperari aſſentiendo Deo prædeterminanti, neque poſſe diſſentire ſi velit.* Damnat Concilium Trid. hanc propoſitionem, quam Moliniſtę incunctanter volunt eſſe veram. Judicet Cordatus Theologus.

CLXXXIV. Quòd ſi inter omnes iſtos errores de libero arbitrio, qui à doctrinâ Thomiſticâ prorsùs remoti ſunt, Calvinus quoque admiſerit prædeterminari voluntatem à Deo mediante indifferentiâ judicii (ut vult P. Annatus, de quo nihil curamus) ân doctrina Thomiſtica propter Calvinum lucre debet? an ideò negandum eſt, quod apertiſſimum ac certiſſimum eſt, nempe ad libertatem ſufficere, quòd actus fiat cum poteſtate ſe applicandi ad oppoſitum, & quòd poteſtas ſe applicandi ad utrumlibet ſit vera & formalis libertas? Non omnia quæ hæretici docent, ſunt hæretica; Mos enim ſolemnis omnium hæreticorum eſt, ut falſis vera miſceant, miſcendoque perturbent omnia, quò venenum quaſi melle circumlitum ab incautis cum ſecuritate hauriatur. Unde S. August. lib. 2. qq. evang. q. 40. ait: *Nulla falſa Doctrina eſt, quæ non aliqua vera intermiſceat.* Itaque hæreſis, eodem authore, veluti lepra eſt, quæ quemadmodum veris falſiſque colorum fucis corpora humana variando maculat, ita hæreſis vera falſis inordinatè permiſcendo totum Doctrinæ vel ſermonis corpus inficit: Ut multâ circumſpectione opus ſit, quâ mundum ab immundo, verum à falſo ſeparetur.

Digitized by Google

Quod enim Eccleſia de hæreticis juxta S. Augustinum in pſalm. 54. dicit: *In multis erant mecum, in paucis non mecum: ſed in his paucis in quibus non mecum, non eis proſunt multa, in quibus mecum*: hoc fidelis D. Thomæ diſcipulus de Calvino inverſo ordine dicere poſſet, (dato quod in phyſicâ prædeterminatione, & judicii indifferentiâ à Thomiſtis non diſſentiat) *In paucis mecum, in multis non mecum.* Quare ſi quâ in re Calvinus cum Angelico Doctore ejusque diſcipulis ſenſerit, non propter Calvinum D. Thomæ & Thomiſtis indignandum eſt, ſed propter D. Thomam & Thomiſtas Calvino potiùs gratulandum: cujus mentem & quorum doctrinam ſi in omnibus dignatus fuiſſet ſequi, nunquam fuiſſet de veritate ſuſpectus, nec veterum catologum hæreticorum opprobrio ſuæ damnationis auxiſſet.

Unum ſupereſt in hâc materiâ mirandum: verſatile, ſcilicet, P. Annati ingenium. Hic in opuſculo ſupra num. 54. cit. decem & octo diſcrimina invenit, & probavit inter Doctrinam Thomiſticam & Calvinianam; Iterum in Eugenio Philadelpho cap. 1. pronunciato 13. de Thomiſtis ait: *Cum ergo illi hâc unâ lineâ quòd ſcilicet prædeterminatio phyſica non auferat potentiam diſſentiendi, hactenus ſuæ doctrinæ ſimul & Calvinianæ confinia* INCONFUSA *ſervarint*, &c. Hic, inquam, Pater poſt decem & octo probata diſcrimina, poſt agnitam *potentiam diſſentiendi*, quâ vidit confinia inconfuſa fuiſſe ſervata, poſtulat in ſuâ ultimâ impreſſione Pariſienſi libri de Scientiâ Mediâ ſupra citati, ſibi dari differentiam inter libertatem à Thomiſtis aſſertam, & eam quam Calvinus defendit: & poſtquam excuſſiſſe ſe dicit omnia, nihil aliud invenit pro libertate Thomiſtarum, niſi prædefinitionem abſolutam, *&c.* Ubi igitùr remanſit *potentia diſſentiendi? ubi decem & octo diſcrimina?* Siccinè excuſſiſti omnia? Quid ad hæc dicemus? unum dicam, veritatem non quæſivit, an ideò dereliquit eum, & tradidit ei ſpiritum contradictionis? Judicet Cordatus Theologus.

§. ultim. *Corollarium notatu digniſſimum: quia à nullo Moliniſtâ huc uſque infirmatum, nec unquam eſt infirmandum.*

CLXXXV. Ex ſupradictis duobus præcedentibus paragraphis facillimè colliget quilibet parum cordatus, hæc duo non poſſe ſubſiſtere, quæ Moliniſtæ aſſerunt, videlicet, *Scientiam Mediam eſſe neceſſariam ad conciliandam libertatem cum divinâ providentiâ; & eâ nihilominùs non fuiſſe uſos Patres Concilii Tridentini, cæteroſque Patres tum in aliis Conciliis Arauſicano, & Milevitano, tum in ſuis tractatibus poſteritati traditis, ad prædictam conciliationem.* Vide Annatum diſp. 3. de Scientiâ Mediâ num. 129. Impreſ. Pariſienſis. Hæc inquam duo, neceſſitatem Scientiæ Mediæ, & tamen Patres eam non

Digitized by Google

adhibuiſſe ad conciliandam libertatem cum divinâ providentiâ, moraliter implicare oſtendo.

Priùs tamen obſervandum eſt, quòd pondus difficultatis in conciliandâ libertate cum divinâ providentiâ nôn provenit ex ſupernaturalitate divinæ providentiæ aut operum noſtrorum, ſed ex efficaciâ infallibili divinæ providentię, cum quâ non poteſt ſtare, ut id quod decrevit & providit, aliter fiat quam decretum, & proviſum ſit. Undè prædictæ difficultatis pondere oppreſſi olim quidam Philoſophi gentiles, cum Epicuro divinam providentiam reſpectu horum inferiorum denegarunt: & ſic (ut de Cicerone dixit S. Augustinus) Ut homines facerent liberos, fecerunt sacrilegos. Alii verò è contra ut Deum omnia ſcientem, decernentem, ac providentem profiterentur, homines quaſi bruta libertatis expertia reliquerunt: de quorum numero fuêre Simon Magus, Manichæi, & alii antiqui, quos Lutherani, & Calviniſtæ, novis erroribus ſuperadditis, ſequuntur. Et ſimiliter, ut Ubaldenſis tom. 1. doctrinalis fidei antiquæ, lib. 1. art. 1. cap. 26. loquitur: *Ab initio naſcentis Eccleſiæ homines plurima ſapientes de hâc ſummâ præſcientiâ Dei, mirabiles collegerunt quæſtiones, & nimirum multi defecerunt ſcrutantes ſcrutationes ſuas.* Rursùs ibid. cap. 22. agens de hæreſi Wiclef, & ejus antiquitatem detegens, inquit: *Tempore Sancti Iacobi pullulavit per quoſdam pſeudo...... in populo diſperſionis Iudaicæ, tunc fideli; dicebant enim, Deum neceſſitare homines ad peccandum per quaſdam inſpirationes privatas, quas vocabant Dei tentationes occultas, contra quos ſcripſit Iacobus dicens: Nemo cùm tentatur, &c.* Ac deniquè Antiqui Patres & Doctores, præcipuè verò Sanctus Augustinus non parum in hâc controverſiâ explicandâ deſudarunt: nec parum viriliter contra hæreticos pro eâ decertarunt; nec parum feliciter contra eoſdem illuſtrem victoriam in hâc conciliatione conſequuti ſunt. Sed maximè omnium Patres Concilii Tridentini qui ad hanc conciliationem præcipuè fuêre convocati: hoc enim erat argumentum Lutheri: *Deus ab æterno ea quæ in tempore fiunt præſcivit, & abſolutè ac efficaciter decrevit: ergo omnia ex abſolutâ neceſſitate, ac proinde ſine ullâ contingentiâ, & libertate fiunt.*

CLXXXVI. His ſuppoſitis ſequens pro morali noſtrâ implicantiâ deducitur ratio. Moraliter impoſſibile eſt, ut quis cognoſcat medium aliquod omninò neceſſarium ad finem quem maximè intendit conſequendum, & tamen eo non utatur: Sed Patres Concilii Tridentini, cæteriquè Patres & Doctores cognoverunt Scientiam Mediam, ut volunt Moliniſtæ: & ex aliâ parte maximè laborarunt in conciliandâ libertate cum divinâ providentiâ, ut patet ex ſuppoſitione noſtrâ: ergo moraliter impoſſibile eſt, Scientiam Mediam eſſe omninò neceſſariam ad conciliandam libertatem cum divinâ providentiâ: & quod prædicti Patres eam non adhibuerint ad prædictam conciliationem.

Digitized by Google

Confirmatur, Moraliter impoſſible eſt, quòd aliquis valdè deſideret infringere argumentum Lutheri, & non utatur medio ad illud infringendum omninò neceſſario: ſed Patres Concilii Tridentini valdè deſiderabant infringere argumentum Lutheri: ſiquidem hoc exigebat gloria Eccleſię: quæ humiliata jacuiſſet, & verecundè confuſa, ſi Lutherani ſpectata vi ſui argumenti adverſus totam Eccleſiam in Concilio congregatam prævaluiſſent. Ergo moraliter impoſſibile eſt, quòd Scientia Media ſit medium omninò neceſſarium ad infringendum argumentum Lutheri ſupra citatum, ut volunt Moliniſtæ, & tamen quòd Patres Concilii Tridentini, eam non adhibuerint ad prædictam ſolutionem.

Hic areſcit eloquentia P. Annati, qui totis viribus ſui ingenii & variis ſuæ ſapientiæ modis conatur hoc argumentum eludere. Nam primò vult illud retorquere num. 128. loco ſupra citato, in ſuo æquivalenti: ait enim, *Patres Tridentini* non ſunt uſi modo illo concordiæ quo utuntur Thomiſtæ. Ergo virtualiter ſaltem rejecerunt. Verùm hìc retorquendi modus non valet quia Thomiſtæ negant Antecedens. Sed Moliniſtæ admittunt, & maximè P. Annatus num. 129. Patres Tridentini non adhibuiſſe Scientiam Mediam ad conciliandam libertatem cum divinæ providentiæ decretis, & ex aliâ parte affirmant prædictam Scientiam Mediam eſſe medium omninò neceſſarium ad prædictam conciliationem; quæ duo moraliter implicare probatum eſt: ſicut etiam apud Thomiſtas implicaret, ſi dicerent decreta de ſe efficacia non fuiſſe à Patribus Tridentini adhibita ad ſupradictam conciliationem, cùm tamen judicent eſſe media ad hoc omninò neceſſaria. Vndè noſtrum argumentum *ad hominem*, ut dicitur, procedit; nec poteſt invalidari, niſi retractent ſe Moliniſtæ: * Sicut hìc fecit Junior Moliniſta (de quo num. 172.) qui ad modum quo P. Annatus retorſit argumentum, me reſpondiſſe dictavit, *modum illum a prædeterminantibus non adferri tamquam medium omninò neceſſarium ad prædictam conciliationem*, *quod tamen de Scientiâ Mediâ aſſerunt ejus defenſores*, & addit, *Ingenua confeſſio*. Judicet Cordatus, quâ fide, & quâ intentione potuerit mihi imponi iſta reſponſio, cùm apertiſſimè dixiſſem: *Sicut etiam apud Thomiſtas implicaret, ſi dicerent decreta de ſe efficacia non fuiſſe à Patribus Tridentini adhibita ad ſupradictam conciliationem, cùm tamen judicent, eſſe media ad hoc omninò neceſſaria.* Verum cùm agnoverit poſtea malam ſuam fidem, & publicè ſe retractaverit, reponam ipſi, *ingenua confeſſio*, quam utinam & ipſius Socii ſimiliter facerent. *

CLXXXVIJ. Secundò, Confirmationem putat ſe num. 132. his verbis eludere: *Nam quod additur de Eccleſiæ confuſione, atque erubeſcentiâ, quaſi pugnaverit cum hæreticis, qui vi argumentorum ſuperiores erant, quam eſt inane? Quæ ſunt enim argumenta illa quibus Eccleſia cum Hæreticis pugnat? An quæ petuntur ex naturali diſcurſu & ratione? Eſt ergo cur erubeſcat, quod eo modo ſuperare non*

Digitized by Google

poſſit qui Dei liberos actus, qui Trinitatem Perſonarum in unâ naturâ, qui diſtinctionem naturarum in unâ Perſonâ principiis Ariſtotelicis impugnant.

Videtur P. Annatus oblitus eſſe communis Doctrinæ Theologorum, qui communiter ex Doctore Angelico 1. p. q. 32. a. 1. docent, myſteria fidei non eſſe quidem ratione probanda, probari tamen per evidentem ſolutionem argumentorum quæ ex naturali diſcurſu & ratione petuntur: nullum eſt enim argumentum contra fidem quod non ſit evidenter ſolubile: atque adeò incumbebat Patribus Trid. Concilii oſtendere argumentum Lutheri non concludere: hoc autem ſecundum Moliniſtas non poterat fieri ſine Scientiâ Mediâ quæ eſt omninò neceſſaria ut oſtendatur, quomodo ex decretis efficacibus divinæ providentiæ non tollatur libertas, quod oſtendi exigebat argumentum Lutheri. Hinc incredibile omninò videtur, Patres Trid. Concilii admiſiſſe Scientiam Mediam, quâ admiſsâ, ait P. Annatus diſp. 1. num. 101. *Non eſt difficile ad intelligendum quomodo Deus prædefinire poſſit actum liberum illæsâ ejus libertate*, & tam facili medio non præmuniſſe fideles, quo ſine ullâ difficultate ſe expedirent ab argumentis Lutheranorum. Incredibile etiam omninò videtur S. Augustinum admiſiſſe Scientiam Mediam; & in illâ pugnâ quam per viginti annos glorioſè habuit contra Pelagianos, nunquam eâ fuiſſe uſum; cùm tamen, teſte Molinâ, *Si illa fuiſſet explanata, neque Pelagiana hæreſis fuiſſet exorta, neque ex concertationibus Auguſtini cum Pelagianis tot fideles fuiſſent turbati, & ad Pelagianos defeciſſent.* Vide cap. 1. art. 2. num. 31. Quis credat tale medium tam facile, tam neceſſarium fuiſſe à Patribus, & S. Augustino prætermiſſum, Eccleſiâ modum evadendi fallaces hæreticorum verſutias expoſtulante? Quis ex Jeſuitis agnovit prædictam Scientiæ Mediæ neceſſitatem, & eam ad conciliationem libertatis non adhibuit? quod minimus Jeſuitarum Theologus non negligeret, hoc Patres Concilii Tridentini, hoc S. Augustinus, hoc alii Eccleſiæ Doctores neglexiſſe dicentur? judicet Cordatus Theologus.

CLXXXVIII. Imò ſi Patres Conciliorum, ſi S. Augustinus, & alii Sancti Doctores agnoverunt Scientiam Mediam, & noluerunt eâ uti ad conciliandam libertatem cum divinâ providentiâ: judicarunt ergo eam ad hoc eſſe minimè neceſſariam. Quis modo Cordatus audebit eam judicare neceſſariam ad prędictam conciliationem? *Non enim* (ſunt profundi verba Damiani tom. 1. lib. 5. epiſt. 18.) *jam licet ultimis Eccleſiæ membris, quod ſibi potiſſimùm videtur eligere, ſed neceſſe eſt antiquitùs ordinata ſervare. Hæreſis enim electio dicitur, & illi meritò notantur hæretici, qui præſumunt quod ſibi melius videtur eligere, dedignantur autem in iis quæ à Sanctis ſunt inſtituta Patribus permanere.* Cujus, amabo, Catholici non pungent hæc verba conſcientiam, ſi ſibi ſemel conſcius ſit; ſe alium modum libertatem conciliandi docere, quam Sancti Patres tradidêre? Quâ ratione Doctor aliquis Catholicus oſtendet ſe fideliter cu-

Digitized by Google

ſtodiſſe depoſitum, ſi illam ſcientiam adhibeat pro conciliandâ libertate, quam etiam agnitam noluerunt Sancti Patres adhibere. *Depoſitum*, inquit Apoſtolus ad Timotheum 6. *cuſtodi*, quæ verba elegantiſſimè explicans nobiliſſimus Magiſter Vincentius Lyrinenſis ſic quærit: *Quid eſt depoſitum? id eſt, quod tibi creditum eſt, non quod à te inventum: quod recepiſti, non quod excogitaſti: rem non ingenii, ſed doctrinæ: non uſurpationis privatæ, ſed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam: in quâ non author debes eſſe, ſed cuſtos; non inſtitutor, ſed ſectator: non ducens, ſed ſequens.* Utinam hæc attentè Molina perpendiſſet! nunquam præſumpſiſſet dicere: *Neque dubito quin ab Auguſtino, & cæteris Patribus unanimi conſenſu probata fuiſſet hæc* NOSTRA *de prædeſtinatione ſententia, rationque conciliandi libertatem arbitrii cum gratiâ, præſcientiâ, & prædeſtinatione, ſi eis propoſita fuiſſet.* Et iterùm: *Hæc* NOSTRA *ratio conciliandi libertatem arbitrii cum divinâ prædeſtinatione à* NEMINE *quem viderim huc uſque tradita eſt.* Hinc, Benevole Lector, habes ex confeſſione Molinę, & juxta verba aurea Magiſtri Vincentii Lyrinenſis hoc Scientiæ Mediæ Elogium.

INSIGNE ELOGIUM SCIENTIÆ MEDIÆ.

Scientia Media quoad uſum conciliandæ libertatis à Molinâ inventa, non ei credita:

Ab eo excogitata, non recepta:

Res non doctrinæ, ſed ingenii:

Non publicæ traditionis, ſed uſurpationis privatæ:

A Molinâ prolata, non ad eum perducta:

In quâ non cuſtos, ſed author fuit:

Non ſectator, ſed inſtitutor:

Non ſequens, ſed ducens.

CLXXXIX. Videant modò Moliniſtæ quid maluerint ſequi? an cum P. Annato velint fateri Patres Concilii Tridentini, cæteroſque Patres, & Sanctos Doctores agnoviſſe quidem modum conciliandi libertatem per Scientiam Mediam, ſed eo modo non fuiſſe uſos: an verò cum Molinâ confiteri, hunc modum à nemine ante ipſum fuiſſe traditum; & conſequenter omnibus Patribus ignotum. Si primum eligant; jam oſtendimus, Moraliter eſſe impoſſibile hæc duo ſimul verificari, quod ſcilicet iſte modus conci-

Digitized by Google

liandi ſit omnino neceſſarius, & tamen eum Sanctos Patres contra Hæreticos victorioſè pugnantes non adhibuiſſe. Si ſecundum malint, iiſdem etiam rationibus demonſtratur, hæc duo non minus eſſe incompoſſibilia, quod ſcilicet, iſte modus conciliandi ſit omnino neceſſarius, & tamen Patribus Concilii Tridentini cæteriſque Sanctis Doctoribus ignotus. Cùm enim Patres illi in Spiritu Sancto congregati eſſent ad hanc concordiam explicandam: & illam ex mente Sanctorum Patrum explicare intendiſſent, & deberent: ac ita gravis & ingens neceſſitas urgeret: & tandem ab universâ Dei Eccleſiâ inſtanter ad Deum pro hac luce preces funderentur: moraliter impoſſibile ac incredibile eſt, quòd eis Spiritus Sanctus denegaſſet hunc modum omninò neceſſarium conciliandi libertatem per Scientiam Mediam.

Quid P. Annatus ad hoc argumentum reſpondet? nihil aliud invenio, niſi quod de jactantiâ Molinæ hæc habeat num. 134. *Hæc Molinæ jactatio quam accuſant, tribus hiſce capitibus conſtat. 1. Quod ſignificaverit laboratum eſſe ſuperioribus temporibus in exponendâ liberi arbitrii concordiâ cum Dei præſcientiâ, & prædeſtinatione..... 2. Quod crediderit faciliorem eſſe modum quem proponit ipſe..... 3. Quod dixerit Molina ſe primum hunc modum concordiæ publicum feciſſe* (*neque enim negat à Fonſecâ etiam privatim & excogitatum & propoſitum prius*) *Atqui hoc adeò non negant adverſarii, ut de novitate ipſi crimen faciant.* Et poſt hæc audacter inquirit: *Eſtnè aliquod præterea Molinæ facinus, vel audax propoſitio?* Sic putat P. Annatus ſolviſſe noſtrum argumentum, vel meliùs, eluſiſſe.

CIC. Verùm ſingula capita expendamus. In primo capite totaliter ſuis accuſatoribus imponit, qui nunquam accuſarunt Molinam, *quod ſignificaverit laboratum eſſe ſuperioribus temporibus in exponendâ liberi arbitrii concordiâ cum Dei ſcientiâ, & prædeſtinatione.* Hoc præſupponunt cum Molinâ, ut evidenter notum; quâ igitur ratione de hoc Molinam accuſarent? imò ex hoc principio evidenter concludunt ut quid impoſſibile, modum conciliandi libertatem per Scientiam Mediam eſſe omninò neceſſarium, & ignotum fuiſsè Patribus. Nam ex hoc quòd Patres in diverſis Conciliis laborarint in exponendâ liberi arbitrii concordiâ cum præſcientiâ, & prædeſtinatione, & ad hanc expoſitionem fuerint ſpecialiter congregati Patres Concilii Tridentini, evidenter certitudine morali demonſtratur, Spiritum Sanctum non illis denegaſſe prædictum modum conciliandi omninò neceſſarium. Nam non videtur compati cum divinâ providentiâ, quæ attingit à fine uſque ad finem fortiter, ſuaviterque diſponit omnia, ut neceſſariam conciliandi viam ſuæ Eccleſiæ, & prædictis Patribus in diverſis Conciliis contra hæreticos in adeò urgenti neceſſitate ad ipſius Dei gloriam, & defenſionem fidei Catholicæ pugnantibus denegaverit.

CICI. In ſecundo capite iterum nobis imponit P. Annatus, quod ſcilicet accuſemus Molinam de eo *quod crediderit faciliorem eſſe modum quem proponit ipſe.*

Non de facilitate modi, ſed de novitate modi eum accuſamus, & ejus neceſſitate. Nec contra hunc modum libertatem conciliandi inſurgimus ex eo præcisè, quòd quælibet doctrina nova ſolo novitatis titulo notam aliquam mereatur, cùm ſciamus divinam providentiam ſic dona ſua tribuere, ut nova ſemper quamdiu Eccleſia in terris militat, conferenda reſervet. Idcircò enim comparatur Lunæ ſuſcipienti incrementa lucis per ſingulos dies, donec ad plenitudinem perveniat, juxta illud *Pulchra ut Luna.* Scimus etiam ſacram Jeſuitarum Societatem per ſuos alumnos aptiſſimam ad id eſſe. Verùm ideò contra prædictum modum novum inſurgimus, eo quòd in hac controverſiâ non poteſt iſta novitas admitti.

Cùm enim in his ultimis paragraphis adducta ſit hujus controverſiæ antiquitas, & difficultas; quam difficultatem Philoſophi, & poſtea in prioribus primitivæ Eccleſiæ ſæculis graviores Patres & Doctores, videlicet Hieronymus, Ambroſius, Augustinus, Hilarius, & Proſper ſuperare contenderint contra hęreticos; conſequens eſſet illos omnes Patres & inter quos præeminebat Augustinus, totamque Dei Eccleſiam ignorantem hunc modum omninò neceſſarium conciliandi libertatem per Scientiam Mediam, reipsâ non ſolùm non ſolviſſe argumenta hæreticorum, ſed etiam non potuiſſe ea ſolvere; ſiquidem, ut fatentur Moliniſtæ, ſine prædicto modo conciliandi ſunt inſolubilia. Et ita hæretici ſpectatâ argumentorum vi in hac controverſiâ fuiſſent ſuperiores, & victores; ſolâ autem authoritate & potentiâ victi remanſiſſent.

Quod certè injurioſum videtur, tam illis Patribus & Doctoribus, totique Dei Eccleſiæ, ac antiquitati, quàm divinæ providentię, quę Eccleſiam militantem, & cum Hæreticis confligentem ſemper opportunè adjuvat. Undè meritò ac piè dixit Magiſter Luna in additionibus manuſcritis ad 3. p. art. 3. ſe malle cum Augustino Scientiam Mediam ignorare, quàm eamdem cum Molinâ tenere (ſic referunt Salmanticenſes de ſcientiâ Dei diſp. 10. num. 111. quorum etiam eſt Doctrina, quam in his ultimis paragraphis dedimus) Meritò hoc dixit Magiſter Luna, nolens de eorum numero eſſe, qui ut ait Caſſianus lib. inſtit. cap. 11. *Putant eſſe laudabile, ſi quid contra antiquos ſapiant, & aliquid novi, ut periti videantur, inveniant.* Intuebatur enim Magiſtralis nobilitatis exemplar à magiſtro Vincentio Lyrinenſi propoſitum ſub hâc regulâ: *Quidquid univerſaliter antiquitùs Eccleſiam Catholicam tenuiſſe cognoverit; id ſolùm ſibi tenendum credendumque decernit; quidquid verò ab aliquo deinceps uno, præter omnes, vel contra omnes Sanctos novum, & inauditum ſubinduci ſenſerit, id non ad religionem, ſed ad tentationem potiùs intelligit pertinere.*

CICII. In 3. denique capite extortè exponit verba Molinæ. Dixerat enim Molina, ſuam rationem conciliandi à nemine quem vidiſſet huc uſque fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe traditam: hoc ſic intelligit P. Annatus, quòd accuſemus Molinam eo quòd dixerit, *ſe primum hunc modum concordiæ publicum feciſſe* (*neque enim negat à Fonſecâ etiam privatim & excogitatum, & propoſitum priùs*) Molina dixit, *Nemo quem vidi noſtram rationem conciliandi tradidit*: hoc ſignificat apud P. Annatum; *Ego primus hunc modum concordiæ publicum feci.* Et ita ſubtiliter gloriam utriuſque conſervaſſe ſe putat P. Annatus, dum uterque primus inventor dicitur, cum hoc tamen diſcrimine, quod Fonſeca ſit primus inventor privatus; Molina verò primus inventor publicus. Hanc utriuſque gloriam lubenter damus P. Annato, & Moliniſtis. Verum videtur P. Annatus in hâc ſuâ concordiâ defeciſſe ſcrutans ſcrutinio. Nam dato quòd Fonſeca primus docuiſſet publicè iſtum modum conciliandi libertatem per Scientiam Mediam; adhuc tamen eſſet verum quòd dixit Molina, iſtum modum à *nemine* quem viderit fuiſſe traditum; Nam ly *nemo* non excludit Fonſecam, quia cùm eſſet junior & Jeſuita, ſicut Molina, non illum Molina conſideravit ut alterum à ſe. Sed ly *nemo* excludit S. Augustinum, cæteroſque Sanctos Patres & antiquos Doctores, ita ut ſit ſenſus, quòd à nemine Sanctorum Patrum & antiquorum Doctorum ratio conciliandi libertatem, quam docuit Molina, fuerit tradita. Quod adhuc eſſet verum etiamſi Fonſeca, aut quivis alius junior Jeſuita eam ante docuiſſet. Hanc excluſionem apertè demonſtrant verba quæ præmiſerat Molina de ſuâ ratione conciliandi: *Neque dubito quin ab Auguſtino & cæteris Patribus unanimi conſenſu probata fuiſſet, ſi eis propoſita fuiſſet.*

CICIII. Si hoc attendiſſet P. Annatus, ſine dubio laudaſſet juſtitiam accuſationis quâ contra iſtam novam rationem conciliandi libertatem à nemine Sanctorum Patrum traditam acriter inſurrexerunt utriuſque Solis diſcipuli. Nec ulterius inquiſiviſſet: *eſtnè aliquod præterea Molinæ facinus, vel audax propoſitio?* Certè Molinæ facinus eſt, quòd depoſitum non cuſtodierit, id eſt, quòd modum conciliandi libertatem cum gratiâ, præſcientiâ, & prædeſtinatione non ſibi creditum, ſed à ſe, aut (quod idem eſt) à Fonſecâ inventum, publicum fecit: quòd ab eo iſte modus fuerit excogitatus, non receptus, quòd fuerit res ſui ingenii, non Sanctorum Patrum doctrinæ; quòd fuerit uſurpationis privatæ, non publicæ traditionis; quòd fuerit à Molinâ prolatus, non ad eum perductus; in quo non cuſtos, ſed author fuit: non ſectator, ſed inſtitutor; non ſequens, ſed ducens. Ecce *P.* Annate facinus Molinæ. Vis audacem ejus propoſitionem? perpende hæc verba: *Neque dubito, quin ab Auguſtino & cæteris Patribus unanimi conſenſu probata fuiſſet hæc* Nostra *de prædeſtinatione ſententia, ratioque conciliandi libertatem arbitrij cum gratiâ, præſcientiâ, & prædeſtinatione ſi eis propoſita fuiſſet.*

An non eſt audax, propoſitio, ex quâ ſequitur, (uti ex hac ſequi probatum eſt) Sanctum Augustinum cæteroſque Patres, non ſatisfeciſſe ar-

gumentis hæreticorum, quos tamen de falſitate & hæreſi reipsâ convictos Patres in Conciliis Arauſicano, & Milevitano à Sanctâ Apoſtolicâ Sede approbatis damnarunt? Ex quâ ſequitur totam Eccleſiam coram Hæreticis humiliatam, & verecundè confuſam, ab eiſdemque irridendam remanſiſſe? Ex quâ deniquè ſequitur, Deum ſuam doctrinam & fidem Catholicam neceſſariâ defenſione in re tam gravi deſtitutam deſeruiſſe? Cùm tamen Chriſtus Dominus eidem Eccleſiæ promiſerit: *Dabitur enim vobis in illâ horâ quid loquamini.* At quæ hora poteſt eſſe illa in quâ Adverſarii urgent, & Eccleſia anxiè panem ſanæ Doctrinæ, & modum evadendi fallaces Hæreticorum verſutias, & laqueos, expoſtulat à Patre luminum, qui dat omnibus affluenter, quique dat eſcam in tempore opportuno: quale procul dubio fuit illud in quo Hæreſes inſtabant, & Eccleſiæ Patres in Conciliis authoritate Pontificiâ congregatis, ad occurrendum Hæreticis, eorumque fallacia argumenta diſſolvenda convenerant.

Undè non videtur quomodò adimpleretur illud quod de Eccleſiâ dictum eſt à Chriſto Domino: *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*: Si Heretici ſpectatâ argumentorum vi adverſus totam Eccleſiam in Conciliis congregatam prævaluiſſent: ac tandem quonam pacto cum divinæ providentiæ ſuavitate, rectâque diſpoſitione cohæreret, ut iſtum modum conciliandi libertatem unicè & omninò neceſſarium, quem toti Eccleſię in tanto neceſſitatis & periculi tempore ocultaverat, poſtea Jeſuitis recentioribus aperiret.

Concludamus igitur cum Magiſtro Lunâ, & quolibet Cordato, ſatiùs eſſe cum S. Augustino, cum Sanctis Patribus, cum totâ Eccleſiâ in Conciliis congregatâ, Scientiam Mediam ignorare, vel eâ non uti ad conciliandam libertatem cum divinâ providentiâ, quam cum totâ Moliniſtarum turbâ eam tenere, vel ad prædictam conciliationem eam adhibere. Nam hoc ſolo titulo Scientia Media est ab omni Cordato Theologo explodenda quod ea non fuerit usus S. August. Idem diceremus de prędeterminatione phyſicâ, ſi S. Augustinum eâ non fuiſſe uſum concederemus.

APPENDIX.

* *In quâ efficaciter refutatur Iunior Moliniſta.*

AD ea quę in ultimo hoc paragrapho ex Concilio Tridentino ſanctiſque Patribus moraliter implicare deduximus, Reſpondet junior Mo„liniſta (de quo num. 172.) hæc omnia pridem à Salmanticenſibus eſſe „objecta, & à P. Annato pleniſſimè eſſe ſoluta atque infirmata diſp. 3. de

Digitized by Google

„ Scientia Media c. 5. §. 2. Si ſolutionem non videt Philalethes trabè impeditur, quam in oculo ſuo conſiderat, dum feſtucam in oculo fratris ſui, ſeu velamen in ejus corde videre ſe putat.

„ Dico igitur iterum cum P. Annato, Concilium Tridentinum nec cogitaſſe quidquam expreſſe de Scientiâ Mediâ nec cogitare debuiſſe. Suppoſuiſſe illam quatenus poteſt eſſe neceſſaria tuendæ eorum quę definiebat veritati. De cætero expeditiorem habuiſſe rationęm quâ libertatem contra Hęreticos defenderet, negando, ſcilicet, quod aſſumebant Lutherus & Calvinus, & dicendo nullam eſſe præſcientiam, nullam prędefinitionem antecedentem in Deo, quâ poſitâ voluntas non poſſit abjicere divinam inſpirationem, & ei diſſentire. Ex quo directè ſequitur contra dictos Hæreticos voluntatem eſſe liberam. Quid erat opus diſputare propterea de Scientiâ Mediâ? mos enim eſt Conciliorum præſcribere quid credendum ac defendendum ſit, defendendique modum Theologis permittere. Undè, &c.

„ Hinc ad allatum Lutheri argumentum nihil aliud reſpondendum fuit, quàm quòd pręſcientia quâ Deus præſcivit ea quę in tempore fiunt, & prędefinitio quâ abſolutè & efficaciter ea decrevit non ſit talis quâ poſitâ voluntas non poſſit divinam inſpirationem abjicere, aut ei diſſentire, quod ubi definivit Tridentinum occluſum eſt os Lutheri, nec humiliata aut verecundè confuſa, ſed maximè exaltata eſt Eccleſia. Hęc Iunior Moliniſta ex P. Annato.

Fateor, ea omnia quæ de Concilio Tridentino, & Sanctis Patribus concludimus, a doctiſſimis Salmanticenſibus eſſe deſumpta: in eorum enim doctrinâ maximè gloriamur. Sed nego a P. Annato pleniſſimè eſſe ſoluta & infirmata. Et dum trabe me dicit impeditum, ſi non viderim ſolutionem, velamen cordis ſui ipſe probat: ſiquidem ſolutionem adduxi, & impugnavi, ut videre eſt num. 186. ubi locum P. Annati citavi, nempè, diſp. 3. num. 129. ex quo omnia quæ ſunt allata deſumpſit; & probatum eſſe dixi, ea non poſſe ſtare cum illâ aſſertione quâ dicitur, Scientiam Mediam eſſe medium omninò neceſſarium ad conciliandam libertatem cum prædeſtinatione Dei, diviniſque prædiffinitionibus.

Nec opus eſſet ad convincendum Cordatos aliquid noſtris rationibus addere. Verùm ut & ipſis Adverſariis evidens fiat, quòd argumentum noſtrum à nullo Moliniſtâ huc uſquè fuerit infirmatum, nec unquam ſit infirmandum; Sciendum eſt, argumentum non procedere *abſolutè*, ſed *ad hominem*, ex illis, ſcilicet, quę concedunt Adverſarii. Concedunt, quòd Sancti Patres non adhibuerunt Scientiam Mediam ad conciliandam libertatem cum prædeſtinatione Dei, & divinis prædiffinitionibus; & ex aliâ parte docent Scientiam Mediam eſſe medium omninò neceſſarium ad prædictam conciliationem:

Digitized by Google

quæ duo moraliter probavimus implicare. Cordati utriuſque Solis diſcipuli non implicantur ſimili contradictione: ipſi enim modum ſuum conciliandi libertatem invictè ſuſtinent eſſe eum, quo Sancti Patres uſi ſunt; nec ob aliam rationem eum judicant eſſe neceſſarium, illoque utuntur. Quòd ſi viderent S. Patres talem modum pro conciliatione libertatis non adhibuiſſe, confeſtim eum repudiarent: non enim auctores eſſe volunt, ſed cuſtodes; non inſtitutores, ſed ſectatores eſſe gloriantur; & ideò longè fugiunt ab eis, qui quod ſibi potiſſimum videtur eligunt, & dedignantur in iis quæ à Sanctis ſunt inſtituta Patribus permanere.

Quarè meritò concluſimus, eo ſolo titulo Scientiam Mediam ab omni Cordato explodendam eſſe, quòd eam adhibeant Adverſarii ad conciliandam libertatem, & certum ſit, fatentibus Adverſariis, Sanctos Patres ad prædictam conciliationem eam non adhibuiſſe. Quis Moliniſtarum hanc concluſionem infirmavit, & infirmabit?

Nam id quod ex P. Annato dicit Junior Moliniſta, nempè, Sanctos Patres *expeditiorem habuiſſe rationem quâ libertatem contra Hæreticos defenderent, negando, ſcilicet, quod aſſumebant Lutherus & Calvinus, & dicendo nullam eſſe prædiffinitionem in Deo quâ poſitâ voluntas non poſſit abjicere divinam inſpirationem, & ei diſſentire:* Id, inquam, nullatenus infirmat noſtrum argumentum. Non; enim, conſideramus Sanctos Patres ut ſolummodò definientes articulos fidei, ſed ut Paſtores & Doctores Eccleſiæ, quos S. Paulus ad Titum c. 1. vult ut potentes ſint *exhortari in Doctrinâ ſanâ, & eos qui contradicunt arguere*, quos etiam S. Petrus dicit debere eſſe *paratos ad ſatisfactionem omni poſcenti ab eis rationem.* Talibus non ſufficit ſimpliciter negare errores, ſed debent firmis rationibus quantum fieri poteſt falſitatis convincere contradictores. Quo in ſtudio totaliter verſati ſunt Sancti Patres, & maximè S. Augustinus; ad quid, enim, contra Hæreticos tot multiplicaſſent libros, ſi fuiſſet eis ſatis ſimpliciter negare errores, eoſque damnare.

Ex quo euidens fit argumentum noſtrum; quod ſub hac formâ propono: Sancti Patres doctrinaliter conciliaverunt libertatem cum prædeſtinatione Dei, diviniſque prædiffinitionibus, & Hæreticos contradicentes falſitatis convicerunt: ſed Sancti Patres ad doctrinaliter conciliandam libertatem cum prædeſtinatione Dei, diviniſque prædiffinitionibus non adhibuerunt Scientiam Mediam, nec eam adhibuerunt ad falſitatis convincendum Hæreticos contradicentes: ergo ad conciliandam doctrinaliter libertatem, & falſitatis convincendos Hæreticos Scientia Media non eſt medium omnino neceſſarium. Patet conſequentia. Nam illud, ſine quo res fit, non poteſt eſſe medium omninò neceſſarium ad rem faciendam: ſi ergo Sancti Patres ſine Scientiâ Mediâ doctrinaliter conciliarunt libertatem, & falſitatis convicerunt Hæreticos, non poteſt ad ea præſtanda Scientia Media eſſe medium.

Digitized by Google

omninò neceſſarium. Retractent ſe igitur Moliniſtæ, vel negent, Sanctos Patres doctrinaliter conciliaſſe libertatem, & falſitatis conviciſſe Hæreticos. Non mirarer, poſt ea quæ contra S. Augustinum evomuerunt, (de quibus cap. præced. art. 5. § 4.) ſi hoc negarent; & fortaſſis corde negant, quod ore non audent, timore damnationis. Quidquid ſit de illis, ſufficit nobis, Cordatos non negaturos, ad quorumjudicium eos revocamus.

Hoc argumento urgebatur nuper Junior Moliniſta, & reſpondebat, S. Augustinum cæteroſque Patres non indiguiſſe Scientiâ Mediâ ad conciliandam doctrinaliter libertatem contra Hæreticos ſui temporis, nec ad eos falſitatis convincendos: ſed ut doctrinaliter concilietur libertas contra Hæreticos hujus temporis, ipſique falſitatis convincantur: opus eſſe Scientiâ Mediâ. Hæc ſolutio oportuna eſt, dum ſtatim ei ſubditur, *Gratias agimus pro doctiſſimo & ſubtiliſſimo argumento.*

Verùm quis Cordatus non videt eſſe eluſionem argumenti non ſolutionem, Patribuſque Tridentini ſummè injurioſam. Eſt mera argumenti eluſio, quia ſi S. Augustinus cæteriqué Patres non indiguerunt Scientiâ Mediâ ad doctrinalem libertatis conciliationem contra ſuos Impugnatores & ad eos falſitatis convincendos; nec modò ad eoſdem effectus opus eſt Scientiâ Mediâ contra Hæreticos hujus temporis: ſiquidem evidens eſt evidentiâ facti apud Cordatos, non eſſe aliud argumentum Lutheri & Calvini ab argumento Impugnatorum S. Augustini. Nam totaliter fundatur in efficaciâ alicujus decreti indeclinabilis & inſuperabilis, qualem efficaciam continuò S. Augustino improperabant ejus Impugnatores, & ideò ut peremptorem libertatis eum calumniabantur. Vidè infrà art. 4. §. 8. Collationes Alphabeticas.

Eſt etiam Patribus Tridentini ſummè injurioſa; quia negat Patres illos, quos tamquam Eccleſiæ Paſtores & Doctores veneramur, doctrinaliter conciliaſſe libertatem cum prædeſtinatione, diviniſque prædiffinitionibus, nec falſitatis conviciſſe Lutherum & Calvinum: ac proindè humiliatam in hoc puncto, ac verecundè confuſam iacuiſſe Eccleſiam.

Deniquè ſuo ore ſe condemnat Junior iſte: ad hoc, enim, Lutheri & Calvini argumentum, *Deus ab æterno ea quæ fiunt in tempore abſolutè ac efficaciter decrevit: ergo omnia ex abſolutâ neceſſitate fiunt*, dicit, Patres Tridentini ſoluiſſe iſtud argumentum, concedendo antecedens, & negando conſequentiam, ut patet ex verbis ipſius ſuprà relatis. Sed juxta P. Annatum decretum, quod in antecedente expreſſerunt Lutherus & Calvinus, erat *prædefinitio abſoluta, efficax, infallibilis, infruſtrabilis*, ut retulimus nu. 177. Cogitur ergo Junior iſte concedere Patres Tridentini negaſſe *ex prædefinitione abſolutâ efficaci, infallibili, infruſtrabili, inferri neceſſitatem in actibus noſtris*; quam tamen, vult ipſe cum ſuis Sociis, continuò ex tali prædefinitione inferre.

Digitized by Google

Imò omnes Moliniſtæ ſuo ore ſe condemnant, dum dicunt Patres Concilii Tridentini non fuiſſe uſos Scientiâ Mediâ: Nam apertè ſequitur, præcepta dici poſſibilia ſine GRATIÂ SUFFICIENTE ET VERSATILI. Quod ſic oſtendo; A Patribus Tridentini præcepta dicuntur poſſibilia ſine uſu Scientiæ Mediæ, ut fatentur Adverſarii: ſed GRATIA SUFFICIENS ET VERSATILIS conjunctum ſibi habet uſum Scientiæ Mediæ: ideo enim eſt VERSATILIS quia in his circumſtantiis a voluntate redditur efficax, in aliis non; quod eſt Scientiæ Mediæ objectum: ergo a Patribus Tridentini præcepta dicuntur poſſibilia ſine GRATIÂ SUFFICIENTE ET VERSATILI. Nec poteſt retorqueri, quòd a Patribus Tridentini præcepta dicuntur poſſibilia ſine GRATIÂ EFFICACI OBLATÂ; quia nos hoc negamus; & ſi illud concederemus, ore etiam proprio nos ipſos cum Moliniſtis condemnaremus; efficaciterque argumentum retorqueretur.

Iudicet nunc CORDATUS THEOLOGUS, Annon verè ſit a nobis dictum, argumentum noſtrum, quo *moraliter implicare dicimus, Sanctos Patres ad conciliationem libertatis, & convictionem Hæreticorum non adhibuiſſe Scientiam Mediam, & eam ad id eſſe medium omninò neceſſarium*, argumentum, inquam, hoc, a nullo Moliniſtâ huc uſque fuiſſe infirmatum, nec unquam fore infirmandum. *

ARTICULUS IIJ.

Seclusâ ſcientiâ mediâ Deus non eſt cauſa peccati.

CICIV. HOc tertium pigmentum, quo Scientię Mediæ deformitas tegitur, melius larvam dixerim, quam pigmentum. Pigmentis enim utimur, ut videntibus placeamus; ſed larvâ ut nos illis occultemus. Poſſibilitate adimplendi præcepta, & libertate arbitrii quaſi pigmentis uſi ſunt Molinæ diſcipuli: etenim nihil homini ſuperbo ita placet, quam plena poteſtas applicandi ſe ad faciendum quodcumque libuerit. Negatione autem divinæ cauſalitatis circa peccatum quaſi larvâ utuntur, dum putant mediante Scientiâ Mediâ facilè expediri, Deum non concurrere ad peccatum; è contrà difficile exiſtimant, prædeterminationem phyſicam non cauſare peccatum. Cùm tamen eâdem & majori premantur difficultate, eiſque etiam eorumdem competat ſolutio argumentorum. E duobus æqualiter obligatis, ſi unus non ſolvens debitum urgeat alterum ad ſolvendum, quid aliud facit, quam ſe occultare debitorem. Vide art. 4. cap. 1.

Digitized by Google

§. J. *Nulla eſt inter Concurſum prævium & pediſſequum quoad cauſandum peccatum differentia. Si quæ eſſet, magis deberet dici cauſa peccati concurſus pediſſequus, quam prævius.*

CICV. Concurſum prævium dicimus, qui antecedit determinationem voluntatis: concurſum pediſſequum, qui eam ſubſequitur. Uterque ſimul eſt cum determinatione voluntatis, eique infallibiliter connexus; ſed unus cauſalitate prior, alter poſterior. Si ſimultas & infallibilis connexio unius non impedit, quin rectè dicatur prævius, & antecedens, eo quòd ſit cauſalitate prior; ita ſimultas & infallibilis connexio alterius, non obeſt, quin rectè dicatur pediſſequus, & ſubſequens, eo ipſo quòd ſit cauſalitate poſterior. Non poſſum ſatis mirari aliquos, etiam doctiſſimos, admittere prædeterminationes phyſicas ad actus bonos, & eas rejicere ad materiale, ſive actum peccati. Etenim ratio probans concurſum generalem, quo Deus in omni operante operatur, debere eſſe prævium & phyſicè prædeterminantem, id ipſum evincit de concurſu quem habet Deus circa actum peccati, qui cum ſit ens, & bonitate phyſicâ prę-ditus non poteſt ſub illâ ratione ſubterfugere Dei cauſalitatem: ac proindè ſi cauſalitas Dei ſit phyſica & prædeterminans, oportet ut Deus etiam actum peccati phyſicè prædeterminet.

Quarè non tangunt nodum præſentis difficultatis, & eum in ſcirpo quærunt, qui diſtinguunt in præſenti inter concurſum prævium, & pediſſequum. Nodus ſiquidem præſentis difficultatis conſiſtit in hoc, quòd actus peccati habet ſibi inſeparabiliter malitiam annexam; ex quo non videtur poſſe aliquid eſſe cauſa *actus peccati* quin eo ipſo ſit etiam cauſa *malitiæ*. Semel autem explicato modo, quo aliquid poſſit ſuâ actione attingere rationem actûs, non attingendo malitiam; nulla poteſt eſſe major difficultas de uno concurſu, quàm de alio; nihil enim in ordine ad cauſandum malitiam refert, quod ante, aut poſt determinationem voluntatis, attingatur actus, ſi ita attingitur, ut malitia ei inſeparabiliter annexa non attingatur. Hoc eſt quod in præſenti paragrapho intendimus explicare.

CICVI. Unica diſtinctio totam hanc difficultatem evacuabit. Pro quâ ſciendum eſt, inter plures rationes quæ in actu peccati reperiuntur, duæ ſolummodò ſunt in præſenti conſiderandæ; *una* ſcilicet, *ad quam ſequitur malitia*; *alia* verò *ad quam nulla ſequitur malitia*. Hæ duæ rationes ſunt inter ſe diſparatæ, & poſſunt concipi ſe habere ad actum peccati ſicut bonum, & verum ſe habent ad ens, hoc tamen ſenſu & non alio, quòd ſcilicet, ſicut intellectus attingens ens ſub ratione veri, non attingit illud ſub ratione

Digitized by Google

boni, & voluntas attingens ens ſub ratione boni, non attingit illud ſub ratione veri; ita quod producit actum peccati ſub illâ ratione *ad quam ſequitur malitia*, non producit actum peccati ſub illâ ratione *ad quam non ſequitur malitia*; & è contra quod producit actum peccati ſub illâ ratione *ad quam non ſequitur malitia*, non producit illum ſub illâ ratione *ad quam ſequitur malitia.* Nam quamvis voluntas producat actum peccati ſub utrâque ratione; hoc tamen facit ut eſt virtualiter multiplex; ſiquidem diſtinguitur in ſeipſam ut motam à Deo, & in ſeipſam ut primò moventem; ut mota à Deo producit actum peccati ſub illâ ratione *ad quam non ſequitur malitia*, ut primò movens producit actum peccati ſub illâ ratione *ad quam ſequitur malitia.* Illa ratio, *ad quam non ſequitur malitia*, complectitur quidquid entitatis, actualitatis, & perfectionis eſt in actu peccati, & vocatur à Theologis *materiale peccati materialiter ſumptum*, à Doctore autem Angelico dicitur *actus peccati* aut *entitas peccati.* Ratio verò *ad quam ſequitur malitia* (quæcumque ſit illa) reducitur ad lineam malitiæ, eo quòd malitia non poteſt aliter produci niſi per hoc, quòd producatur hujuſmodi ratio. Ideò à Theologis vocatur *materiale peccati formaliter ſumptum*, & ſub nomine malitiæ à Doctore Angelico comprehenditur.

CICVIJ. His prælibatis certum eſt primò, Deum non concurrere ad actum peccati ſub illâ ratione *ad quam ſequitur malitia*; quia ſic cauſaret malitiam, quę ut nuper dictum eſt, non eſt per ſe primò producibilis, ſed reſulat ex prædictâ ratione, eo modò quo relatio. v. g. filiatio, reſultat ex fundamento, & non poteſt produci niſi per actionem quæ producit fundamentum. Eſt autem de fide Deum non cauſare malitiam, juxta illud Pſal. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Et Concilium Trid. ſeſſ. 6. can. 6. *Si quis dixerit mala opera ita ut bona Deum operari non permittendo ſolùm, ſed etiam propriè & per ſe, adeò ut ſit proprium ejus opus non minùs proditio Judæ, quàm vocatio Pauli, anathema ſit.*

Certum eſt ſecundò, Deum concurrere ad actum peccati ſub illâ ratione *ad quam non ſequitur malitia.* Nam cùm omnes rationes *ad quas non ſequitur malitia* habeant entitatem phyſicam ſecundùm quam ſunt ordinabiles in Deum ut ultimum finem, oportet ut cadant ſub omnipotentiâ divinâ, quæ ut univerſaliſſima cauſa phyſica debet extendi ſuâ cauſalitate ad omne id quod habet entitatem phyſicam & eſt ordinabile in Deum ut ultimum finem. Ita D. Thom. de malo q. 3. a. 2. & 1. 2. q. 79. a 2. Item in 2. diſt. 37. q. 2. a. 2. ſic loquitur: *Alia opinio dicebat actus peccatorum nullo modo nec etiam in quantum actus ſunt, à Deo eſſe, & hæc opinio tangitur in præſenti diſtinctione, quam ad præſens nulli, vel pauci tenent, quia* Propinquiſſima est Duplici errori. &ci.

CICVIIJ. Sola igitur remanet difficultas utrique concurſui æqualis, quomodò

Digitized by Google

quomodò ſcilicet fieri poſſit, ut ex duabus rationibus inſeparabiliter inter ſe connexis una attingatur, & non alia: quam difficultatem ſic denodat Angelicus Sol in 2. diſt. 37. q. 2. a. 2. ad 5. *Dicendum quòd ſicut actio, quæ peccati deformitatem habet dicitur bona in quantum eſt actio, bonitate naturæ, non propterea quòd aliquando inveniatur ſeparata à deformitate, ſed quia bonitas illa naturæ deformitati ſubſtat: ita etiam Deus dicitur cauſa illius actionis in quantum eſt actio, & non in quantum eſt deformis hoc modo, quòd actionem non faciat à deformitate ſeparatam, ſed quia in actione deformitati conjunctâ, hoc quod eſt actionis facit, & quod eſt deformitatis non facit.* Etsi enim in aliquo effectu plura inseparabiliter conjuncta sint, non oportet ut quidquid est causa ejus quantum ad unum, sit etiam causa ejus, quantum ad alterum. Quo nihil clarius, aut elegantius ad hanc difficultatem dici potuit.

Ratio hujus Angelicæ Doctrinæ reddi poteſt, quòd una ratio alicujus effectus continetur intra objectum adæquatum potentiæ operantis, & non altera; Cùm autem nulla virtus poſſit ferri extra latitudinem ſui objecti adæquati, ex eo quòd hæc duo, potentia ſcilicet, & objectum ſunt eſſentialiter commenſurata, ſequitur nexum inſeparabilem duarum rationum nihil obeſſe quominùs una attingatur, & non altera. Propter hanc rationem, ut nuper diximus, voluntas non terminatur ad ens ſub ratione intelligibilis, nec intellectus ad idemmet ens ſub ratione amabilis ſive boni; quia licet hæc duo identificentur inter ſe, attamen ens ut amabile eſt extra latitudinem *rationis formalis ſub quâ* latitudinis objecti intellectus: & ens ut intelligibile eſt eodem proportionali modo extra latitudinem *rationis ſub quâ* voluntatis.

CICIX. Confirmatur exemplo quo ſepè utitur D. Thom. ad rem hanc explicandam. Nam etſi ratio motus in claudicatione, & illa ratio *ad quam ſequitur defectus claudicationis* ſint inſeparabiliter connexæ: attamen in ratione motus fit à virtute progreſſivâ rectè tibiam curvam quantum eſt ex ſe movente; & ſub illâ ratione *ad quam ſequitur defectus* procedit, non à virtute progreſſivâ, ſed à tibiâ curvâ. Idemque accideret ſi pictor v. g. juxta regulas artis penicillo defectuoſo, inculpabiliter tamen aſſumpto, depingeret. Nam tunc pictura, quoad id quod eſt perfectionis & artis in eâ, procederet à Pictore; & quoad defectum artis ab ipſo penicillo defectuoſo, rectè tamen quantum eſt ex parte Pictoris & juxta regulas artis moto: nec tamen talis defectus tribuendus eſſet eidem Pictori. Et ratio horum omnium eſt, quia defectus in claudicatione, aut picturâ inventi, ſicut & ratio illa ad quam ſequuntur, non continentur intra latitudinem objecti adæquati virtutis progreſſivæ, aut artis rectè moventis, ſed potiùs repugnant eidem objecto.

Digitized by Google

Similiter in actu peccati ratio entitatis, actualitatis, perfectionis, & bonitatis naturalis attingitur à Deo abſque eo quòd attingat illam rationem *ad quam ſequitur malitia*; eo quòd hæc ratio non continetur intra latitudinem objecti omnipotentiæ divinæ, & artis divinæ. Ad quod parum refert, ut in initio dixi, quod Deus determinet voluntatem ad producendum actum peccati ſub ratione actualitatis priùs quàm ipſa voluntas ſe determinet ad producendum eumdem actum peccati ſub illâ ratione, *ad quam ſequitur malitia*: quia hoc ipſo quòd illa prædeterminatio quâ Deus determinat voluntatem ſiſtit in ratione actualitatis, & non tranſit ad actum peccati ſub illâ ratione, *ad quam ſequitur malitia*; impoſſibile eſt, quòd prędeterminatio dicta ſit cauſa malitię, & voluntatem ad illam determinet; cùm non ſit poſſibile cauſare malitiam, atque ad eam voluntatem determinare niſi attingendo ipſam rationem *ex quâ ſequitur malitia*.

Imò ſi quæ eſſet quoad hoc differentia inter concurſum prævium, & pediſſequum, (quam tamen non admittimus) multò meliùs ſalvaretur Deum non eſſe cauſam peccati, dicendo, quòd antequam voluntas ſe determinet ad producendum actum peccati ſub illâ ratione *ad quam ſequitur malitia*, Deus voluntatem prædeterminat ad eumdem actum producendum ſub ratione actualitatis; quàm aſſerendo, quòd ſemel ſuppoſitâ voluntatis determinatione ad malum, ſtatim Deus eſt pediſſequus iſtius pravę determinationis. Nam malitia non poteſt inficere id quod eam antecedit, & ex quo non ſequitur; poteſt tamen inficere id quod illam ſubſequitur; ſiquidem ſequi alterius determinationem, poſtquam jam depravata eſt, illique adhęrere non poteſt non habere intrinſecè rationem mali: ac proindè difficiliùs ſalvatur, Deum ſuo concurſu pediſſequo ſequi hanc pravam voluntatis determinationem, illique adhærere, & non eſſe cauſam peccati. Vide art. 4. cap. 1. ubi §. 6. clarè oſtendimus, majores pati difficultates circa actum peccati, concurſum pediſſequum, quàm concurſum prævium.

§. II. *Dilucidè explicatur, quæ ſit illa ratio, ad quam in actu peccati ſequitur malitia.*

CC. Hic opus, hìc labor eſt præſentis difficultatis. Etenim ſi ritè explicatum fuerit, quæ ſit illa ratio, *ad quam ſequitur malitia*, confeſtim eluceſcet, motionem Dei prædeterminantem non poſſe illam cauſare.

Ad cujus evidentiam ſupponendum eſt ex communi Thomiſtarum doctrinâ, quòd etſi moralitas formalis ſpecificetur ab objecto morali, ſuam tamen formalitatem effectivè accipit à principio morali, ita ut quemadmodùm actus exiens à principio vitali eſt formaliter vitalis, & tendit vitaliter in objectum; & ſicut actus exiens à principio libero eſt formaliter liber,

& tendit liberè in objectum: ita actus exiens à principio morali eſt formaliter moralis & tendit moraliter in objectum. Principium autem morale juxta Angelicæ doctrinæ principia eſt voluntas obligata legi, ſivè regulis morum: Undè eo ipſo quòd actus liberè exeat à voluntate obligatâ legi, reſultat in tali actu tendentia in objectum relatum ad legem, quę tendentia eſt ipſa formalis moralitas: de quâ vide Salmanticenſes de moralitate, & ſpecificatione actuum humanorum. Si ergo voluntas legi obligata, ſe ſubjiciat legi, reſultat in actu tendentia in objectum conforme legi; ſi verò non ſe ſubjiciat legi, reſultat in actu tendentia in objectum difforme legi, quæ tendentia eſt *malitia moralis*, ſicut & prior tendentia eſt *bonitas moralis*.

Ex quo patet, quòd habitudo actus ad voluntatem obligatam legi eſt illa ratio *ad quam ſequitur moralitas*; habitudo actus ad voluntatem ſubjicientem ſe legi eſt illa ratio *ad quam ſequitur bonitas moralis*; & habitudo actus ad voluntatem non ſe ſubjicientem legi eſt illa ratio *ad quam ſequitur malitia moralis*, ſivè tendentia in objectum difforme legi. Quarè ſicut in Petro v. g. eſſe terminum generationis eſt illa ratio, quæ cauſat filiationem; ita in actu morali *exire à voluntate obligatâ legi* eſt illa ratio, quæ cauſat actus moralitatem; ſimiliter & in actu bono *exire à voluntate ſubjiciente ſe legi* eſt illa ratio, quæ cauſat bonitatem actus moralem; & deniquè in actu malo *exire à voluntate non ſe ſubjiciente legi* eſt illa ratio, quæ cauſat malitiam actus moralem. Ulteriùs quemadmodùm actio illa quæ produceret Petrum ſub ratione animalis, hominis &c. non tamen produceret eum ſub ratione termini generationis (ſivè hoc ſit poſſibile, ſivè non) actio, inquam, illa non cauſaret in Petro Filiationem: ita motio Dei prædeterminans, quæ facit actum *exire à voluntate præcisè*, non tamen facit quòd *exeat à voluntate non ſe ſubjiciente legi*, non poteſt cauſare malitiam in actu peccati.

CCJ. Quæ doctrina deſumitur ex Angelico Præceptore noſtro diſtinguente ſæpiùs malum in actionibus à malo in rebus, penes hoc, quòd malum in actionibus ſemper ſit ex defectu alicujus principii agentis, malum autem in rebus oriatur, vel ex perfectione virtutis agentis, vel ex indiſpoſitione materiæ. Ita diſtinguit D. THOM. 1. p. q. 49. a. 1. Ad cujus evidentiam conſiderandum eſt, quòd aliter cauſatur malum in actione, & aliter in effectu. In actione quidem cauſatur malum per defectum alicujus „ principiorum actionis, vel principalis agentis, vel inſtrumentalis. Sicut „ defectus in motu animalis contingit vel propter debilitatem virtutis motivæ, ut in pueris, vel propter ſolam ineptitudinem inſtrumenti, ut in „ claudis. Malum autem in aliquâ re, non tamen in proprio effectu agentis, cauſatur quandoque ex virtute agentis, quandoque autem ex defectu ipſius, vel materiæ: Ex virtute quidem vel perfectione agentis, quando

„ ad formam intentam ab agente ſequitur ex neceſſitate alterius formæ pri-„ vatio ; ſicut ad formam ignis ſequitur privatio formæ aquæ, vel „ aëris.

„ Sicut igitur quantò ignis fuerit perfectior in virtute, tantò fortiùs im-„ primit formam ſuam, ita etiam tantò perfectiùs corrumpit contrarium, „ undè malum & corruptio aëris, vel aquæ eſt ex perfectione ignis, ſed hoc „ eſt per accidens, quia ignis non intendit privare formam aquæ, ſed in-„ ducere propriam formam: ſed hoc faciendo, cauſat etiam illud per acci-„ dens. Sed ſi ſit defectus in effectu proprio ignis, puta quòd deficiat à „ calefaciendo, hoc eſt, vel propter defectum actionis qui redundat in de-„ fectum alicujus principii, ut dictum eſt, vel ex indiſpoſitione materiæ. „ Sed etiam hoc ipſum quod eſt eſſe deficiens accidit bono, cui per ſe „ competit agere. Undè verum eſt quòd malum ſecundùm nullum modum „ habet cauſam niſi per accidens. Sic autem bonum eſt cauſa mali.

Hæc D. Thomas in ſuâ radice id quod intendimus explicans: ſi enim malum in actionibus proveniat ſemper ex aliquo principio deficiente, ſequitur evidenter, quòd habitudo actionis ad principium deficiens ſit illa ratio *ad quam ſequitur malitia actionis*: ac proindè habitudo actus peccati ad voluntatem deficientem erit illa ratio *ad quam ſequitur malitia moralis*.

Specialiter hoc docuit D. Thomas q. 1. de Malo. a. 3. ubi profundè explicat quâ ratione voluntas ſit cauſa mali moralis; & quia verba ejus efficaciſſima & clariſſima ſunt non debui ea prætermittere. Eſt ergo (inquit Angelicus Præceptor) duplex modus quo malum cauſatur ex bono. „ Uno „ modo bonum eſt cauſa mali in quantum eſt deficiens. Alio modo in quan-„ tum eſt agens per accidens, quod quidem in rebus naturalibus de facili „ apparet. Hujus enim mali quod eſt corruptio aquæ cauſa eſt virtus activa „ ignis, quæ quidem non principaliter intendit & per ſe non eſſe aquæ, „ ſed principaliter intendit formam ignis inducere in materiam, cui conjun-„ gitur ex neceſſitate non eſſe aquæ, & ſic per accidens eſt quod ignis fa-„ ciat aquam non eſſe. Hujus verò mali quod eſt monſtruoſitas partus cauſa „ eſt virtus deficiens in ſemine. Sed ſi quæritur cauſa hujus defectus quod „ eſt malum ſeminis, erit devenire ad aliquod bonum quod eſt cauſa hujus „ mali per accidens, & non in quantum eſt deficiens. Hujus enim defe-„ ctus qui eſt in ſemine cauſa eſt aliquod principium alterans, quod indu-„ cit qualitatem contrariam qualitati, quæ requiritur ad bonam diſpoſitio-„ nem ſeminis. Cujus alterantis virtus quantò fuerit perfectior tantò hanc „ qualitatem contrariam magis inducit, & per conſequens defectum ſemi-„ nis conſequenter. Undè malum ſeminis non cauſatur ex bono in quan-„ tum eſt deficiens, ſed cauſatur ex bono in quantum eſt perfectum, ſed „ per accidens.

Digitized by Google

„In voluntariis autem quodammodò ſimiliter ſe habet, ſed non per om-
„nia, nec quantum ad omnia. Manifeſtum eſt enim quòd delectabile ſe-
„cundùm ſenſum movet voluntatem adulteri, & afficit eum ad delectan-
„dum tali delectatione, quæ excludit ordinem rationis, & divinæ legis,
„quod eſt malum morale. Si ergo ita eſſet quòd voluntas ex neceſſitate
„reciperet impreſſionem delectabilis allicientis, ſicut ex neceſſitate corpus
„naturale recipit impreſſionem agentis, omninò idem eſſet in voluntariis
„& naturalibus. Non eſt autem ſic, quia quamquam exterius ſenſibile al-
„liciat, in poteſtate tamen voluntatis eſt recipere, vel non recipere; Unde
„mali quod accidit ex hoc quòd recipit non eſt ipſum delectabile movens
„cauſa, ſed magis ipſa voluntas, quæ quidem eſt cauſa mali, ſed utroque
„prædictorum modorum ſcilicet & per accidens, & in quantum eſt bo-
„num deficiens.

„Per accidens quidem in quantum voluntas fertur in aliquid, quod eſt
„bonum ſecundùm aliquid, ſed habet conjunctum aliquid quod eſt ſim-
„pliciter malum. Sed ut bonum deficiens in quantum oportet in volun-
„tate præconſiderare aliquem defectum ante ipſam electionem deficien-
„tem per quam eligit ſecundùm quid bonum, quod eſt ſimpliciter
„malum.

CCIJ. Nihil poteſt clarius ad noſtrum intentum dici. Expendatur primò duplex illa cauſa mali, nempè bonum ut bonum, & bonum ut deficiens: bonum ut bonum cauſat malum per accidens, quia præter intentionem, in quantum ſcilicet producit aliquod bonum, cui conjungitur aliquod malum. Bonum ut deficiens cauſat malum per accidens, quia ut docet D. THOM. 1. p. q. 49. a. 1. *Hoc ipſum quod eſt eſſe deficiens accidit bono cui. per ſe competit agere.* In hoc conveniunt malum naturale & malum voluntarium, quòd utrumque habeat duplicem illam cauſam mali; ſed differunt primò, quòd datur aliquod malum naturale procedens à bono ut bonum eſt, ut corruptio aquæ, & datur aliud malum procedens à bono ut deficiens eſt, ut monſtruoſitas partus: malum autem voluntarium ſemper utramque cauſam habet quia procedit à bono ut bonum eſt, & à bono ut deficiens &c. Procedit à bono in quantum bonum eſt dum procedit à voluntate intendente aliquod bonum. *Malum*, inquit D. THOM. q. 1. de malo citatâ, *in quantum hujuſmodi non poteſt eſſe intentum, nec aliquo modo volitum, vel deſideratum, quia omne appetibile habet rationem boni, cui opponitur malum in quantum hujuſmodi. Undè videmus quòd nullus facit aliquod malum niſi intendens aliquod bonum, ut ſibi videtur: ſicut adultero bonum videtur quòd delectatione ſenſibili fruatur, & propter hoc adulterium committit.*

Malum igitur voluntarium procedit à bono ut bonum eſt, in quantum procedit à voluntate intendente aliquod bonum cui conjungitur. Procedit

Digitized by Google

etiam à bono ut deficiens eſt, in quantum procedit à voluntate deficiente; hęc enim ſubtiliter diſtinguenda ſunt voluntas deficiens, & voluntas intendens aliquod bonum. Malum voluntarium procedit à voluntate tam *ut intendente*, quàm *ut deficiente*; & hæc eſt prima differentia mali voluntarii à malo naturali quod poteſt ſolummodò procedere in aliquibus, à bono ut bonum eſt.

Secundò, differunt Malum voluntarium, & malum naturale, quòd in malo naturali bonum ut deficiens reducitur ad bonum perfectum; monſtruoſitas partûs quæ oritur à bono ut deficiente, nempè à ſemine corrupto, reducitur radicaliter ad aliquam cauſam alterantem, quę ex virtutis ſuæ perfectione inducendo qualitatem contrariam ſemini corrupit illud. In malo autem voluntario contrarium accidit; eo quòd voluntas ut intendens reducitur ad voluntatem ut deficientem; non enim voluntas intenderet aliquod bonum ſecundùm quid, cui malum ſimpliciter conjungitur, ſi non eſſet priùs deficiens, *in quantum*, ait Angelicus Magiſter, *oportet in voluntate præconſiderare aliquem defectum ante ipſam electionem deficientem, per quam eligit ſecundùm quid bonum, quod eſt ſimpliciter malum.*

Ex quo evidens fit, habitudinem actûs voluntarii ad voluntatem deficientem eſſe illam rationem *ad quam ſequitur malitia*, quæ nihil eſt aliud quàm tendentia in malum ſimpliciter ſub ratione boni ſecundùm quid. Vnde hæc cauſalis eſt vera: ideò actus voluntatis tendit in malum ſimpliciter ſub ratione boni ſecundùm quid, quia exit a voluntate deficiente.

Expendatur ſecundò, quòd *ſi voluntas ex neceſſitate reciperet impreſſionem delectabilis allicientis, omninò idem eſſet in voluntariis & naturalibus.* Quia ſcilicet, ſicut ad impreſſionem formæ ignis ſequitur corruptio aquæ, & quodcumque agens cauſans impreſſionem formæ ignis in aquâ, cauſat etiam corruptionem aquæ: ita ad impreſſionem delectabilis in voluntate ſequeretur corruptio ordinis rationis, & quodcumque agens cauſaret impreſſionem delectabilis, id eſt, tendentiam actûs voluntarii in delectabile, cauſaret etiam corruptionem ordinis rationis. *Non eſt autem ſic*, ait D. Thom. *quia quamquam exteriùs ſenſibile alliciat, in poteſtate tamen voluntatis eſt recipere, vel non recipere. Unde mali quod accidit ex hoc quod recipit, non eſt ipſum delectabile movens, ſed magis ipſa voluntas, in quantum eſt bonum deficiens.*

Quaſi diceret, quòd non ad impreſſionem delectabilis abſolutè conſideratam ſequitur corruptio ordinis; ſed ad impreſſionem delectabilis ut recipitur à voluntate deficiente ſequitur corruptio ordinis rationis. Et ideò non quodcumque agens cauſat impreſſionem delectabilis in voluntate cauſat etiam corruptionem ordinis rationis, ſicut accidit in naturalibus; ſed ſolùm illud agens, quod facit talem impreſſionem recipi à voluntatę deficiente cauſat

Digitized by Google

prædictam corruptionem. Atque in hoc conſiſtit præcipua mali moralis à malo naturali differentia; nempè, quòd v. g. corruptio aquæ ſequatur ad impreſſionem formæ ignis abſolutè; corruptio verò ordinis rationis ſequatur ad impreſſionem delectabilis non abſolutè, ſed ut eſt à VOLUNTATE DEFICIENTE. Undè in naturalibus valet, *qui dat formam, dat conſequentia ad illam*: in moralibus autem non tenet, niſi detur forma eo modo quo conſequentia ad formam conſequuntur illam: ut in noſtro caſu qui dat actui peccati tendentiam in delectabile, non cauſat malitiam; ſed qui dat actui tendentiam, ut eſt à VOLUNTATE DEFICIENTE, cauſat malitiam: eo quòd malitia non ſequitur ad tendentiam in delectabile abſolutè; ſed ad tendentiam in delectabile, ut eſt à VOLUNTATE DEFICIENTE.

CCIIJ. Supereſt explicare, quid ſit voluntas deficiens? Breviter dico, quòd voluntas deficiens eſt voluntas non ſe ſubjiciens legi. Ita D THOM. 1. p. q. 49. ad 3. *Malum habet cauſam deficientem, aliter in rebus voluntariis, & naturalibus. Agens enim naturale producit effectum ſuum, talem quale ipſum eſt, niſi impediatur ab aliquo extrinſeco, & hoc ipſum eſt quidam defectus ejus, unde nunquam eſt malum in effectu, niſi præexiſtat aliquod malum in agente, vel in materiâ, ſicut dictum eſt: ſed in rebus voluntariis* DEFECTUS ACTIONIS *à* VOLUNTATE DEFICIENTE PROCEDIT IN QUANTUM NON SUBJICIT SE IN ACTU SUÆ REGULÆ, *qui tamen defectus* NON EST CULPA, SED EUM SEQUITUR CULPA, *ex hoc quòd cum tali defectu operatur.*

Ad intelligentiam majorem hujus teſtimonii notandum eſt, quòd tunc voluntas dicitur non ſubjicere ſe actu ſuæ regulæ, ſivè legi, quando non attendens ad regulam ſeu legem operatur; verùm, quia voluntas non ſemper tenetur conſiderare actu legem, dixit D. THOMAS, *qui tamen defectus* (ſcilicet attentionis) *non eſt culpa.* Dum autem voluntas operatur tunc tenetur attendere ad regulam, & ideò defectus attentionis qui ante operationem erat pura negatio & inculpabilis, ex ipsâ operatione malâ, quam cauſat, fit privatio & culpabilis: Ideò ſubjunxit Angelicus Magiſter, *Sed eum ſequitur culpa ex hoc quòd cum tali defectu operatur.*

Clariùs & fuſiùs totum hoc expreſſit Doctor Communis his elegantibus verbis, quæ habentur poſt verba relata num. 201. „ In omnibus enim quorum unum debet eſſe regula & menſura alterius, bonum in regulato & „ menſurato eſt ex hoc, quòd regulatur & conformatur regulæ & menſuræ, „ malum verò eſt ex hoc quòd eſt non regulari & non menſurari. Si ergo „ ſit aliquis artifex, qui debeat aliquod lignum rectè incidere, ſecundùm „ aliquam regulam, ſi non directè incidit, quod eſt malè incidere, hæc „ mala inciſio cauſabitur ex hoc defectu quòd artifex erat ſine regulâ & „ menſurâ. Et ſimiliter delectatio, & quodcumque aliud in rebus humanis „ eſt menſurandum & regulandum ſecundùm regulam rationis & legis di-

„ vinæ; undè non uti regulâ rationis & legis divinæ Præintelligitur
„ in voluntate ante inordinatam electionem.

„ Hujus autem quod eſt, non uti regulâ prædictâ, non oportet aliam „ cauſam quærere; quia ad hoc ſufficit Ipsa libertas voluntatis, per „ quam poteſt agere, vel non agere. Et hoc ipſum quòd eſt non attendere „ actu ad talem regulam in ſe conſideratum non eſt malum neç culpæ, nec „ pœnæ, quia anima non tenetur, nec poteſt attendere ad hujuſmodi re„ gulam ſemper in actu. Sed ex hoc accipit primò rationem culpæ, quòd ſine „ actuali conſideratione regulæ procedit ad hujuſmodi electionem, ſicut „ artifex non peccat in eo, quòd non ſemper tenet menſuram, ſed ex hoc „ quòd non tenens menſuram procedit ad incidendum. Et ſimiliter culpa „ voluntatis non eſt in hoc quòd non actu attendit ad regulam rationis, vel „ legis divinæ, ſed ex hoc quòd non habens hujuſmodi regulam, vel men„ ſuram procedit ad hujuſmodi electionem. Et indè eſt quòd Augustinus „ lib. de Civit. Dei, dicit, quòd voluntas eſt cauſa peccati, in quantum „ eſt deficiens, ſed illum defectum comparat ſilentio & tenebris.

§. III. *Demonſtratur, motionem Dei phyſicè prædeterminantem non cauſare in actu peccati illam rationem, ad quam ſequitur malitia; ac proinde nullius peccati eſſe cauſam.*

CCIV. Pluſquam ſufficienter in præcedentibus declaratum eſt, & ex Angelico Præceptore evidenter probatum, quòd habitudo actûs peccati ad voluntatem deficientem, id eſt, ad voluntatem non attendentem actu ad regulas morum, ſit illa ratio, ex quâ ſequitur & reſultat malitia in actu peccati. Si modò oſtenderim, quòd iſta habitudo actus peccati ad voluntatem non attendentem non cauſetur à motione Dei phyſicè prædeterminante, evidens erit hanc phyſicam prædeterminationem ita determinare voluntatem ad actum peccati, ut non prædeterminet eam ad malitiam actui peccati inſeparabiliter connexam.

Hoc autem perſpicuè demonſtro animadvertendo priùs, aliud eſſe, quòd voluntas operetur, & aliud quòd voluntas non attendens actu ad regulam operetur. Ad primum ſufficit, quòd operatio componatur cum voluntate præcisè; ad ſecundum requiritur, quòd operatio componatur cum voluntate & ſimul cum defectu actualis attentionis: quando operatio componitur cum voluntate dicit ſolummodò habitudinem ad voluntatem; quando verò operatio componitur cum voluntate & defectu actualis attentionis dicit habitudinem non ſolùm ad voluntatem, ſed etiam ad voluntatem deficientem, ſivè non attendentem actu ad regulam. Quarè ut motio Dei phyſicè

phyſicè prędeterminans cauſet habitudinem actus peccati ad voluntatem deficientem, ex quâ habitudine ſequitur malitia, non eſt ſatis quòd ſit cauſa, cur actio componatur cum voluntate, ſed indiſpenſabiliter requiritur, quòd ſit cauſa, cur actio componatur cum voluntate, & ſimul cum defectu actualis conſiderationis.

CCV. His prænotatis oſtendo clariſſimè, motionem Dei prædeterminantem non eſſe cauſam, quòd actus peccati componatur cum voluntate deficiente, ſed ſolùm quòd componatur actus cum voluntate præcisè, ſivè quod idem eſt, non eſſe cauſam ut actus egrediatur à voluntate deficiente, ſed ſolùm eſſe cauſam ut egrediatur à voluntate præcisè: poteſtque ratio formari ſub hâc formâ: Motio Dei prædeterminans eſt cauſa quòd actus egrediatur à principio ſibi ſubdito: ſed voluntas, ut voluntas, eſt principium ſubditum Motioni Dei prædeterminanti; non verò voluntas, ut deficiens: ergo Motio Dei prædeterminans eſt cauſa quòd actus peccati egrediatur à voluntate præcisè ut eſt voluntas, non verò à voluntate, ut eſt voluntas deficiens. Major patet; eo quòd de ratione Motionis Dei prædeterminantis eſt ſubdere ſibi principium. Minor non minùs eſt evidens, quia voluntas præcisè conſiderata nihil habet repugnans divinæ motioni; voluntas autem non attendens actu ad regulam non eſt in debitâ diſpoſitione ad recipiendum motionem Dei prædeterminantem. Oportet igitur divinam motionem ita phyſicè prędeterminare voluntatem ad actum peccati, ut conferat actui habitudinem ad voluntatem præcisè, non conferendo illi habitudinem ad voluntatem deficientem: ac proindè non eſſe cauſam malitiæ actui inſeparabiliter connexæ; ſiquidem hæc, ut ſæpè dictum eſt, nequit cauſari niſi cauſatâ habitudine actus ad voluntatem deficientem.

CCVI. Quæ ratio deſumitur ex Sole Angelico de malo q. 3. a. 2. ſub „ his verbis: Cum enim aliquid eſt in debitâ diſpoſitione ad recipiendum „ motionem primi moventis conſequitur actio perfecta ſecundùm intentio- „ nem primi moventis, ſed ſi non ſit in debitâ diſpoſitione & aptitudine ad reci- „ piendum motionem primi moventis, ſequitur actio imperfecta, & tunc „ id quod eſt ibi actionis reducitur ad primum movens, ſicut in cauſam: „ quod autem eſt ibi de defectu non reducitur in primum movens, ſicut in „ cauſam: quia talis defectus ſequitur in actione ex hoc quòd agens „ ſecundum deficit ab ordine primi moventis, ut dictum eſt. Sicut quidquid „ eſt de motu in claudicatione, totum eſt à virtute motivâ animalis, ſed „ quidquid eſt ibi de defectu non eſt à virtute motivâ, ſed à tibiâ ſecun- „ dùm quod deficit aptitudine mobilitatis (*ſic legit Capreolus*) à virtute „ motivâ.

„ Sic ergo dicendum eſt, quòd cùm Deus ſit primum principium mo-

Digitized by Google

„ tionis omnium, quæ quidem ſic moventur ab ipſo, quòd etiam ipſa
„ ſeipsa movent, ſicut quæ habent liberum arbitrium, quę ſi fuerint In
„ debitâ dispositione et ordine debito ad recipiendum motionem
„ quâ moventur à Deo, ſequuntur bonæ actiones, quæ totaliter redu-
„ cuntur in Deum ſicut in cauſam. Si autem Deficiant a debito or-
„ dine ſequitur actio inordinata, quæ eſt actio peccati, & ſic id quod
„ eſt ibi de actione reducitur in Deum ſicut in cauſam. Quod autem eſt
„ ibi de inordinatione, vel deformitate non habet Deum cauſam ſed ſo-
„ lum liberum arbitrium. Et propter hoc dicitur, quod Actio peccati
„ est a Deo, sed peccatum non est a Deo.

Hæc Angelici Solis fulgidiſſima Doctrina intento noſtro ſic applicatur. Voluntas attendens actu ad regulas morum eſt in debitâ diſpoſitione & debito ordine ad recipiendum motionem Dei phyſicè prædeterminantem; dum ergo Deus prædeterminat voluntatem attendentem actu ad regulas morum, ſequitur actio perfecta quæ totaliter reducitur in Deum ſicut in cauſam; ad eum modum, quo ad motionem tibiæ rectæ, quæ eſt in debitâ diſpoſitione ut recipiat motionem animæ, ſequitur motus rectus, qui totaliter reducitur in animam ſicut in cauſam. Voluntas autem non attendens actu ad regulas morum non eſt in debitâ diſpoſitione & debito ordine ad recipiendum motionem Dei phyſicè prædeterminantem; ideò ſi à Deo prædeterminetur ad agendum, ſequetur actio inordinata, quæ eſt actio peccati, & ſic id quod eſt ibi de actualitate, perfectione, & bonitate reducitur in Deum phyſicè prædeterminantem ſicut in cauſam; quod autem eſt ibi de inordinatione, defectu, & deformitate, non habet Deum phyſicè prædeterminantem ſicut cauſam, ſed ſolùm liberum arbitrium. Et propter hoc concluditur, quòd actio peccati est a Deo physice prædeterminante, sed peccatum non est a Deo physice prædeterminante.

CCVII. Nec iſta Angelici Solis doctrina conſtringitur ad peccatum moris, verùm etiam tenet in peccato naturæ. Nam Deus movendo immediatè tibiam curvam non eſt cauſa claudicationis; ſicut nec applicando ſemen deficiens eſt cauſa monſtruoſi partus. Cujus ratio eſt, quòd Motio Dei prædeterminans præſupponit quidquid ſe tenet ex parte principii, & à virtute ipſius principii, ejusque diſpoſitione modificatur, ut dictum eſt nu. 52. Si igitur fuerit applicatio principii debitè diſpoſiti prædeterminabit ad actionem perfectam quæ totaliter in Deum prædeterminantem reducetur ſicut in cauſam. Si verò fuerit applicatio principii indebitè diſpoſiti, prædeterminabit ad actionem, cui ex indebitâ diſpoſitione principii conjungetur infallibiliter defectus. Similiter applicatio voluntatis, actu attendentis ad regulam, prædeterminat voluntatem ad actionem moraliter bo-

nam, quæ ſecundùm omnem ſuam rationem oritur à motione Dei præviâ applicante: applicatio verò voluntatis, non attendentis actu ad regulam, prædeterminat voluntatem ad actionem, cui ex defectu libero actualis attentionis conjungitur malitia moralis, quæ, non in motionem Dei præviè applicantem reducitur, ſed in ſolum liberum arbitrium.

Eſt autem differentia aliqua, & non parùm obſervanda, inter peccatum moris & peccatum naturæ; quæ in hoc conſiſtit: quòd defectus principii voluntarii non reducitur in Deum ſicut in cauſam, defectus verò principii naturalis in Deum reducitur, ut ſuprà inſinuatum eſt. Deus enim cauſat curvitatem tibiæ, ſicut & defectum ſeminis, aliosque defectus naturales: non verò cauſat defectum voluntatis, qui eſt non attentio actualis ad regulam. Undè licet claudicatio non procedat à Deo, ut phyſicè prædeterminante, eſt tamen à Deo, ut cauſante curvitatem tibiæ: Secus eſt de malitiâ morali, quæ nec eſt à Deo, ut phyſicè prædeterminante, nec à Deo, ut cauſante curvitatem ſivè defectum voluntatis; cùm non ſit cauſa quòd voluntas non attendat actu ad regulam, quia ut nu. 203. ex D. Thom. dictum eſt, ad hoc ſufficit Ipsa libertas voluntatis per quam poteſt agere, vel non agere.

* Dices, Deus non applicat voluntatem ad conſiderationem regulæ: ergo eſt cauſa quòd voluntas non attendat actu ad regulam. Respondetur, diſtinguendo ant. Deus non applicat voluntatem ad conſiderationem regulę propter impedimentum liberum, conceditur: Non propter impedimentum liberum, negatur. Ideo voluntas dum tempus eſt operandi non applicatur ad conſiderandum regulam, quia ſe applicat ad aliquid aliud conſiderandum. Nota iſta diſtingui, *non attendere regulam*, & *non attendere regulam dum oportet operari*: Deus non applicando voluntatem eſt quidem cauſa quòd *non attendat*, ſed non eſt cauſa quòd *non attendat dum oportet operari*: cùm ergo hoc ſecundum, & non primum faciat voluntatem deficientem; Deus qui non eſt cauſa ſecundi ſed ſolùm primi, non poteſt eſſe cauſa voluntatis deficientis. *

CCVIIJ. Denique ex artificialibus demonſtrari quoque poteſt, motionem Dei phyſicè prædeterminantem nullius peccati poſſe eſſe cauſam, ſivè quod idem eſt, non poſſe cauſare illam rationem, ad quam ſequitur malitia, ſivè moralis, ſivè naturalis. Pictor applicans penicillum ſecundùm regulas ſuæ artis, accidit prædictæ applicationi quòd penicillus ſit rectus, vel defectuoſus, ipſe enim Pictor utrumque penicillum, tam rectum, quàm defectuoſum, applicat ſecundùm regulas ſuæ artis; & ideò quidquid eſt rectitudinis in motu utriuſque penicilli eſt à Pictore, defectus verò qui eſt in motu penicilli defectuoſi ex defectu penicilli, non ex applicatione Pi-

Digitized by Google

ctoris procedit. Voluntas attendens actu ad regulam eſt quaſi penicillus rectus, & voluntas non attendens actu ad regulam eſt quaſi penicillus defectuoſus: utramque voluntatem Deus ut ſupremus artifex applicat ſecundùm regulas ſuæ artis & divinæ ſapientiæ; & ideò quidquid eſt rectitudinis in motu utriuſque voluntatis in artem divinam, ejuſque phyſicam prædeterminationem reducitur, ſicut in cauſam; malitia verò, quæ conjungitur motui voluntatis non attendentis actu ad regulam, in ſolam voluntatem ſicut in primam, & proximam cauſam reducitur.

CCIX. Quorum omnium ratio nuper aſſignata eſt, quòd ſcilicet, tam penicillus defectuoſus, quàm voluntas non attendens actu ad regulam, ſecundùm aliquid ſubjiciantur motioni applicanti, & ſecundùm aliquid ei non ſubjiciantur: unde actus egrediens à voluntate, ut ſubditâ divinæ motioni, non niſi actualitatem & perfectionem importat; actus verò egrediens à voluntate partim ſubditâ, partim non ſubditâ divinæ motioni, debet dicere entitatem & perfectionem aliquam cum malitiâ conjunctam; ita tamen ut perfectio tribuatur voluntati, ut ſubditæ: malitia verò voluntati, ut non ſubditæ adſcribatur. Impoſſibile enim eſt, quod malitia actus voluntatis tribuatur moventi voluntatem, ſi malitia non producatur à voluntate ſub illâ ratione, ſecundùm quam movetur: ſicut effectus cauſæ non tribuitur cauſanti cauſam, ſi non procedat à cauſa, ſecundùm quod eſt cauſata. Ita D. Thom. de malo q. 3. art. 1. ad 4. his verbis: *Effectus cauſati in quantum eſt cauſatum reducitur in cauſam. Si autem aliquid procedat à cauſato non ſecundùm quod eſt cauſatum, hoc non oportet reduci in cauſam. Sicut motus tibiæ cauſatur à virturte motivâ animalis, quæ tibiam movet, ſed obliquitas ambulationis non provenit à tibiâ ſecundùm quod eſt mota à virtute motivâ, ſed ſecundùm quod deficit à ſuſcipiendo influxum motivæ virtutis per ſuum defectum, & ideò claudicatio non cauſatur à virtute motivâ. Sic igitur peccatum cauſatur à libero arbitrio ſecundùm quod deficit à Deo, undè non oportet quòd Deus ſit cauſa peccati, ſicut eſt cauſa liberi arbitrii.*

§. IV. *Rejiciuntur Cavillationes P. Annati.*

CCX. VEritate deſtituti Moliniſtę recurrunt ad Fallacias, & cavillationes. *Fallacia accidentis* ait D. Thom. opuſculo 39. cap. 9. *Eſt deceptio proveniens ex eo quòd aliquid ſignificatur ſimile utrique eorum quæ ſunt aliqualiter per accidens unum.* Cauſa verò apparentiæ in hâc fallaciâ eſt unitas quędam & identitas eorum, quæ per accidens quodammodò conjunguntur: cauſa verò non exiſtentiæ eſt diverſitas eorumdem. Nam ſicut dicit Philoſophus in 1. Elenchorum, Fallacia accidentis fit ex eo quòd aliquis non poteſt judicare idem & diverſum, unum & multa.

Digitized by Google

Moliniſtæ non valentes, potiùs non volentes, diſcernere *actum peccati*, & *actum malum* continuò arguunt fallaciâ accidentis, dum ſemper obtrudunt: *Hic actus prædeterminatur*, *& eſt actus malus*: *ergo prædeterminatur actus malus*: qui ſyllogiſmus eſt prorsùs ſimilis ei, quem in exemplum fallaciæ accidentis adducit D. THOMAS loco citato: *Iſte canis eſt tuus*, *& eſt pater*: *igitur eſt tuus pater. Canis enim & pater* (ſubjungit Angel. Sol) *ſunt unum per accidens*; *unde non ſequitur*, *quòd quidquid eſt verum de uno*, *ſit verum de alio*, *ſecundùm enim quod canis eſt pater*, *non convenit ei eſſe tuum.* Ita ergo & Moliniſtis dicendum eſt, *hic actus*, & *actus malus* ſunt unum per accidens: undè non ſequitur, quòd quidquid eſt verum de uno, ſit verum de alio, ſecundùm enim quod *hic actus* prædeterminatur, non convenit ei eſſe *actum malum.* Nota, quòd *per ſe dicitur ineſſe aliquid alicui*; *quod ineſt ei ſecundùm rationem propriæ definitionis*: *præter hoc autem quidquid ineſt alicui dicitur ineſſe per accidens*, inquit D. THOM. ſuprà.

Eâdem fallaciâ peccatur, dum ab *actu malo* è converſo arguitur ad *actum peccati*, dicendo, *actus malus non prædeterminatur*, *actus peccati eſt actus malus*: *ergo actus peccati non prædeterminatur*. Non enim ſub eâdem ratione eſt *actus peccati*, & eſt *actus malus*: poterit ergo ſub illâ ratione quâ eſt *actus malus* non prædeterminari, & ſub illâ ratione quâ eſt *actus peccati* prædeterminari.

CCXI. Hac fallaciâ uti videtur P. Annatus. Cùm enim diſp. 1. de ſcientiâ Mediâ c. 5. in fine paragraphi ſecundi nu. 83. dixiſſet: *Septimò tandem attendendus eſt ſanctorum Patrum conſenſus unanimis dum negant à Deo prædefinitos eſſe malos actus*, *uti anteà monſtravimus*: adducit paragrapho ſequenti Angelici Doctoris ſolutionem, & noſtram: *Sed reſpondent à Patribus tantùm rejici prædefinitionem malitiæ*, *non autem actus qui malitiæ ſubſternitur*: *vel rejici prædefinitionem actus ut mali*, *non autem ſecundùm ſuum eſſe abſolutum & phyſicum.*

Primò hanc ſolutionem deridet dicens: *Nimirùm niſi Sancti Patres ad ſcholam redeant*, *& ad nuperas Academicorum tricas accommodent ſeſe*, *ingeminentque τὸ materialiter & formaliter*, *ſpecificativè ac reduplicativè*, *nulla ſupererit ratio quâ ſuam ipſi mentem nobis aperiant.* Secundò recapitulando omnia teſtimonia SS. Patrum quæ cap. 2. à nu. 31. retulerat, perſpicuum eſſe putat prædictos Patres negare prædefinitiones eorum actuum, *qui & ſunt & ſciuntur eſſe tum liberi tum mali*, *pro illis circumſtantiis à quibus implicat abeſſe malitiam.* Sic *actum peccati* ſub illâ ratione, ad quam nulla ſequitur malitia, circumloquitur P. Annatus, cui antequam ſatisfiat, placet retorquere argumentum. Vel Deus concurrit ad actum, *qui eſt*, *& ſcitur eſſe tum liber*, *tum malus*, *pro illis circumſtantiis à quibus implicat abeſſe malitiam*, vel Deus non concurrit ad hujuſmodi actum? ſi hoc poſtremum quis dixerit, propinquiſſimus erit duplici errori ſecundùm D. THOM. nu. 197. relatum. Si autem admittatur,

Deum concurrere ad prædictum actum non concurrendo ad malitiam, cur igitur negatur Deum prædefinire actum, non prædefiniendo malitiam? Probavit P. Annatus cap. 3. §. 3. ex S. Augustino, Deum prædefinire ea quæ facturus eſt: ergo & *actum peccati*, quem ſuo concurſu facturus eſt non faciendo malitiam, Deus quoque prædefinivit non prædefiniendo malitiam. Ecce quà ratione, non noſtra, ſed & Moliniſtarum deridetur ſolutio. Nam iiſdem debent Moliniſtæ implicari diſtinctionibus *materialiter & formaliter*, *ſpecificativè & reduplicativè*, ſi à duplici errore ſe voluerint expedire.

Nunc ad omnes Moliniſtarum fallacias, quas refert P. Annatus num. 85. Reſpondetur, unicà illà diſtinctione quà uſus eſt Sol Angelicus; *Et propter hoc dicitur quòd* Actio peccati est a Deo, sed peccatum non est a Deo. Cujus diſtinctionis rationem tradit in 2. diſt. 37. q. 2. a. 2. in fine Corporis his verbis: *Quodcumque nomen deformitatem ſimul cum actu ſignificat ſivè in generali, ſive in ſpeciali non poteſt dici quòd ſit à Deo ſimpliciter. Unde non poteſt dici abſolutè, quòd peccatum ſit à Deo, ut homicidium, aut aliquid hujuſmodi, niſi cum hâc additione, in quantum actus eſt, & in quantum eſt ens.*

CCXIJ. Hinc habetur primo, quo ſenſu Magiſter ſententiarum affirmaverit, Deum præſciviſſe mala *ſolâ notitiâ*, non autem *beneplacito*; quia ſcilicet mala non prædefinivit; quodcumque enim nomen deformitatem ſimul cum actu ſignificat, non poteſt dici quòd ſit à Deo prędefinitum ſimpliciter.

Habetur Secundò, Rectè dixiſſe Anſelmum, quòd caſus diaboli nulla alia ſit ratio, quàm quia voluit, nec hujus voluntatis ullam aliam habuit cauſam quâ impelleretur, aut attraheretur. Caſus diaboli eſt peccatum diaboli; & cùm ſola voluntas diaboli fuerit cauſa peccati rectè negavit Anſelmus aliam habuiſſe cauſam quâ impelleretur, aut attraheretur; ac proindè rectè aſſeruit, peccatum diaboli non fuiſſe à Deo ſpontè dante, ſed ut raperet, permittente. Non enim peccatum à Deo prædefinitur, ſed *actus peccati* ſub illà ratione, *ad quam nulla ſequitur malitia.*

Habetur Tertio, S. Thomam ex Damaſceno deſumpſiſſe ſuum hoc principium, quo omnes fallaciæ eluduntur: nempè *Quodcumque nomen deformitatem ſimul cum actu ſignificat ſivè in generali, ſivè in ſpeciali non poteſt dici quòd ſit à Deo ſimpliciter.* Annatus refert, Damaſcenum dicere: *Propensâ voluntate fieri quæ citra controverſiam bona ſunt; permiſſivè autem quæ nonnullam abſurditatis ſpeciem præ ſe ferunt.* Actus peccati ſub illâ ratione, *ad quam nulla ſequitur malitia* citra controverſiam bonus eſt: ſub illâ verò ratione, *ad quam ſequitur malitia* nonnullam abſurditatis ſpeciem præ ſe fert: *& propter hoc dicitur quòd* actio peccati sit a Deo; sed peccatum non est a Deo.

Digitized by Google

Habetur Quartò, S. Leonem ſcientificè diſtinxiſſe in Chriſti Paſſione, *id quod eſt de Judæorum malignitate præcognitum*; *& quod eſt diſpoſitum à Deo*: & diverſa poſuiſſe principia *voluntatis interficiendi*, quæ Judæorum fuit: & *voluntatis moriendi*, quæ fuit Chriſti. Si ad noſtram diſtinctionem attendiſſet R. Annatus, non interrogando aſſereret, voluntatem occidendi eſſe materiale peccati; verba ejus ſunt: *Voluntas interficiendi Chriſtum, quam habuerunt Judæi, quid aliud fuit quàm materiale peccati?* Quis neſcit, quòd voluntas occidendi ſit peccatum? ſi ſic peccatum cum materiali peccati confunditur, quid mirum, ſi ex negatione prædefinitionis *peccati*; aſſertâ à SS. Patribus, ſemper malitiosè inferatur negatio prædefinitionis *materialis* peccati.

Habetur Quintò, Thomiſtis imponi, dum ex Valentino Concilio profertur, quòd Deus præſciverit omninò *bonos per ſuam gratiam bonos futuros: malos verò præſciverit per propriam malitiam malos futuros*. Et num. 42. arguitur, „ Quare autem præſcivit Deus bonos per ſuam gratiam bonos futuros, „ niſi quia neceſſe fuit ut præſcientiam illam præcederet gratiæ prædeter- „ minatio? atqui fuit etiam ex adverſariorum hypotheſi neceſſarium, ut „ hominum malitiam præcederet prædefinitio actûs mali; quarè igitur „ per illam non diceretur præſcita hominum malitia? Quis unquam dixit Thomiſtarum, eſſe neceſſarium ut *hominum malitiam præcedat prædefinitio actûs mali?* Jam ſæpè dictum eſt, quòd *actus malus*, ſicut & peccatum à Deo non prædefinitur, ſed *actus malus* ſub illâ ratione, quâ non eſt malus à Deo prædefinitur; ſub illâ verò ratione quâ malus eſt à Deo ſolummodò præſcitur; quem enim actum prædefinivit Deus ſub illâ ratione quâ bonus eſt, eumdem præſcivit ſub aliâ ratione per propriam voluntatis malitiam futurum malum.

Habetur ſextò, falſam eſſe illam aſſertionem quâ dicitur: „ Quod Deo „ diſplicet eſt materiale peccati, & hoc ipſum eſt quod Arauſicanum negat „ eſſe ex voluntate Dei, dum definit homines in eo faciendo *non facere voluntatem Dei, ſed ſuam*. Si Deo diſplicet materiale peccati, quomodò concurret Deus ad materiale peccati? quod tamen eſt Moliniſtis aſſerendum, niſi in duplicem erroris foveam cadere voluerint juxta Angelicum Præceptorem. Ipſum igitur peccatum eſt id quod diſplicet Deo, ipſum peccatum eſt in quo faciendo definit Arauſicanum homines *non facere voluntatem Dei, ſed ſuam*; Nam actio peccati est a Deo, sed peccatum non est a Deo, inquit Sol Angelicus.

Habetur ſeptimò, veriſſimè docuiſſe Fulgentium, *voluntatem malam non eſſe à Deo prædefinitam*, & *infidelitatem non credentium, non ad conſtitutionem Dei, ſed ad præſcientiam pertinere*. An indè concluditur, nullam eſſe admittendam *mali actûs*, etiam materialiter & ſpecificativè ſumpti prædefinitio-

Digitized by Google

nem? ſi hoc rectè concluditur, potero & ego de Aſino Franciſci rectè concludere: *Iſte Aſinus eſt Franciſci, & eſt Pater: ergo eſt Pater Franciſci.*

Habetur Octavò, Quæ ſit interpretatio eorum, quæ dicit Proſper ad 13. objectionem Vincentianam de hominum caſu: *Nihil ibi Pater, nihil Filius, nihil agit Spiritus Sanctus: nec tali negotio quidquam divinæ voluntatis intervenit: cujus opere ſcimus multos ne laberentur retentos, nullos autem ut laberentur impulſos.* Germana horum verborum ac ſincera interpretatio eſt, quòd in peccato, ſivè in *actu peccati* ſub illâ ratione, *ad quam ſequitur malitia*, nihil ibi Pater, nihil Filius, nihil agit Spiritus Sanctus: nec tali negotio quidquam divinæ voluntatis intervenit; cujus opere ſcimus multos ne in peccatum laberentur retentos; nullos autem ut laberentur impulſos. Alioqui ſi in *actu peccati* ſub illâ ratione, *ad quam nulla ſequitur malitia*, nihil ibi Pater, nihil Filius, nihil agat Spiritus Sanctus, quâ ratione dixit D. Thomas, *propinquiſſimum eſſe* duplici errori *aſſerere, actus peccatorum nullo modo, nec etiam in quantum actus ſunt, à Deo eſſe.*

CCXIIJ. Fruſtrà igitur, P. Annatus cum admiratione quærit; *Quid, impellere Angelum in actum qui malitiam trahit neceſſariò, non eſt impellere in lapſum?* diſtinguatur *impellere* in actum qui malitiam trahit ex impulſu, & *impellere* in actum qui trahit malitiam non ex impulſu, ſed ex libertate voluntatis deficientis: & videbitur, quòd *impellere* primo modo ſit *impellere* in lapſum; ſecùs verò *impellere* ſecundo modo; quomodò enim dicetur *impellere* in lapſum, qui impellit in actum ſub illâ ſolummodò ratione, *ad quam nulla ſequitur malitia?* & quomodò poterit Deus prædefinire lapſum, ſivè peccatum, ſi tantùm prædefiniat actum ſub illâ ratione, *ad quam nulla ſequitur malitia?* Jam dudum definivit Sol Angelicus, quòd Actio peccati sit a Deo, sed peccatum non est a Deo? & conſequenter, quòd *Actio peccati prædefinitur, & prædeterminatur à Deo, ſed peccatum non prædefinitur, nec prædeterminatur à Deo.*

§. V. *Continuantur Cavilli Moliniſtarum.*

CCXIV. Tandem in Augustino ſiſtit P. Annatus, nervoſque omnes num. 86. tendit, ut probet Sanctiſſimum illum Eccleſię Solem & Præſulem negare antecedentem & decretoriam Dei voluntatem circa ipſum actum, cui malitia neceſſariò connexa eſt. Si addidiſſet, *cui malitia neceſſariò connexa eſt ex libertate voluntatis deficientis* ſtatim vidiſſet ſe operam perdere in multiplicibus ſuis quæſtionibus. Intellexiſſet enim primò rectè Augustinum dixiſſe, *voluntatem malam non eſſe à Deo prædefinitam*; ſiquidem voluntas prædefinita ſub illâ ratione, *ad quam non ſequitur malitia*, non eſt voluntas mala. Sed voluntas ſub illâ ratione, *ad quam ſequitur malitia*, eſt voluntas mala, & ideò voluntas illa non eſt à Deo prædefinita;

de iſtâ

Digitized by Google

de iſtâ autem loquitur S. Augustinus, dum ait: *Nuſquam legimus non eſt voluntas niſi à Deo: & ideò non ſcriptum eſt, quia verum non eſt: Et omnium poteſtatum dator eſt* (Deus) *non omnium voluntatum.* Nam liberum arbitrium, quo poteſtatem habemus ad bonam, & malam voluntatem, datur à Deo, non verò ipſa mala voluntas; & ſic omnis poteſtatis efficientis etiam voluntatem malam dator eſt Deus, ſed non omnis voluntatis.

Intellexiſſet ſecundò, quis ſit ſenſus illorum verborum, *Ideò non dubitari peccare hominem cum peccat, quia Deus non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, ſed ipſum peccaturum præſcivit?* Cùm enim cauſa peccati ſit ipſa voluntas, quæ non fato, non fortunâ, non aliquo alio cogente & neceſſitante, ſed ſolâ ſuâ libertate elicit *actum peccati* ſub illâ ratione, *ad quam ſequitur malitia*; certò ſcitur, quòd dum homo peccat, non fatum, non fortuna, non aliquid aliud peccat, ſed ipſe homo eſt qui peccat. Et Deus præſciens peccatum non præſcivit fatum, fortunam, aut aliquid aliud peccaturum, ſed hominem *ipſum peccaturum præſcivit.*

Intellexiſſet tertiò, quâ fide dicatur voluntas hominis, aut Angeli *ad malum prior?* Si ipſa voluntas ad malum à nullo alio priori agente prædeterminetur, ipſa eſt ad malum prior: cùm ergo prædefinitio ad actum peccati ſub illâ ratione *ad quam nulla ſequitur malitia*, non prædeterminet voluntatem ad malum, non oberit quo minùs voluntas adhuc dicatur ad malum prior: nec etiam oberit, quominùs voluntas mala oriatur à ſolâ voluntate, non à Deo prædeterminante.

Intellexiſſet quartò, voluntatem malam, ſivè peccatum, verè dici ab Augustino *alienum factum.* Cùm Deus ſuâ prædeterminatione non faciat quòd voluntas ſit mala, aut peccet; quia ad hoc requireretur, ut prædeterminaret voluntatem ad eliciendum actum ſub illâ ratione, *ad quam ſequitur malitia,* quocumque enim bono fine id faceret Deus, ſemper eſſet cauſa peccati; verum prædeterminando ſolummodò ad actum ſub illâ ratione, *ad quam nulla ſequitur malitia*, non facit quòd voluntas peccet, ſivè non facit quòd voluntas eliciat actum malum, & ideò actus malus, ſivè peccatum, meritò vocatur ab Augustino *alienum factum.*

CCXV. Ad quod ſi attendiſſet P. Annatus, non judicaſſet, manifeſtam eſſe hanc ſuam argumentationem: *Hominem facere malitiam non eſt aliud quàm facere actum, quem ſcit habere malitiam annexam: Atqui Deus ſuâ prædefinitione facit ut homo faciat actum quem ſcit habere malitiam annexam: Ergo Deus ſuâ prædefinitione facit ut homo faciat malitiam, quomodò illa fieri poteſt.* Si, inquam P. Annatus attendiſſet, quòd *hominem facere malitiam ſit hominem facere actum ſub illâ ratione, ad quam ſequitur malitia*; Statim ſubſumpſiſſet: *Atqui Deus ſuâ prædefinitione non facit ut homo faciat actum ſub illâ ratione ad quam ſequitur malitia:* Ac deniquè concluſiſſet: *Ergo Deus ſuâ prædefinitione non facit ut homo*

Digitized by Google

faciat malitiam. Hæc noſtra argumentatio manifeſta eſt ; nam Major non poteſt negari : Minor debet à P. Annato admitti : eo quòd admittat Deum non prædiffinire quod non facit: ſed ſecundùm D. Thomam Deus non facit ut homo faciat actionem peccati ſub illâ ratione, *ad quam ſequitur malitia* : ſiquidem Actio peccati est a Deo, sed peccatum non est a Deo. Ergo debet P. Annatus admittere, quòd Deus ſuâ prædefinitione, non facit, ut homo faciat actum ſub illâ ratione, *ad quam ſequitur malitia*. E contrà argumentatio P. Annati innititur Majori falſæ : quia licet facere actum, qui ſcitur eſſe malus, ſit peccare: hoc tamen non eſt ex eo præcisè quòd ſcitur eſſe malus; ſed quia ſciens homo actum eſſe malum, debet illum facere ſub illâ ratione, *ad quàm ſequitur malitia* : ſuppoſitâ enim cognitione malitiæ debet actus egredi à voluntate, non ſolùm ut efficiente, ſed etiam ut deficiente. Falſum igitur eſt, quòd *hominem facere malitiam nihil ſit aliud quam facere actum quem ſcit habere malitiam annexam* : ly *nihil aliud* falſificat illam propoſitionem, quia præter cognitionem reperitur elicientia actûs ſub illâ ratione, *ad quam ſequitur malitia*; quę ratio non attingitur à motione divinâ phyſicè prædeterminante, & conſequenter nec malitia.

CCXVJ. Proſequitur ſuos cavillos P. Annatus: & quis, ait, erit ſenſus „ ejus quod dicitur, *Anima non deſerta eſt ut deſereret*; *ſed ut deſereretur deſer-* „ *vit*? Si enim prævenitur voluntas deſerentium antecedenti decreto efficaci- „ citer operante actum quo Deum deſerunt, in illis circumſtantiis in qui- „ bus implicat non eſſe deſertivum: quid habet voluntas quod dici poſſit „ priùs tali præoccupatione, ut ideò cenſeatur *deſerviſſe ut deſereretur*, prę- „ ſertim ſi recurramus ad Angelorum, aut Adami peccatum?

Inprimis hoc S. Augustini teſtimonium de gratiâ ſanctificante intelligitur, & truncatur à P. Annato, ut dicetur art. ſeq. §. 3. Deindè admittendo juxta dicenda ibid. §. 4. quòd prædictum teſtimonium, non quidem ut ab Augustino prolatum, ſed ſecundùm ſe ſumptum, ſit etiam verum reſpectu denegationis gratiæ prædeterminantis, dicendum eſt quòd Deus applicando ad *actionem peccati*, ſub illâ ratione *ad quam nulla ſequitur malitia*, non deſerit animam, cùm talis actus potiùs conjungat Deum animæ, eo modo quo omnis Dei operatio in creaturâ reddit Deum creaturę præſentem. Nec illâ applicatione Deus facit *actum quo anima Deum deſerat*; Siquidem ſolùm peccatum eſt actus quo anima Deum deſerit : ſi igitur Deus ſuo antecedente decreto, & ſuâ phyſicâ prędeterminatione non faciat ut anima peccet, ſivè, quod idem eſt, non ſit cauſa ut eliciat actum ſub illâ ratione, *ad quam ſequitur malitia*, impoſſibile eſt, quòd Deus antecedente ſuo decreto, aut phyſicâ prædeterminatione operetur *actum quo anima Deum deſerat*, ut vult P. Annatus. Verùm ipſa voluntas ex ſuâ libertate eliciens prædictum actum ſine directione legis, & attentione ad

Digitized by Google

regulam deſerit primò Deum, tum quia operatur non ſe ſubjiciendo divinæ regulæ, tum quia elicit actum malum, qui impedit gratiam prædeterminantem ad actum bonum; propter quod impedimentum Deus non dat gratiam prædeterminantem ad actum bonum. Habet igitur voluntas aliquid, quod dici poteſt priùs denegatione auxilii prædeterminantis ad actum bonum, ut ideò cenſeatur *deſerviſſe ut deſereretur.* Vide locum citatum.

Eodem modo intelligitur, quod adducit ex q. 2. ad Simplicianum lib. 1. *Non irrogari aliquid à Deo quo ſit homo deterior, ſed tantùm quo ſit melior non erogari.* Applicare enim ad actum ſub illâ ratione, ad quam nulla ſequitur malitia, *non eſt irrogari aliquid à Deo quo ſit homo deterior*; ſed denegare gratiam prædeterminantem ad actum bonum, propter malitiam quam voluntas liberè conjungit actui peccati, *eſt aliquid tantùm quo ſit melior non erogari.* Quâ explicatione cernere poterit P. Annatus, quomodò ſtare poteſt prædictum teſtimonium cum oppoſitâ ſibi ſententiâ.

„ CCXVIJ. Deniquè, ait, huc referri debent quæcumque dicuntur à „ Patribus, & ex Sacris Paginis eruuntur, ut perſuadeamus Deum non „ eſſe cauſam, authoremue peccati. Sequitur enim inde non poſſe præde- „ finire antecedenter actum malum. Quomodò enim poteſt quis negari & „ cauſa, & author ejuſce rei, cujus productionem ſuâ definitione præve- „ nit efficaciter; ita ut etiam omnem aliam ejus cauſam excitet? Optimè docet P. Annat. ex Patribus, & ex Sacris Paginis ſequi, Deum non poſſe prędefinire antecedenter actum malum. Siſtat igitur in hoc principio P. Annatus, & manus ei damus: ſi verò ulteriùs voluerit progredi, & indè concludere, *ergo nec actum peccati ſub illâ ratione ad quam nulla ſequitur malitia, potuit Deus prædefinire*, hæc conſequentia numquam erit melior iſtâ, *Iſte Aſinus eſt Franciſci, & eſt Pater, ergo eſt Pater Franciſci.* Similiter enim ſe habet: *Actus malus non eſt à Deo, & eſt actus peccati*; *ergo actus peccati non eſt à Deo.*

CCXVIIJ. Poſtremò volens P. Annatus nu. 87. impugnare ſolutionem communem de actu ut malus eſt, & de actu qui malus eſt, inquirit multipliciter quid ſit prædefinire actum malum, ut malus eſt? ſupponens nos dicere, quòd actus malus prædefiniatur, & ſolùm negare, quòd formaliter ut malus non prædefiniatur. Cui adhuc ingeminamus, quòd Actio peccati sit a Deo, sed peccatum non est a Deo, quòd actio peccati prædefiniatur à Deo, ſed nec peccatum, nec actus malus à Deo prædefinitur. Nam *actio peccati*, & *materiale peccati*, non nominant actum malum; ſed actum dicunt ſub illâ ratione, *ad quam nulla ſequitur malitia.*

Idcircò omiſſis illis reſponſionibus, quibus ſibi ipſi reſpondet P. Annatus, Dico, quòd prædefinire actum ut malus eſt, ſit prædefinire actum ſub illâ ratione, *ad quam ſequitur malitia*; ſub quâ ratione à Deo non prędefinitur,

Digitized by Google

nec prædeterminatur, ſed ſub aliâ ratione diſparatâ, *ad quam nulla ſequitur malitia.* Nec contra hoc facit, quòd objicitur, actum prohibitum, hoc ipſo quòd liberè fiat à voluntate, eſſe malum; nam actus qui eſt prohibitus ſub duplici ratione egredietur à voluntate; egreditur enim ſub unâ ratione, *ad quam nulla ſequitur malitia*, & rursùm egreditur ſub aliâ ratione, *ad quam ſequitur malitia*; ſivè, quod idem eſt, egreditur ſemel ut dicit habitudinem ad voluntatem præcisè, & iterùm egreditur ut dicit habitudinem ad voluntatem deficientem. Primo modo non eſt malus, nec prohibitus, ſecundo modo eſt malus, & prohibitus; Deus autem ſuâ prædefinitione & prædeterminatione facit, ut actus egrediatur *à voluntate præcisè*, ſivè ut egrediatur ſub illâ ratione, *ad quam nulla ſequitur malitia*; non autem facit ut egrediatur *à voluntate deficiente*, ſivè ut egrediatur ſub illâ ratione, *ad quam ſequitur malitia*; & propter hoc ſemper verificatur, & invictum permanet, quòd Actio peccati sit a Deo, sed peccatum non est a Deo, & ſimiliter quòd actio peccati prædefiniatur, & prædeterminetur à Deo, ſed peccatum, actus malus, & quidquid aliquid deformitatis includit, nec prædefiniuntur, nec à Deo prędeterminantur.

CCXIX. Nec ſecundò obeſt, quòd num. 90. dicitur, prædefinitionem plus conferre ad actum malum, quàm præceptum, conſilium, perſuaſio, hæc enim moraliter tantùm, illa etiam phyſicè cauſat. Hoc, inquam, nihil prorsùs obeſt, cùm juxta ſolutionem, & diſtinctionem noſtram luce meridianâ clarius ſit, prædefinitionem nihil prorsùs poſſe conferre ad actum malum; quandoquidem non reſpiciat, nec attingat actum peccati, niſi ſub illâ ratione, *ad quam nulla ſequitur malitia*: quì fieri poteſt ut nullam attingens rationem, *ex quâ reſultet malitia*, conferat aliquid ad actum malum. Præceptum autem, conſilium, perſuaſio, attingunt moraliter actum ſub illâ ratione, *ad quam ſequitur malitia*, ut mox dicetur.

CCXX. Nec deniquè tertio obeſt, ultimum P. Annati argumentum: „Quia nemo eſt, inquit, qui non putet Deum authorem peccati, ſi daret „conſilium, aut præceptum v. g. pejerandi, vel idolum adorandi, quod„cumque bonum intenderet ex tali actione, quamvis actio illa ſumeretur „materialiter ſecundùm ſuum actum phyſicum; eo ipſo tantùm quòd ſci„ret ſuppoſitâ libertate non poſſe eſſe niſi malam: atqui plus eſt prædefi„nire actionem illam, quàm præcipere, aut ſuadere, ob rationem proximè „adductam; & quia certiùs & efficaciùs ſequitur actio illa ex prædefini„tione, quàm ex conſilio, aut præcepto, & conſequenter certiùs & ef„ficaciùs inde ſequitur malitia.

Ab hàc ultimâ conſequentiâ incipiendo quâ infertur, *ex prædefinitione efficaciùs & certiùs ſequi malitiam, eo quòd ex eâ certiùs & efficaciùs ſequatur actio*, apparet totum argumentum, ſicut & omnia alia Moliniſtarum fundari

Digitized by Google

ſuper hanc propoſitionem: Quòd eſt cauſa actionis, v. g. odii Dei, liberè hìc & nunc exercitæ, eſt cauſa malitiæ. Quæ propoſitio ſi debitè diſtinguatur, deficient omnes in hâc materiâ cavilli.

Debita autem diſtinctio eſt hæc ſuprà dicta: *actio odij Dei* ſub duplici ratione liberè hìc & nunc exercetur, una *ad quam nulla ſequitur malitia*, alia *ad quam ſequitur neceſſariò malitia*; Quod igitur cauſat *actionem odij Dei* liberè hìc & nunc exercitam ſub illâ ratione, *ad quam ſequitur malitia*, eſt cauſa malitiæ, conceditur. Liberè hìc, & nunc, exercitam ſub aliâ ratione, *ad quam non ſequitur malitia*, eſt cauſa malitiæ, negatur. Prædefinitio autem & phyſica prædeterminatio ſolummodò cauſant actionem odij Dei hìc & nunc liberè exercitam ſub illâ ratione, *ad quam nulla ſequitur malitia*. Præceptum verò, & conſilium cauſant *actionem odii Dei* liberè hìc & nunc exercitam ſub illâ etiam ratione, *ad quam ſequitur malitia*.

CCXXJ. Rationem hujus diſtinctionis, & differentiæ quidam reddunt, ex eo quòd prædeterminatio phyſica licet ſit efficacior intenſivè, quàm conſilium, aut præceptum; eſt tamen minùs efficax extenſivè. Verùm hęc ratio non ſufficit, & videtur petere principium. Nam hoc eſt quod quæritur, quarè prædeterminatio phyſica non ſe extendat ad actum peccati producendum ſub illâ ratione, *ad quam ſequitur malitia*, & ſolùm ſiſtat in illâ ratione, *ad quam nulla ſequitur malitia*; conſilium verò, & præceptum ſint cauſa actûs peccati ſub utrâque ratione? Nec poteſt dici quòd prędeterminatio phyſica ſiſtat in lineâ phyſicâ, & non attingat ad lineam moralem; alioqui in actu bono Deus ſolùm phyſicè prædeterminaret ad entitatem, & bonitatem phyſicam actûs, non verò ad bonitatem moralem, quod à Thomiſtis non admittitur. Undè eadem quæſtio ſemper pulſat animum, cur prædeterminatio phyſica ſe extendat ad bonitatem moralem actûs, non verò ad malitiam, conſilium verò, & præceptum ſint cauſa utriuſque;

Salvo igitur meliori judicio, diſparitas hęc petenda eſt ex differentiâ *moventis phyſicè*, & *moventis moraliter*. Nam voluntas *moventis phyſicè* ſolùm ea, quæ ſubduntur ſuæ virtuti & cauſalitati; hoc ſiquidem ſolùm vult, quod agit; & hęc voluntas totaliter commenſuratur principio moventi. Voluntas *moventis moraliter* commenſuratur fini intento, & ideò virtualiter vult quidquid eſt per ſe neceſſarium ad actum intentum, & debet fieri per voluntatem quam movet. Undè Eccleſia pręcipiens aliquem actum externnm præcipit virtualiter, & indirectè actum internum, ſine quo actus externus fieri nequit; & præceptum de Euchariſtiâ dignè ſumendâ obligat virtualiter ad contritionem eum qui eſt in peccato mortali, & non habet copiam Confeſſarii, eo quòd nequit ille, niſi contritus, dignè ſumere Euchariſtiam.

Cùm ergo actus peccati ſub illâ etiam ratione, *ad quam nulla ſequitur malitia*, debeat fieri à voluntate quæ non attendit regulam, & non attendere

Hh iij

regulam ſit quid per ſe neceſſarium ad productionem talis actûs, neceſſe eſt, ut qui præcipit, aut conſulit prædictum actum, virtualiter quoque pręcipiat, aut conſulat, non attentionem ad regulam. Nam ſi attentio, interna ad Deum virtualiter præcipitur, eo ipſo quòd præcipiatur actus, qui ſine attentione internâ fieri nequit; ita defectus attentionis ad regulam virtualiter præcipietur, eo ipſo quòd præcipiatur actus, qui ſine defectu attentionis fieri nequit. Deus ergo pręcipiens actum peccati ſub ratione dictâ, præcipit quoque virtualiter voluntati non attendere regulam, & ſic eſt cauſa moralis *voluntatis deficientis*, & conſequentar malitiæ, juxta commune proloquium: *quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati.* E contrà Deus phyſicè prædeterminans non eſt cauſa *voluntatis deficientis*, ſivè defectus attentionis ad regulam; & cùm ex aliâ parte voluntas *ut deficiens* non ſubdatur Omnipotentię divinæ, nec ejus prædeterminationi; voluntas Dei phyſicè prædeterminantis non ſe extendit ad malitiam quę oritur ex defectu attentioſionis, ſed ſiſtit in illis rationibus quas voluntas peccantis attingit, ut ſubdita divinæ omnipotentię.

Dixi, *voluntatem moventis moraliter virtualiter velle quidquid eſt per ſe neceſſarium ad finem intentum.* Nam ſi non ſit *per ſe neceſſarium* non eſt neceſſe ut ſit cauſa moralis illius. v. g. ad firmandum contractum aliquem, juramentum eſt per ſe neceſſarium, per accidens autem ſe habet quòd fiat per falſos Deos: ideò poſſum inducere illum, quem ſcio juraturum per falſos Deos, ad contractum juramento firmandum, abſque eo quòd ſim cauſa moralis juramenti ut facti per falſos Deos.

CCXXIJ. Colliges in omnibus Moliniſtarum fallaciis enumeratis cauſam apparentiæ eſſe, quòd exiſtimetur, malitiam ſequi eo ipſo quòd actus, qui eſt prohibitus, liberè egrediatur à voluntate, ex hoc enim moventur ad aſſerendum, prædeterminationem phyſicam cauſare malitiam, cùm facit, ut actus, qui eſt prohibitus, egrediatur liberè à voluntate. Cauſa autem non exiſtentię, id eſt, ratio oſtendens falſitatem argumenti ſophiſtici in ſupradictis fallaciis eſt, quòd actus, qui eſt prohibitus, egrediatur liberè à voluntate, ſub duplici ratione inter ſe diſparatâ. Undè non ſequitur, quòd quidquid facit, ut actus liberè egrediatur ſub unâ ratione, faciat etiam, ut actus liberè egrediatur ſub aliâ ratione; ac proindè ſi ad unam rationem *ſequatur malitia*, & ad aliam rationem *non ſequatur malitia*, non eſt neceſſarium, ut quod facit actum liberum hìc & nunc egredi ſub illâ ratione, *ad quam non ſequitur malitia*, faciat eum egredi ſub illâ ratione, *ad quam ſequitur malitia.* Ita Sol Angelicus hujus fallaciæ tenebras fugavit, tum in 2. diſtinct. 37. quęſt. 2. artic 2. ad 2. his verbis: *Illud dicitur ad malum cooperari, quod inclinat ad actionem ſecundùm quod actio deformitati ſubſtat, unde mala eſt. Hoc autem Deo non convenit: & ideò non oportet ut ad malum cooperari dicatur,*

Digitized by Google

quamvis actionis illius cauſa ſit, in quâ malum conſiſtit, ſecundùm quod influit agenti ESSE, POSSE, & AGERE, *& quidquid perfectionis in agente eſt.* Tum etiam ibid. ad 5. cujus verba omninò videnda ſunt, ad rem hanc meliùs capiendam, conſultoque à nobis hìc non apponuntur, quia num. 198. adducta ſunt.

§. Ultim. *P. Annato pulſanti aperitur diſcrimen Calviniſmi.*

CCCXIII. POſtquam omnes P. Annati cavillos redarguimus, æquum eſt ut ejus petitioni obſequamur. Nam diſp. 4. de Scientiâ Mediâ cap. 4. q. 3. num. 121. ſic loquitur: *Sed reſtat aliud caput de authore peccati, de quo etiam petunt propugnatores Scientiæ Mediæ quid minus eâ de re adverſarii quàm Calviniſtæ dixerint.* rurſùs num. 123. *Calvinus verbo negat, re autem ipsâ fatetur, Deum eſſe authorem peccati, quod facere non poteſt niſi concipiendò in Deo quemdam modum ſe habendi circa malas actiones, cui propriè conveniat hoc quòd eſt eſſe authorem peccati. Quærimus ergo quis ſit ille modus, & quid ſuperaddat ad eum etiam modum quem adverſarii maximam partem concipiunt.*

Huic petitioni obſequens aperio adverſario pulſanti diſcrimen. Docet Calvinus nihil eſſe in opere malo quod non faciat Deus, ita ut differentia quam conſtituit inter Deum, & hominem, non ſit penes malitiam quę ab utroque cauſatur, ſed penes modum cauſandi malitiam; homo enim eam cauſat ut obligatus legi, cui ſe non ſubjicit, & ideò peccat: Deus verò ſequens leges ſuæ ſapientiæ eam cauſat, & in diverſos fines juſtè ac ſapienter ordinat, *legitimum habens malitiæ uſum*, ait Calvinus lib. 1. inſtit. cap. 17. num. 5. E diametro Angelici diſcipuli docent aliquid eſſe in opere malo quod non ſit à Deo; & conſequenter non ſolùm in modo cauſandi, ſed in aliquâ ratione productâ hominem peccantem differre à Deo prædeterminante. Homo enim ſub duplici ratione producit *actum peccati*, unâ *ad quam ſequitur malitia*, aliâ *ad quam nulla ſequitur malitia*: Deus verò ſub illâ ſolùm ratione, *ad quam nulla ſequitur malitia producit actum peccati.*

Ecce, P. Annate, *quid minùs Angelici diſcipuli eâ de re quàm Calvinus dixerit*: Ecce modus quem Calvinus concepit ſtatuendo Deum eſſe authorem peccati: Ecce *quid ſuperaddat ad eum etiam modum quem maximam partem concipiunt Angelici diſcipuli.* Ita autem docere Calvinum tripliciter demonſtratur.

CCXXIV. Primò ex Concilio Tridentino oſtenditur Calvinum docuiſſe, nihil eſſe in operibus malis, quod non facit Deus. Nam Concilium in can. 6. ſeſſ. 6. intendit damnare Calvinum, dum definit: *Si quis dixerit mala opera ita ut bona Deum operari non permittendo ſolùm, ſed etiam propriè & per ſe, adeò ut ſit proprium ejus opus non minùs proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, anathe-*

Digitized by Google

ma ſit. Si Calvinus docuiſſet aliquid eſſe in operibus malis, & proditione Judæ, quod non faceret Deus, non potuiſſet aſſerere, mala opera ita ut bona Deum operari, adeò ut ſit proprium ejus opus non minùs proditio Judæ, quàm vocatio Pauli. Cùm ergo per illum canonem Concilii damnatus ſit Calvinus, ſignum eſt eum docuiſſe, nihil eſſe in operibus malis, & proditione Judæ quod non faciat Deus.

Confirmatur. Vel enim Concilium loquitur in iſto canone de concurſu Dei prædeterminante, vel de concurſu Dei abſtrahendo à prævio, & pediſſequo? Primum non admittunt Moliniſtæ, ergo ſecundum; ac per conſequens coguntur fateri Calvinum in eo ſenſu fuiſſe à Concilio damnatum, quòd doceret ad mala opera ſicut ad bona Deum concurrere; & cùm ad actionem peccati concurrat Deus, idque debent fateri etiam Moliniſtæ, ſi ſecundùm D. THOM. non voluerint eſſe propinquiſſimi duplici errori, poſſem vice versâ petere, *quid minùs eâ de re Moliniſtæ quàm Calvinus dixerit, & quòd modus ille Calvini ſuperaddat ad eum etiam modum, quem adverſarii maximam partem concipiunt*, ſi edictis tum Pontificiis, tum Regiis totaliter obſequi non intenderem. Vide num. 182.

CCXXV. Secundò ex ipsâ Calvini doctrinâ oſtenditur eum docuiſſe, nihil eſſe in operibus malis quod non faciat Deus. Nam lib. 2. inſtitut. Toto capite decimo octavo id manifeſtè docet. In initio capitis hæc leguntur: *Ex aliis locis ubi Deus ſatanam ipſum & omnes reprobos ſuo arbitrio flectere vel trahere dicitur, difficilior emergit quæſtio. Quomodò enim per illos agens nullam ex eorum vitio labem contrahat, imò* IN OPERE COMMUNI *ab omni culpâ ſit immunis, miniſtros autem ſuos juſtè damnet, vix capit ſenſus carnis.* Illud opus propter quod miniſtri Dei damnantur eſt opus malum; ſed illud opus dicit Calvinus eſſe commune Deo & ſuis miniſtris; ergo apertè docet opus malum eſſe commune Deo & ſuis miniſtris. Imò Deum eſſe præcipuum authorem operis mali, cùm homo illius operis propter quod juſtè damnatur ſit tantum miniſter.

Deindè ad hanc difficultatem ſuperandam, quam dixit vix capere ſenſum carnis, docet adinventam fuiſſe diſtinctionem inter *agere* & *permittere*: *Hinc reperta*, ait, *diſtinctio inter agere & permittere: quia hic nodus multis inexplicabilis viſus eſt, ſub Dei manu & imperio Satanam & omnes impios ita eſſe, ut eorum malitiam in quemcumque viſum eſt finem dirigat, & ſceleribus utatur ad exequenda ſua judicia.* Manifeſtum eſt, diſtinctionem inter *agere* & *permittere* non niſi in ordine ad malitiam habere locum; hanc tamen diſtinctionem deridet Calvinus, & toto illo capite, laborat, ut oſtendat Deum operari omne illud; quod Catholici docent Deum permittere. Si agnoviſſet Calvinus aliquid eſſe in operibus malis quod non faceret Deus, non poſſet diſtinctionem actionis & permiſſionis improbare.

Undè

Undè inter alia plura de cœcitate pro quâ quis punitur, quæ proinde peccatum eſt, ſic loquitur *Tergiverſando itaque effugiunt, Dei tantùm permiſſu, non etiam voluntate hoc fieri, ipſe verò palam ſe facere pronuntians, effugium illud repudiat.* Rurſus: *Si Dei judicium eſt excæcatio & amentia Achab,* NUDÆ PERMISSIONIS FIGMENTUM *evaneſcit: quia ridiculum eſſet judicem tantùm permittere non etiam decernere quid fieri velit & mandare executionem miniſtris.* Ac tandem ad omnia antecedentia ſe referens concludit: *Et jam ſatis apertè oſtendo Deum vocari eorum* OMNIUM AUTHOREM *quæ iſti cenſores* (Catholici Doctores) *volunt otioſo tantum ejus* PERMISSU *contingere.*

CCXXVI. Probatur tertiò ex duabus objectionibus quas ſibi format: quarum prima ſic ſe habet: *Si nihil eveniat niſi volente Deo, duas in eo contrarias eſſe voluntates, quia occulto conſilio* DECERNAT QUÆ LEGE *ſuâ* PALAM VETUIT. Solvit hanc objectionem admittendo duas illas voluntates, & negando eſſe contrarias, eo quòd una ſit voluntas, quæ unum & idem ſub diverſis rationibus fieri vult, & non vult. Verba illius ſunt: *Neque tamen & ideò vel ſecum pugnat, vel mutatur Dei voluntas, vel quod vult ſe nolle ſimulat: ſed quum una & ſimplex in ipſo ſit, nobis multiplex apparet: quia pro mentis noſtræ imbecillitate* QUOMODO IDEM DIVERSO MODO NOLIT FIERI, ET VELIT, NON CAPIMUS.

Clariſſimè hic docet Calvinus Deum *velle fieri ea quæ lege ſuâ vetat*; Cùm ergo Deus non prohibeat niſi malitiam, & actum malum; neceſſe eſt ſecundùm Calvinum quòd Deus velit fieri malitiam, & actum malum. Nam ſi diſtinxiſſet aliquid in opere malo, quod Deus non faceret, puta entitatem à malitiâ, non tantas paſſus fuiſſet intellectus ejus anguſtias, ut cogeretur fateri, *quomodo idem diverſo modo nolit fieri & velit, non capimus.* Statim enim occurriſſet, vult fieri entitatem, & non vult fieri malitiam. Verùm, quia docebat Deum decernere malitiam, quam ex aliâ parte prohibebat & nolebat fieri, in tantâ caligine fuit, ut falſus ſuam infirmitatem ad lucem inacceſſibilem confugiat: ait enim: *Imò ubi non capimus* QUOMODO FIERI VELIT DEUS QUOD FACERE VETAT, *veniat nobis in memoriam noſtra imbecillitas, & ſimul reputemus, lucem quam inhabitat, non fruſtra vocari inacceſſam, quia caligine obducta eſt:*

Secunda objectio, quam ſibi format Calvinus, eſt hæc: *Si non modò impiorum hominum operâ utitur Deus, ſed etiam conſilia & affectus gubernat, ſcelerum omnium eſſe authorem: ac proinde immeritò damnari homines, ſi exequantur quod decrevit Deus, quia ejus voluntati obtemperant.* Solvit hanc objectionem non per diſtinctionem entitatis à malitiâ, ut putat P. Annatus, ſed ex doctrinâ præcedentis ſolutionis, ait enim: *Hoc etiam modo ſolvitur, imò ſpontè liqueſcit altera objectio.* Doctrina autem præcedentis ſolutionis erat, quòd conciperet duas in Deo voluntates, quarum unâ vult Deus fieri malitiam, ſivè quod

Digitized by Google

idem eſt, fieri quod lex vetat, aliâ non vult fieri malitiam, quia prohibet eam. Juxta hanc doctrinam ſolvit præcedentem objectionem, admittendo Deum ſcelerum omnium eſſe auctorem, & negando id quod indè infertur: *ac proinde immeritò damnari homines ſi exequantur quod decrevit Deus.* Non ſequitur, immerito damnari homines quia licet unam voluntatem Dei exequantur, faciunt tamen contra aliam, quod ſufficit ad juſtam eorum condemnationem. *Perperam enim* ait Calvinus, *miſcetur cum præcepto voluntas quam longiſſimè ab illo differre innumeris exemplis conſtat.* Et paucis interjectis. *Hoc quidem tenendum eſt dum per impios peragit Deus quod occulto ſuo judicio decrevit non eſſe excuſabiles, quaſi obediant ejus præcepto, quod datâ operâ pro ſuâ libidine violant.*

CCXXVIJ. Ex triplici hac probatione, quâ invictè probatum eſt Calvinum docuiſſe, nihil eſſe in operibus malis, quod non faciat Deus, *ſequitur primò* P. Lemos ſine ullo veritatis fundamento à P. Annato derideri, eo quòd in congregatione de auxilijs coram Cardinale Perronio conſtanter aſſerverit, erraſſe Calvinum, quia dixit, Deum ita movere ad malum ſicut ad bonum: quòd neſciret diſtinguere inter actionem & entitatem, ut eſt entitas, & actio, & inter peccatum: non erraturum ſi diceret concurrere Deum ad entitatem, nullo autem modo movere ad peccatum. Ex noſtris probationibus luculentiſſimè patet, hunc fuiſſe errorem Calvini: Probatum eſt enim, eum docuiſſe nihil eſſe in operibus malis quod non faceret Deus, quod non potuiſſet docere, ſi diſtinxiſſet inter entitatem & malitiam.

Sequitur ſecundò, veroſimilliſſimum eſſe, quod iterum deridendo refert P. Annatus ex Joanne à S. Thomâ ſcilicet, *audito P. Lemos qui ſic erat exorſus ad Cardinalem Perronium* Illuſtriſſime Domine ego dicam omnia quæ Calvinus dixit in hac materiâ, *tacuiſſe Perronium, & annuere viſum.* Hoc, inquam, probabiliſſimum eſſe, patet ex noſtris probationibus, quæ totam doctrinam Calvini circa præſens punctum ad hoc reducunt, quod docuerit nihil eſſe in operibus malis quod non faciat Deus, cui prorſus æquivalet quod dixit P. Lemos docuiſſe Calvinum, nempè, quod tam entitas, quam malitia à Deo cauſentur. Hæcque omnia apprimè ſciens Cardinalis Perronius, quid mirum, ſi ad diſtinctionem P. Lemos dicatur tacuiſſe, & annuere viſus.

CCXXVIIJ. Nec contra hanc diſtinctionem P. Lemos, quæ nihil differt à noſtrâ explicatione, quidquam valent quæ ex Calvino adducit P. Annatus. Imprimis adducit ſecundam objectionem Calvini nuper allatam; quam dicit Calvinus ſolvere diſtinguendo entitatem à malitiâ: ex eo quòd de defectione decem Tribuum à filio Salomonis ad Hieroboam, ſic loquitur: *Videmus ergo ut Deus perfidiam nolendo, defectionem tamen alio fine juſtè velit.* Ex dictis manifeſtum eſt, quòd ly *perfidia*, non accipitur pro malitiâ, & *de-*

Digitized by Google

fectio pro entitate, unum enim & idem eſt apud Calvinum *perfidia*, & *defectio* quam non vult Deus quia prohibet, & vult quia juſtè decernit. Doctrina enim Calvini conſtans eſt, quod *decernat Deus fieri ea, quæ palam ſuâ lege vetat.* Unde inferius de eâdem perfidiâ, ac defectione abſque diſtinctione loquens, dicit: *Diligenter utrumque expendant Lectores, quia placuerat Deo ſub manu unius Regis gubernari populum; ubi in duas partes ſcinditur fieri* CONTRA ILLIUS VOLUNTATEM: *& tamen* AB EJUSDEM VOLUNTATE *initium fuiſſe divortii.* Et paucis interjectis: *Ecce ut* NOLENTE DEO *laceretur Sacra Unitas, & tamen ut* EODEM VOLENTE *alienentur à filio Salomonis decem Tribus.* Aliena prorsùs eſt à mente Calvini in illis locis diſtinctio entitatis, & malitiæ, cùm nihil aliud ita intendat, quam probare, quòd unum & idem opus malum Deus nolit fieri, & velit fieri ſecundùm diverſas voluntates quas diſtinguit in Deo.

Nihil etiam obeſt, quod ſecundò affert P. Annatus ex lib. de ætern: Dei præd. *Etenim* QUATENUS MALA SUNT, *quæ malo animo perpetrant homines, Deo minimè placere fateor.* Hoc nihil aliud probat, quàm Deum non velle opus malum, quatenus malum eſt, ſicut nec voluntas peccantis tendit in opus malum, quatenus malum eſt; *Nemo enim intendens malum operatur, ait Dionyſ. 4 de Divin. Nom.* Cum quo ſtat, quòd ſicut voluntas peccantis tendit indirectè in malitiam ſub ratione boni ſecundùm quid; ita voluntas Dei fertur ſecundùm Calvinum in eandem malitiam ſub ratione boni ſimpliciter, nempe juſtæ vindictæ. Hæc eſt ergo Calvini apertiſſima doctrina, quòd una & eadem malitia, ſivè, unum & idem opus malum fit ab homine tanquam miniſtro, & à Deo tanquam præcipuo authore: verum ab homine fit ſub ratione boni ſecundùm quid, v. g. delectabilis, ideò peccat prætermittendo bonum ſimpliciter, ad quod lege Dei tenetur: à Deo autem ſub ratione juſtæ vindictæ, quæ eſt bonum ſimpliciter, & ideò Deus non peccat, *legitimum habens malitiæ uſum.*

Ad hunc ſenſum optimè intelliguntur, quæ poſtremò refert P. Annatus ex lib. 2 inſtit. cap. 4. num. 1. & 2. Nihil enim ibi aliud vult Calvinus, quam Deum velle, & operari ipſum opus malum propter bonum finem, qui eſt executio ſuorum judiciorum; nec ibi diſtinguit entitatem à malitiâ, ſed mordicus ſemper ſuſtinet totum quod facit homo, facere etiam Deum, homo peccando, Deus juſtè agendo, ut differentia ſit non ex parte mali, quod fit ab utroque, ſed ex parte finis agentis, & modi operandi, ſicut explicatum eſt: undè concludit: *Idem ergo facinus Deo, ſatanæ, homini aſſignari videmus non eſſe abſurdum: ſed varietas in fine, & modo, facit, ut illic inculpata Dei juſtitia reluceat, ſatanæ, hominiſque nequitia cum ſuo opprobrio ſe prodat.*

Ex quo tandem diſſolvitur argumentum, quod format P. Annatus contra Salmanticenſes num. 127. quorum diſtinctio coincidit cum P. Lemos,

Digitized by Google

& noſtrâ ſic arguit: *Deum, & hominem tendere in materiale peccati formaliter ſumptum, quod eſt tendere directè in malitiam, eſt tendere eodem modo, ut per ſe patet: atqui ex Calvino Deus & homo non eodem modo tendunt: ergo* &c. Reſpondetur diſtinguendo Majorem: Deum & hominem tendere in malitiam indirectè eſt tendere eodem modo, quantum eſt ex parte effectus, conceditur; quantum eſt ex parte finis, & modi operandi, negatur. Ex Calvino autem habetur, quòd nihil ſit in opere malo, quod non ſit à Deo, & homine, & ideò ex parte effectûs tendunt eodem modo. Attamen ex parte finis, & modi operandi non ſe habent eodem modo, ut explicatum eſt. Nam homo peccat; cauſando malitiam, Deus vero non peccat; ad quod explicandum adducit Calvinus exemplum Solis, cujus radij efficiunt fœtorem, nemo tamen illos fœtere ideò dicit; ita Deus efficit peccati malitiam, nemo tamen illum peccare ideò dicet. Lib. 1. inſtit. cap. 17. nu. 5.

Diſcrimen Angelicæ doctrinæ à Calviniſmo, quantumvis Cordatis manifeſtum, fuſiùs proſequutus ſum, eo quòd viderim Moliniſtas ſibi de victoriâ in hoc articulo applaudere, ubi tamen non poſſunt eſſe victores, niſi ſimul & ipſi vincantur. Credo quòd non ita ſtuduiſſent vindicare Calvinum à nefandâ ſuâ doctrinâ, ſi advertiſſent, ſe in hujuſmodi vindiciis apertè docere, non eſſe de fide quod Calvinus docuerit illam doctrinam, quam in illius ſenſu Concilium Tridentinum per Canonem 6. ſeſſione 6. damnavit. Nam doctrina in illo Canone damnata dicit: *Deum ita ad mala opera, ſicut ad bona concurrere.* Dicunt modò Moliniſtæ, iſtam doctrinam damnatam non eſſe Calvini, qui tamen in iſto Canone ex intentione Concilii reputatur damnatus.

ARTICULUS IV.

Authoritatibus S. Auguſtini, & S. Thomæ abutuntur Moliniſtæ ad defenſionem Scientiæ Mediæ.

CCXXIX. His duobus authoritatum pigmentis non primâ voluntate vſi ſunt Scientiæ Mediæ inventores & defenſores; ſed neceſſitate compulſi ad ea recurrerunt, Poſſibilitas Præceptorum, & libertas arbitrij tam pulchram videbantur reddere Scientiam Mediam; & è contra eſſe cauſam peccati tam horrendas reddere videbatur prædiffinitiones; vt nihil aliud requirerent Molinæ diſcipuli ad ſuadendum hominibus amorem

Scientiæ Mediæ, & horrorem divinarum prædiffinitionum. Vndè parvipenderunt (ſicut & nunc adhuc audent) authoritates S. AVGVSTINI, & D. THOMÆ. Sed poſtquam Clemens VIIJ. adſtringere ſtatuit totam hanc Diſputationem ad normam S. AUGUSTINI de gratiâ, ejuſque fideliſſimi Diſcipuli Angelici Doctoris, vt in ſcripto ejuſdem Clementis refertur: tunc omnes nervos contendernnt Moliniſtæ, vt oſtenderent Scientiam Mediam eſſe vtriuſque Doctoris. Quam verò ſiniſtrâ fide eorum teſtimonijs ad hoc abvſi fuerint oſtendent paragraphi ſequentes.

§. I. *Solvitur difficultas de vocatione congruâ ex queſtione ſecundâ ad Simplicianum.*

SI quis locus S. AVGVSTINI favere Scientiæ Mediæ videtur, maximè eſt ille, qui ex lib. 1. q. 2. ad Simplicianum objicitur: qui tamen non niſi ex ignorantiâ doctrinæ Auguſtinianæ poteſt Scientiæ Mediæ accommodari. In illâ quæſtione ſecundâ ſæpiùs facit AUGUSTINVS mentionem vocationis congruæ, cujus congruitatem dicit dependere ex modo, quo quiſque affectus eſt, vt vocationi conſentiat. Vndè ait: *Vt quamvis multi uno modo vocati ſunt, tamen quia non omnes uno modo affecti ſunt, illi ſoli ſequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei, & illud non minus verum ſit: Igitur non volentis, neque currentis; ſed miſerentis eſt Dei, qui eo modo vocavit, quo aptum erat eis qui ſecut ſunt vocationem.* Oportet ergo ut præcognoſcat Deus cuiuſque diſpoſitionem futuram, ut ei vocationem attemperet: ideò iterum inferiùs ait: *Cujus miſeretur ſic eum vocat, quo modo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.*

CCXXX. Reſpondetur, præclara illa verba nihil aliud ſonare quàm ſuavitatem divinæ motionis, quæ unum quodque movet ſicut aptum eſt moveri: Auxilium enim gratiæ non ſolùm efficax eſt, ſed & ſuave, quia movet voluntatem ſecundùm quod naturæ illius & libertati congruit. Undè cùm natura voluntatis in diverſis hominibus diverſas habeat inclinationes & diſpoſitiones ut efficaciter ſimul & congruè moveatur, debet auxilium gratiæ in diverſis diverſimodè movere. Quod poteſt hoc exemplo declarari. Fortis & timidus ex hoſte ſibi occurrente diverſimodè moventur: voluntas enim fortis movetur ad pugnam; voluntas verò timidi movetur ad fugam. Ponamus quòd uterque eâdem carnis tentatione pulſentur: Deus prędiffiniens victoriam utriuſque prædeterminat fortem ad amorem glorię ęternæ, quam, ſuperando tentationem, acquiret; Timidum verò prædeterminat ad timorem pœnæ æternæ, quam, tentationi ſuccumbendo, patietur. Uterque movetur efficaciter, quia uterque ex divinâ præmotione tentatio-

nem vincit; & uterque movetur ſuaviter quia quiſque movetur ſecundùm quod ſuæ diſpoſitioni congruit.

Ad hunc modum mille & mille vias habet Deus efficaciter ſimul & congruè movendi voluntatem tam fortis quam timidi; de quibus Rom. 11. dicitur: O *Altitudo divitiarum Sapientiæ & ſcientiæ Dei: quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus.* Quid enim minus comprehendi poteſt in omnibus viis Domini, id eſt, in omnibus ſuis operationibus ad extra, quam illi diverſi modi, quibus Deus unumquemque movet & applicat cum tantâ efficaciâ, ut fiat quòd decrevit Deus, & cum tantâ ſuavitate, ut ita à voluntate fiat, ac ſi ipſa ſola nulloque adjuvante & applicante illud faceret. Tam ſecretè & mirabiliter Deus prædeterminat ad amorem V. G. gloriæ æternæ ut illam putet ſe habere voluntas ex ſeipſâ & propriâ applicatione donec per ſubſtractionem illius agnoſcat ſe illum amorem Deo donante accepiſſe.

CCXXXJ. Similiter natura voluntatis habet ut ab objecto cognito per diverſa ſigna, ſive facta in diverſis diverſimodè moveatur; & illis viſis vel auditis ad diverſos excitetur affectus. Signis; ut ita dicam, pœnalibus movetur timidus, ſignis audacibus movetur fortis, ſignis honorificis ambitioſus, ſignis delectantibus luxurioſus, ſignis ſcientificis philoſophus, &c. Deus inſpirans timido amorem gloriæ cœleſtis utitur ſignis ei congruis: eumdem inſpirans amorem forti, aliis utitur ſignis ei ſimiliter congruentibus, &c. Imò & timidum poteſt movere ſignis quæ forti congruunt faciendo de timido fortem. Congruitas illa ſignorum, ſivè, quod idem eſt, congruitas objecti propoſiti cum diſpoſitione ſubjecti non excludit Dei inſpirationem, ſed ad eam objectivè operatur. Nec ſigna dicuntur congrua, quia voluntas illis excitata ex propriâ poteſtate & applicatione ſe determinat ad ſequendum vocationem aut credendum: (hæc enim conceptio gratiæ Chriſti eſt injurioſa) ſed ideò dicuntur congrua, quia diſpoſitioni voluntatis congruunt, & Deus mediis illis objectivè concurrentibus per Gratiam suam victricem et prædeterminantem inſpirans amorem, dicitur ſuaviter & congruenter movere voluntatem.

Quarè ſi timidus audiat concionatorem multa & gravia de pœnis inferni differentem, ſi nihil aliud adſit, nunquam deteſtabitur peccatum; verùm Deo inſpirante timorem gehennę verbis concionatoris efficaciter excitatur ad deteſtationem peccati. Ita ſi avarus, aut ambitioſus, dives aut pauper, nobilis aut ruſticus audiant, concionatorem præclarè differentem, de divitiis æternis, honoribus æternis, paupertate Spiritus, nobilitate virtutis, ſimplicitate fidei; ſi Deus non inſpiraverit amorem divitiarum æternarum, honorum æternorum, paupertatis Spiritus, nobilitatis virtutis, ſimplicitatis fidei, nunquam hujuſmodi verbis avarus pecuniam contemnet, ambitioſus

Digitized by Google

honores, dives divitias; nec pauper amplectetur veram paupertatem, aut nobilis veram nobilitatem, aut ruſticus fidei ſimplicitate delectabitur. Quia ut dicit Apoſtolus, 1. Cor. 3. *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat; ſed qui incrementum dat Deus.* Congruitas autem prædicationis ſeu vocationis in eâ ſe habet ad motum bonum voluntatis, ſicut congruitas plantationis ad accretionem ejus quod ſeritur: quarum utraque quidem valdè ad producendos effectus iſtos utilis eſt, & pœnè neceſſaria, ſed ab illis tamen ſeparari poteſt, ſi Dei deſit præmotio quâ affectum voluntatis tribuendo & naturam adjuvando intrinſecùs tribuit incrementum.

CCXXXIIJ. Ad quid, amabo, recurſus ad Scientiam Mediam? Cùm hæc propoſitio: *Si auditâ concione de pœnis inferni Deus timido timorem gehennæ inſpiraverit, deteſtabitur peccatum.* Cùm hæc, inquam, propoſitio non minus ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ à Deo cognoſcatur, quàm iſta: *Si ligno Deus ignem applicuerit caleſiet lignum.* Quò ſe vertet apud Augustinum gratia ſufficiens Moliniſtica? cùm alienum ſit à doctrinâ Augustinianâ, & Gratię Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti directè contrarium, vocationem dici congruam, quòd illam efficacem reddit voluntas ex propriâ ſuâ determinatione, Deo ſolùm exhibente concurſum indifferentem ad amorem & odium, voluntate verò illum determinante ad amorem, &c. Quis hic non timeat *Sathanam ſicut fulgur de cælo cadentem*, cernens voluntatem præcipuas habere partes, & de aliquo, quaſi non acceperit, poſſe gloriari?

Non ſic pius & humilis Doctor Cyprianus, qui dicit In nullo esse Gloriandum, cùm nihil sit nostrum. Tutiores ergo vivimus, ſi vocationem externam efficaciter congruam dicamus eſſe illam, *Quæ, Deo interius prædeterminante affectum voluntatis, ſignis congruentibus diſpoſitioni animæ movet efficaciter voluntatem.* Si etiam vocationem internam efficaciter congruam dicamus illam eſſe, *quæ vel affectus voluntatis prædeterminat juxta inclinationem voluntatis*, ut timido timorem, forti ſpem, iracundo peccatorum vindictam, &c. *vel illos affectus prædeterminat medio judicio indifferenti*, ratione cujus voluntas movetur ſecundùm quod congruit ſuæ libertati. Tutiores, dico, ſic vivimus, quia non partem damus voluntati, & aliam Deo, ſed totum ita damus voluntati, ut totum illud, Deo miſericorditer donante, accipiat; ſic enim in nullo quaſi non acceperimus glorianțes, ſoli Deo honor, & gloria tribuitur.

CCXXXIIIJ. Ad formam igitur argumenti ſic poteſt reſponderi: *Illi ſolùm ſequuntur vocationem qui ſunt idonei*, Diſtinguitur illa propoſitio, illi ſolùm ſequuntur vocationem Deo interius prædeterminante, qui ſunt idonei conceditur. Sequuntur vocationem voluntate ſe ex propriâ applicatione determinante, negatur. Ut enim dictum eſt, nulla idoneitas aut aptitudo ſivè in vocato, ſivè in ſignis vocantibus ſufficit ad ſequendum vocationem, ſi

Deus incrementum non dederit ſecretò & mirabiliter prædeterminando affectum voluntatis Similiter hæc propoſitio : *Cujus miſeretur ſic eum vocat., quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.* Poteſt eodem modo diſtingui ; ut vocantem non reſpuat, Deo interiùs præmovente, conceditur : ut vocantem non reſpuat voluntate ſe determinante, negatur. Quia Deus non ſcit vocationem ſuam eſſe efficàciter congruam, niſi voluerit intrinſecùs dare incrementum, voluntatem ad opus bonum ſpecialiter prædeterminando.

Ita quoque intelligitur quod ait S Augustinus lib. de dono perſev. cap. 14. *Ex quo apparet habere quoſdam in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant.* Illud enim munus intelligentiæ, eſt quædam cordis docilitas, ut ait D. Thomas in lecturâ ſuper Math. cap. 11. Habenti autem cor docile ſigna quædam & verba congruunt, quæ tamen nonniſi Deo piam affectionem tribuentę, movebunt efficaciter voluntatem ad fidem. Hęc omnia ſatis indicavit S. Augustinus dum loco ab adverſariis allegato ait : *Quis animo complectitur aliquid quod eum non delectat ? aut quis habet poteſtatem, ut vel occurrat quod eum delectare poſſit, aut delectet cùm occurrerit ? cùm ergo nos ea delectant quibus proficiamus ad Deum, inſpiratur hec, & prebetur gratia Dei, non nutu noſtro & induſtriâ, vel operum meritis comparatur : quia ut ſit nutus voluntatis, ut ſit induſtria ſtudii, ut ſint opera charitate ferventia, ille tribuit, ille largitur.*

Hinc deducitur regula generalis ad omnia loca S. Augustini, & aliorum SS. Patrum rectè intelligenda, in quibus dicitur, Deum vocare quos pręſcivit conſenſuros, vel quos ſcit eſſe aptos, & ſimilia ; debent enim intelligi ſine pręjudicio latentis Dei conſilii, & divini decreti : idem enim eſt dicere *Deum vocare quos præſcivit conſenſuros, vel quos ſcit eſſe aptos*, ac dicere *Deum vocare quos decrevit, & prædeterminavit conſenſuros, vel quos voluit eſſe aptos.* Sic ſe explicat S. Augustinus lib. de prædeſt. SS. cap. 9 *Proinde quod dixi tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam quando ſciebat, & ubi ſciebat eſſe qui in eum erant credituri : poſſet etiam ſic dici, tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & ubi ſciebat eſſe, qui* electi fuerant *in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Illud autem quod priùs dixerat S. Aug *ſine præjudicio latentis conſilii Dei, & exceptâ altitudine ſapientiæ & ſcientiæ ejus*, fuiſſe dictum teſtatur ibid. Ita ſine præjudicio gratiæ prædeterminantis dictum eſt, illi ſequuntur vocationem qui ei capiendæ ſunt idonei ; idem enim intelligitur, ac ſi eſſet dictum, illi prædeterminantur ad ſequendam vocationem, qui ei capiendæ ſunt idonei : * ſivè quod idem eſt, illi ex gratiâ prædeterminante et victrice ſequuntur vocationem, qui ei capiendæ ſunt idonei, non idoneitate præcedente gratiam, ſed gratiâ faciente idoneos, *

§. IJ. *Aliâ*

Digitized by Google

§. II. *Alia difficultas tollitur de duobus æqualiter tentatis ex libro duodecimo de Civitate Dei; quo loco abutitur P. Annatus.*

CCXXXIV. Alius eſt locus ex lib. 12. de Civ. Dei, cap. 6. quo ſicut & pluribus aliis abutitur P. Annatus de Scient. Med. diſp. 1. c. 14. nu. 57. ut probet gratiam aliquâ ex parte à voluntate creatâ accipere efficaciam; ac proindè ejus conſenſus debet ſub conditione prævideri antequam efficaciter decernatur. In prædicto loco S. Augustinus ponit duos *æqualiter affectos animo & corpore videre unius corporis pulchritudinem, quâ viſâ unus eorum ad illicitè perfruendum moveatur, alter in voluntate pudicâ ſtabilis perſeveret.* Addit inferiùs, eos etiam eâdem tentatione pulſari: *Nam ut hoc quoque impedimentum ab iſtâ quæſtione tollatur, ſi eâdem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat, atque conſentiat, alter idem qui fuerat perſeveret*, quâ poſitâ circumſtantiarum æqualitate ſubjungit: *Quid aliud apparet niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere? Unde niſi propriâ voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis & animæ affectio? Amborum oculis pariter viſa eſt eadem pulchritudo: ambobus pariter inſtitit occulta tentatio?* Ecce quomodo S. Augustinus dicat unum propriâ voluntate cecidiſſe, alium propriâ voluntate noluiſſe à caſtitate deficere. Non ergo agnoſcit indigentiam ſpecialis auxilii ad ſuperandam tentationem, & nolendum à caſtitate deficere: alioqui diſcretionem duorum æqualiter tentatorum non in propriam voluntatem, ſed in prædictum auxilium refudiſſet.

Reſpondetur, quòd S. Augustinus in iſto teſtimonio ſolùm intendit oſtendere, voluntatem non ſolùm eſſe cauſam proximam peccati, ſed etiam primam. De hac enim primâ cauſâ peccati ibi inquirit S. Augustinus, ut ſcitè adverterunt S. Augustini diſcipuli, & patet liquidiſſimè ex illâ ipsâ, quam tractat hypotheſi, Quænam videlicet cauſa fuerit deficientis voluntatis Angelorum? Nam de illâ ſtatim initio capitis dicit: *Hic primus defectus, & prima inopia, primumque vitium ejus naturæ eſt. Hujus porrò malæ voluntatis cauſa efficiens ſi quæratur, nihil invenitur.*

CCXXXV. Ad intelligentiam clariorem hujus ſolutionis ſciendum eſt, nihil tam certum apud S. Augustinum, S. Thomam, omneſque utriuſque Doctoris diſcipulos, quam voluntatem eſſe cauſam proximam actionis malæ, & actionis bonæ. Unde S. Augustinus interrogatus, cur homo non eſſet ſine peccato, ſive non vitaret peccatum? Reſpondit, *Poſſum facillimè ac veraciſſimè reſpondere, quia homines nolunt.* En cauſam proximam peccatorum: *Sed ſi ex me quæritur quare nolint, imus in longum.* Ita & de vitatione peccati & de bonâ actione, ſi quæratur cur homo non peccet, aut rectè

vivat, poſſumus faciliimè ac veraciſſimè reſpondere, quia homines nolunt peccare, aut quia volunt rectè vivere. Sed ſi ulterius quæratur quare velint, imus in longum, id eſt, in efficaciam divinæ motionis, & omnipotentiam divinæ voluntatis.

Hanc diſtinctionem operantium benè ab operantibus malè, ſivè credentium à non credentibus, ſæpiùs ad humanas voluntates reducit S. Augustinus in libro de prædeſtinatione Sanctorum; ſed tànquam ad cauſam proximè diſcernentem homines. Quod ne quis in præjudicium ſpecialis auxilii gratiæ traheret, ſicut & præſens locus ex libro de Civitatè Dei trahitur; ſtatim adjicit cauſam primam iſtius diſcretionis, videlicet gratiæ divinæ ſpeciale auxilium. Nam cum docuiſſet cap. 5. *Credere vel non credere eſſe in arbitrio voluntatis humanæ*, quo nihil apertius dici poteſt, quàm homines credere quia volunt, non credere quia nolunt, confeſtim ſubjungit: *Sed in electis præparatur voluntas à Domino.* Et iterum cap. 6. cùm objeciſſet aliquis pro libertate voluntatis humanæ, quâ homines diſcernuntur: *Multi audiunt verbum veritatis, ſed alii credunt, alii contradicunt, volunt ergo iſti credere, nolunt autem illi.* Reſpondet S. Augustinus: *Quis hoc ignoret? Sed cum aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino, diſcernendum eſt utique, quid veniat de miſericordiâ ejus, quid de judicio*; Et adhuc paucis interpoſitis apertiſſimè: *Et tamen illi quia voluerunt, crediderunt, illi quia noluerunt, non crediderunt.* Et mox ſubnectit cauſam diſcretionis ulteriorem: *Miſericordia igitur & judicium in ipſis voluntatibus facta fuit. Electio quippe iſta gratiæ eſt &c.*

Operam perdidit Pater Annatus in congerendis tot teſtimoniis, ut partes aliquas quæreret voluntati. Quid quæruntur partes? Ecce totum damus: nihil eſſe dicimus in operatione bonâ, quod non ſit proximè a voluntate: Sicut enim totum dicimus eſſe à voluntate, ita totum contendimus eſſe à Deo ab æterno prædiffinitum, & in tempore speciali auxilio gratiæ prædeterminantis donatum. Attamen venenum ſub melle latet, tales enim partes voluntati adſcribunt, quas acceptas ab auxilio gratiæ negant; quidquid enim ab auxilio gratiæ efficitur, in voluntate efficaci dandi auxilium prædictum ſufficienter cognoſcitur. Cum igitur illas partes dicunt præcognoſci ante voluntatem efficacem dandi auxilium, ſignum eſt manifeſtum, tales partes eos adſcribere voluntati, quas non accipiat virtute auxilii, ſed illas à ſe habens, juſtè poſſit in ſeipſâ gloriari: Sicque contradicunt Apoſtolo dicenti: *Non enim ille probatus eſt qui ſeipſum commendat, ſed quem Deus commendat.* Et pio atque humili Cypriano aſſerenti: *In nullo eſſe gloriandum cum nihil ſit noſtrum*, id eſt, quod non ſit donatum. De quibus ſatis cap. 1. art. 1. & 2.

CCXXXVJ. Nunc ad locum de Civitate Dei redeamus, in hoc loco S. Augustinus inquirens primam cauſam peccati, non aliam invenit quam

Digitized by Google

pſam voluntatem. Illa enim dicitur prima cauſa, quam nulla alia præceſſit; voluntas hominis infirmi: non poteſt dici totaliter cauſa prima peccati, quia illam præcedit concupiſcentia, ex cujus a ſtractione & illectione committit peccatum. Nec ipſa concupiſcentia poteſt dici prima cauſa peccati, quia ex peccato primi hominis procedit, quod nulla præcedente concupiſcentiâ ab illius voluntate commiſſum eſt. Voluntas igitur primi hominis, quam nulla alia cauſa præceſſit eſt prima cauſa peccati, & quidem reſpectu primi peccati eſt ita prima cauſa, ut ſit etiam illius cauſa proxima; ſed voluntas hominis lapſi eſt ſolùm proxima cauſa peccati, non verò prima; quia peccatum ex infirmitate commiſſum oritur ex peccato voluntatis ſanæ & robuſtæ.

Si quæratur, quare Iudas peccavit? Facillimè ac veraciſſimè reſpondetur, Quia Judas voluit. Si autem quæratur, Quare voluit; Iterùm reſpondetur, quia abſtractus fuit, & illectus à concupiſcentiâ ſuâ. Quare abſtractus fuit? quia Adam peccavit Quare Adam peccavit? quia voluit. Quare voluit? quia ad volendum peccare non aliquâ cauſâ cogente, non aliquâ concupiſcentiâ illiciente, nec etiam aliquâ ſuperiori cauſâ applicante, ſed ex ſolâ ſuâ poteſtate & libertate ad volendum peccare ſe applicuit. Ecce prima cauſa mali, ſola ſcilicet voluntas. Ecce quam rectè dixerit S. Augustinus, *Sed ſi ex me quæritur, quare homines nolint peccare, imus in longum.*

Quamvis hęc ita ſe habeant, in caſu tamen quem proponit ſibi S. Augustinus de duobus infirmis hominibus æqualiter tentatis, voluntas peccantis non ſolùm eſt cauſa proxima peccati, ſed etiam prima, non tamen peccati *abſolutè*, ſed *comparatiuè* ſumpti, id eſt, quantum ad diſcretionem peccantis à non peccante. Nam ſi *abſolutè* quæratur de illo qui peccavit, quare à caſtitate defecit; veraciſſimè reſpondetur, quia voluit. Si ulteriùs quæratur, quare voluit? in longum imus, quia ſcilicet fuit abſtractus à concupiſcentiâ ſuâ. Quare abſtractus? quia Adam peccavit *&c.* ut ſupra dictum eſt. Verùm, ſi *comparatiuè* quæratur, quare ſcilicet unus de duobus ęqualiter tentatis peccavit, & alter non peccavit; Tunc debet aſſignari diſcretio in cauſis, ſicut adeſt diſcretio in effectibus, non enim inæquales effectus poſſunt produci, niſi ſit inæqualitas in cauſis. Quærenti igitur, quare unus ex ſupradictis peccavit, & alter non peccavit? Veraciſſimè reſpondetur, quia unus voluit, & alter noluit. Ecce inæqualitas in volitione, & proximâ cauſâ diſcretionis. Si verò ulteriùs quæratur, quare unus voluit, & alter noluit? Non poteſt reſponderi, quia iſte fuit magis abſtractus, & alter minùs; cùm ſint poſiti in concupiſcentiâ æquales; & inæquales effectus non poſſint reduci in cauſas æquales.

Quid ergo? niſi quod unus ex propriâ libertate, & determinatione nullâ aliâ cauſâ cogente, aut applicante, applicuerit ſe ad volendum ſequi ſuam

Digitized by Google

concupiſcentiam, alter verò non ſic ſe applicuerit ad prædictam volitionem, quamvis æqualem quoad hoc haberet cum primo poteſtatem. Ecce quomodo in præſenti caſu voluntas peccantis non ſolum ſit cauſa proxima peccati, ſed etiam cauſa prima diſcernens peccantem à non peccante. Nam licet concupiſcentiâ præcedente peccaverit, prima tamen diſcretio fuit, quod ad ſequendum concupiſcentiam ſe applicuerit, alter non. Et cùm iſtius applicationis nulla alia præcedat cauſa, aut agens aut applicans; ipſa ſibi eſt tam prima, quàm proxima cauſa ſuæ diſcretionis à non peccante.

CCXXXVIJ. Non ſic res ſe habet in illo, qui non peccavit. Quamvis enim verum ſit dicere, ideò non peccavit, quia ad volendum peccare non ſe applicuit, ſivè, ut ait Augustinus, quia noluit: non tamen ibi ſiſtitur. Nam nolitio debet ex aliquâ volitione procedere, ſicut & omnis negatio debet ad aliquam affirmationem reduci. Non poteſt ergo nolitio peccandi eſſe prima cauſa non peccandi; ſed ideò noluit ille peccare, quia voluit caſtè vivere. Et ſi quæratur, quare voluit caſtè vivere? Reſpondetur, quia ad volendum caſtè vivere eſt à Deo victrice Gratiâ ſpecialiter applicatus, quæ vincendo concupiſcentiam dedit illi volitionem efficacem rectè vivendi. Ecce quomodo in illo qui è duobus æqualiter tentatis non peccavit, licet proxima cauſa ſuæ diſcretionis à peccante fuerit ejus voluntas, prima tamen cauſa eſt Gratia victrix, quæ ei fuit miſericorditer data.

Ex quo clariſſimè apparet, quomodo ille qui non peccavit non habeat quod ſupra peccantem ſe extollat, quia ſi fuiſſet ſibi relictus, applicuiſſet ſe ad ſequendum ſuam concupiſcentiam, ſicut alter qui peccavit. Nam ſicut duo parati ad ſe projiciendum in puteum, ſi unus ex illis ab aliquo tertio à puteo ad alium locum transferatur, non habet ille tranſlatus gloriari ſupra alterum, quòd ſe in puteum non projecerit; ita homo abſtractus & illectus à concupiſcentiâ, cùm propter hujuſmodi abſtractionem, & illectionem ſit paratus ad injiciendum ſe in foveam peccati, & infallibiliter injiciet, ſi Gratiâ victrice non adjuvetur; ille, inquam, homo non habet quòd ſe extollat ſupra peccantem, ſi auxilio gratiæ prædeterminantis ad objectum oppoſitum concupiſcentiæ transferatur. Hoc veraciter agnoſcebat Humillimus S. Franciſcus, qui omnium peccatorum, etiam graviſſimorum, peccata ſibi adſcribebat, ex eo quòd ſi in eiſdem occaſionibus, & tentationibus fuiſſet poſitus, & ſibi relictus, id eſt, Gratiâ victrice non adjutus, eodem modo peccaſſet, ſicut & illi. Nullus eſt enim homo qui ſi in eâdem diſpoſitione fuiſſet ac fuêre Judæi, & excœcatus ſicut & illi, non crucifixiſſet gloriæ Dominum. Imò plus dico, nullus eſt homo qui ſi fuiſſet in illâ ſuggeſtione in quâ fuit Adam, & ſibi relictus fuiſſet, nullus dico

Digitized by Google

eſt, qui ex pomo non comediſſet, ſicut & ille. Nullus ergo poteſt exprobrare Judæis, aut Adamo ſuum peccatum, quaſi ipſe illud non commiſiſſet, ſi in eorum loco fuiſſet; ſed in hoc quilibet debet ſuam infirmitatem, & impotentiam agnoſcere, & in eo dicere, ut ait Apoſtolus 1. Cor. 4. *Ne ſupra quam ſcriptum eſt unus adversùs alterùm infletur pro alio.* Omnes fragiles ſumus, ait quidam, ſed tu neminem fragiliorem teipſo tenebis. Gloriabor igitur in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti, id eſt, Gratia victrix.

CCXXXVIIJ. Dum ergo ex hoc S. Augustini teſtimonio arguunt Moliniſtæ: ex propriâ voluntate eſt quod unus à caſtitate deficiat, alter non: ergo hæc diſcretio non oritur ex speciali Gratiæ victricis auxilio. Diſtinguendum eſt Ant. ex propriâ voluntate eſt, tanquam ex proximâ causâ diſcretionis, quod unus *&c.* conceditur. Ex propriâ voluntate eſt, tanquam ex primâ causâ diſcretionis, quòd unus *&c.* negatur, ſi loquamur de diſcretione tenente ſe ex parte non peccantis; ſecùs de diſcretione, quæ ſe tenet ex parte peccantis; hujus enim diſcretionis ſola voluntas eſt cauſa tam prima, quàm proxima. Similiter diſtingui debet Conſequens: ergo hæc diſcretio non oritur ex gratiâ, tanquam proximâ causâ diſcretionis, conceditur: tanquam primâ cauſâ diſcretionis, negatur, ſi ſit ſermo de diſcretione, quę ſe tenet ex parte non peccantis. Propoſuit igitur Augustinus duos æqualiter tentatos, & habentes æqualem poteſtatem ad bonum, & malum; ut in eis oſtenderet, quòd qui ex illis peccaret ſolâ ſuæ voluntatis libertate à non peccante ſe primò diſcerneret; ut licet peccatum illius abſolutè conſideratum non in ſolam voluntatem, ſed in concupiſcentiam, etiam refundatur, ipſius tamen diſcretionis ſola voluntas ſit cauſa.

§. IIJ. *Explicatur locus S.* Augustini, *quo dicit, quòd* anima non deſerta eſt, vt deſereret, ſed vt deſereretur deſervit: *Quem locum aſtutè truncat P. Annatus.*

OBijci & illud ſolet contra prædffinitionem actionis peccati, quòd S. Augustinus dicit lib. 12 de Civitate Dei cap. 15. Quem locum ſic refert & truncat P. Annatus de Scientiâ Mediâ diſp. 1. n. 33. *Anima non deſerta eſt, ut deſereret, ſed ut deſereretur deſeruit. Ad malùm quippe ejus, prior eſt voluntas eius, ad bonum verò eius, prior voluntas Creatoris ejus, ſive ut eam faceret, quæ nulla erat, ſive ut reficeret, quæ lapſa perierat.* Ex quo loco ſic arguit ſubtiliſſimus Pater: Si fuit prædiffinitio actus mali cujus fuit præſcientia, evidentiſſimum eſt, & deſertam fuiſſe voluntatem priùs quam ipſa deſereret

Digitized by Google

& ipſam non eſſe ad malumpriorem, cùm ſupponat prædefinitionem, quæ voluntas quædam Dei eſt.

CCXXXIX. Reſpondetur S. Augustinum in illo loco nihil aliud dicere, quam Deum non auferre gratiam ſanctificantem, niſi voluntas prius mortaliter peccando Deum deſerverit. Quod ſic probatur. Nullus locum deſerit, niſi prius in loco fuerit; nec aliqua alia res deſeritur, niſi prius teneatur. Deus eſt præſens animæ duplici præſentiâ, præſentiâ ſcilicet immenſitatis ſecundum quam ſubſtantialiter eſt in animâ ut poſſidens eam, ſicut & in omnibus rebus; & præſentiâ gratiæ ſecundùm quam ſubſtantialiter inhabitat animam ut poſſeſſus ab eâ. Primam præſentiam non poteſt Deus ſubtrahere, niſi animam annihilando. Secundam quoque præſentiam ſubtrahere nequit Deus, niſi prius per gratiam in animâ fuerit; nec anima poteſt Deum deſerere, niſi prius eum per gratiam tenuerit & poſſederit. Deus igitur deſerit animam ſubtrahendo gratiam ſecundum quam erat illi præſens vivificando & regendo eam; prius tamen anima deſervit Deum, quem ut vitam ſuam & rectorem poſſidebat, peccando mortaliter: eſt enim peccatum mortale averſio à bono incommutabili per converſionem ad bonum commutabile.

Rectè igitur dixit S. Augustinus quòd *Anima non deſerta eſt* (per ablationem gratiæ ſanctificantis) *ut deſereret* (peccando mortaliter,) *ſed ut deſereretur* (per ablationem gratiæ ſanctificantis) *deſervit* (peccando mortaliter) Ex quo patet, quòd denegatio gratiæ prædeterminantis, non ſit illud quo Deus deſerit animam, ſi propriè loquamur, & maximè ad ſenſum teſtimonii hic citati; nec etiam prædefinitio actionis peccati, ſiquidem neutra eſt ablatio gratię ſanctificantis & neutra eſt cauſa prædictæ ablationis, ſed ſola voluntas ſuo peccato illam modo dicto cauſat. Ideo fallaciter modo ſibi conſueto arguit in preſenti P. Annatus, dum ex prædiffinitione actus mali arguit animam prius fuiſſe deſertam, quam deſereret) & ex voluntate quâ Deus voluit malam voluntatis actionem, arguit priorem fuiſſe voluntatem Dei ad malum. Nec malè arguit ſubtilis Pater, cùm prædiffinitio actus mali non poſſit non eſſe cauſa peccati, & voluntas quâ antecedenter Deus vult malam actionem non poſſit non eſſe prior ad malum. Verùm quis Angelici diſcipulus unquam dixit Deum prædiffinire actum malum; Et quis eorum aliquandò aſſervit Deum velle actionem voluntatis malam? Hęc nemo dicet niſi Pater mendacii; Neque minus ſine mendacio potuit ea Annatus ſupponere, quaſi eſſent à diſcipulis Angelici Doctoris dicta, & aſſerta. Si prædictus Pater ex teſtimoniis Patrum oſtenderet, aut ſaltem conaretur oſtendere, Deum non poſſe prædefinire actionem peccati, ſivè quod idem eſt, actum peccati ſub illa ratione, ad quam nulla ſequitur malitia, abſque eo quod prædefiniat malitiam peccati; Si hoc, inquam, Pater Annatus ex

Digitized by Google

ſanctis Patribus oſtendere conaretur, patienter poſſet tolerari; unuſquiſque enim abundat in ſuo ſenſu: Sed ex eo quòd Sancti Patres negant Deum non prædiffinire actum malum, nec velle malum, ſemper fallaciter arguere Deum non prædiffinire, nec velle entitatem & bonitatem phyſicam peccati, hoc fit intolerabile ſincero veritatis amatori, qui nihil ita odit, quam hujuſmodi fallacias. Vide duos ult. paragraphos artic. præced.

CCXL. Solutionem noſtram, quà dicimus Sanctum Augustinum in præſenti loco loqui de deſertione animæ per ablationem gratiæ ſanctificantis, eſſe de mente Sancti Augustini, clariſſimè patet ex verbis antecedentibus, quæ aſtutè omittit P. Annatus, ne in ipſo limine ſupradicti teſtimonii dolus illius ac mala fides manifeſtaretur. Quare meritò illum dixi truncaſſe hoc teſtimonium; non quod truncare ſit aliqua quæ ad intentum nihil faciunt, omittere; ſed quia truncare teſtimonium propriè quis dicitur, quando ea quæ ſunt conjuncta illi teſtimonio, doloſè omittit, quæ tamen ſi conjuncta proferrentur, contrarium illius quod probare intenditur, manifeſtarent.

Hoc P. Annatum feciſſe verba immediatè antecedentia oſtendunt, ſic enim habet S. Augustinus: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*, & quę ibi mors, intelligatur exponens: *Si eam* (inquit) *ſolam intelligamus, quæ fit cùm anima deſeritur ſuâ vitâ, quod illi Deus eſt; non enim deſerta eſt, ut deſereret; ſed ut deſereretur, deſervit, ad malum quippe ejus prior eſt voluntas ejus, &c.* Si quis legerit prædictum capitulum, videbit S. Augustinum exponere iſtum verſum Scripturæ de duplici morte, animæ ſcilicet & corporis, & exponens primò de morte animæ ait, *Si eam ſolùm intelligamus, quæ fit cum anima deſeritur ſuâ vitâ*, Deinde quaſi probans quòd de morte animæ poſſit ille locus exponi, oſtendit, quòd priùs comedendo peccaverit, & ex hoc mortua ſit, id eſt, perdidit ſuam vitam, quam Deus illi dabat per gratiam; ideò ſubjungit: *Non enim deſerta eſt ut deſereret, ſed ut deſereretur deſervit.* Quam rationem planiſſimè expoſuit paulo infra dicens: *Tamquam diceret: Quâ die me deſerveritis per inobedientiam, deſeram vos per juſtitiam*, &c.

Aſtutè igitur omiſit P. Annatus hæc verba: *Si eam ſolùm intelligamus quæ fit cùm anima deſeritur ſuâ vitâ, quod illi Deus eſt.* Aſtutè etiam abſtulit particulam *enim*, quæ verba ſubſequentia à ſe relata refert ad mortem animę, ne in ipſo limine teſtimonii, ut dixi, manifeſtaretur S. Augustinum loqui de deſertione, quæ fit per ablationem gratiæ ſanctificantis, & ſic totum argumentum eluderetur.

CCXLI. Quemadmodum autem perſpicuum eſt, S. Augustinum, modo quo diximus, prædicta verba intelligere, ita etiam clarum eſt, Concilium Tridentinum de deſertione per ablationem gratię ſanctificantis loqui in illis verbis quæ profert ſeſſione 6. capite 11. *Deus namque ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos*

Digitized by Google

non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur. Agit enim de juſtificatis, quos tradit propterea non deſinere eſſe juſtos, quia ſubinde venialiter peccant; ſed è contrario hoc ipſo magis eſſe obligatos ad ambulandum in viâ juſtitiæ, quo liberati à peccato ſobriè, juſtè, & piè viventes proficere poſſint per Jeſum Chriſtum, *Per quem acceſſum*, inquit, *habuerunt in gratiam iſtam*, videlicet liberationis à peccato, & juſtificationis: Et ſtatim adjicit: *Deus namque ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur.* Per hoc probans id, quod præceſſerat, eos propterea non deſinere eſſe juſtos, quòd quotidie peccata committant venialia, quia Deus non abſcedit ab animâ per gratiam ſuam juſtificatâ, niſi eum mortaliter peccando ante deſerverit.

Hunc eſſe germanum Concilii ſenſum, maximèque S. Augustini, ex quo phraſis iſta, & verba derivata ſunt, facilè judicabit, quiſquis conſideraverit, eum hoc loquendi modo ſignificare voluiſſe differentiam quæ eſt inter Deum bonum animæ noſtræ, & inter alia bona creata, quæ ab hominibus diligi ſolent. Nam iſta creata bona hujuſmodi ſunt, ut quantumlibet ea vehementi amaveris voluntate, & retinere volueris, invitiſſimos ſæpè deſerant; Deus verò tale bonum eſt, ut invitum nullo modo deſerturus ſit: non enim deſerit hominem, niſi ipſe ab homine priùs propriâ voluntate deſeratur: *Hoc eſt bonum*, inquit S. August. ſerm. 12. de verb. Dom. cap. 5. *quod non potes invitus admittere. Potes enim aurum perdere, & nolens, potes domum, potes honores, potes ipſam carnis ſalutem; bonum verò quo verè bonus es, nec invitus accipis, nec invitus amittis.* Et in lib. 4. Confeſſ. cap. 9. cùm latè deſcripſiſſet dolorem ſuum, quo cruciabatur, quando morte amicum rapiente ab eo deſertus fuerat, Deum alloquens, *Te*, inquit, *nemo amittit, niſi qui dimittit*, hoc eſt, tu non deſeris quemquam, niſi te voluntate ſuâ deſerverit.

§. IV. *Interponitur quædam quæſtio multum obſervanda; & ex eâ conciliantur utriùſque Solis diſcipuli quoad ſtatum naturæ puræ.*

Cum ille, qui non adjuvat nos cùm poſſit, dicatur etiam nos deſerere: in hoc ſenſu, & abſtrahendo à ſupracitato teſtimonio, poteſt quæri, An Deus denegando gratiam prædeterminantem priùs deſerat animam, quàm ab animâ deſeratur? aut è contrà, An etiam in ordine ad denegationem gratiæ prædeterminantis (ſumendo deſertionem Dei pro negatione auxilii) habeant verba citata §. præcedenti veritatem, ita ut poſſit dici: *Anima non deſerta eſt, ut deſereret, ſed ut deſereretur deſervit?*

CCXLIJ. Ad hanc quæſtionem dico primò. Si loquamur de peccato quod non eſt pœna peccati, quale fuit peccatum primi hominis, & Angelorum, priùs anima

prius anima deſerit Deum, quàm deneget ei gratiam prædeterminantem, & in hoc ſenſu verificatur quòd Angeli prius deſerverint Deum, quàm fuerint ab eo deſerti. Undè non deſerti ſunt, ut deſererent, ſed ut deſererentur deſerverunt.

Antequam probem concluſionem præmitto has duas cauſales, quarum prior eſt. *Ideò voluntas non applicatur ad actum bonum, quia ſe applicat ad actum malum.* Poſterior eſt, *Ideò voluntas ſe applicat ad actum malum, quia non applicatur ad actum bonum.* Hæc poſterior cauſalis eſt manifeſtè falſa; cùm enim ſola voluntas, (& maximè Angeli) ſit ſibi cauſa, tam prima, quàm proxima, quòd ſe applicet ad actum malum, ipſa non applicatio ad actum bonum, ſivè, quod idem eſt, denegatio gratiæ prædeterminantis, non poteſt eſſe cauſa cur voluntas ſe applicet ad actum malum; ac proindè hæc cauſalis eſt falſa; *Ideò voluntas ſe applicat ad actum malum, quia non applicatur ad actum bonum*, ſivè, quia denegatur ei gratia prædeterminans.

Prior autem cauſalis eſt vera, nempè, *Ideò voluntas non applicatur ad actum bonum, quia ſe applicat ad actum malum.* Vidimus ſuprà ex Augustino, quòd ideò Angeli boni non peccaverunt, quia noluerunt peccare, & ideò noluerunt peccare, quia voluerunt rectè agere; cùm omnis nolitio debeat ad aliquam volitionem reduci: & omnis actus voluntatis ex aliquo amore proficiſci. Verum ergo etiam erit, quòd Angeli mali non fecerunt actum bonum, ſivè non permanſerunt in bono, quia noluerunt, & ideò noluerunt, quia voluerunt ſe ad actum malum applicare; ac proindè ipſi Angeli mali volendo actum malum fuerunt ſibi cauſa, quòd non voluerint actum bonum. Et cùm applicatio ad actum bonum ſit inſeparabiliter conjuncta actui bono, ſequitur, Angelum malum volendo actum malum fuiſſe ſibi cauſam, quòd non fuerit applicatus ad actum bonum.

CCXLIIJ. Hinc myſterium aliquod circa prædeterminationem phyſicam revelatur. Nam licet prædeterminatio phyſica poſitivè ſumpta non ſit in poteſtate voluntatis, negativè tamen ſumpta eſt in poteſtate voluntatis, ad hunc ſenſum, quòd licet voluntas prædeterminata ad amorem non ſit cauſa, quòd prædeterminetur ad amorem; determinando tamen ſe ad odium eſt ſibi cauſa quòd non prędeterminetur ad amorem, ad modum ponentis obſtaculum: ſicut enim eſt ſibi cauſa, quòd non amet, ita debet ſibi eſſe cauſa, quòd non applicetur ad amorem: quia licet non ſit verum, quòd cauſans actionem debeat eſſe cauſa omnis illius rationis, quę actioni inſeparabiliter conjungitur; ſiquidem una ratio poteſt cadere ſub cauſalitate alicujus, & non alia: attamen cauſa quæ excludit actionem à ſe, excludit etiam à ſe quidquid illi actioni inſeparabiliter conjungitur; eo quòd, ut communiter dicitur: Negatio eſt malignantis naturæ, & deſtruit quidquid poſt ſe invenit. Undè voluntas determinans ſe ad actum malum, cùm ex-

cludat à ſe actum bonum, debet etiam à ſe excludere applicationem ad actum bonum, cui actus bonus inſeparabiliter conjungitur. Et conſequenter verum erit dicere: *Ideò voluntas non applicatur ad actum bonum*, ſivè ideò denegatur ei GRATIA PRÆDETERMINANS, *quia liberè ſe applicat ad actum malum*, ſivè quod idem eſt, quia applicationi ad actum bonum ponit impedimentum. Et ideò non prædeterminatur ad amorem, quia ſe determinat ad odium: Sicut qui ſe nigrum faceret poneret dealbationi obſtaculum. Vide nu. 127. ubi refutando Juniorem Moliniſtam oſtendimus, GRATIAM PRÆDETERMINANTEM indirectè eſſe in poteſtate noſtrâ.

CCXLIV. Ex hâc poſitione ſatis clarè, & efficaciter probatâ, manifeſtè deduco intentam concluſionem argumento ſub hâc formâ propoſito: Deus non deſerit Angelum niſi denegando GRATIAM PRÆDETERMINANTEM: ſed peccatum Angeli quo deſerit Angelus Deum, eſt ſimpliciter prius denegatione gratiæ prædeterminantis: Ergo priùs ſimpliciter deſerit Angelus malus Deum, quàm ab eo deſeratur. Conſequentia eſt legitima. Major patet, Quia hic agimus de deſertione, prout eſt negatio adjutorii ad illum ſenſum, quo aliquis nos deſerit ſi non adjuvet cùm poſſit, & maximè cùm facillimè poſſit; adjutorium Dei non eſt niſi reſpectu actus boni, & in præſenti idem eſt, ac applicatio àd actum bonum, ſivè GRATIA PRÆDETERMINANS; Si ergo Deus non deſerit niſi negando auxilium ad actum bonum, manifeſtum eſt Deum non deſerere Angelum niſi denegando gratiam prædeterminantem.

Minor probatur. Peccatum, ſivè quod idem eſt, voluntas peccando eſt ſibi cauſa quòd non applicetur ad actum bonum, ut probatum eſt, & non applicatio ad actum bonum, non eſt cauſa peccati: ergo peccatum eſt ſimpliciter priùs non applicatione ad actum bonum, ſivè denegatione gratiæ prædeterminantis. Patet conſequentia, Quod eſt cauſa alicujus, & nullo modo ab illo cauſatur, eſt ſimpliciter prius illo; ſiquidem in nullo genere eſt poſterius. Si ergo, ut probatum eſt, Peccatum ſit aliquo modo cauſa denegationis gratiæ, & denegatio gratiæ nullo modo ſit cauſa peccati, oportet ut peccatum ſit ſimpliciter prius denegatione gratiæ prædeterminantis.

Et ſic manet noſtra prima concluſio efficaciter probata, ſcilicet Angelum malum priùs ſuo peccato deſerviſſe Deum, quàm denegatione gratiæ prædeterminantis fuiſſe à Deo deſertum. Et ideò de Angelo malo tam deſertione per ablationem gratiæ habitualis, quàm deſertione per denegationem gratiæ prædeterminantis verificatur, quòd *non ſit deſertus ut deſereret, ſed deſervit ut deſereretur.* Nec poteſt dici quòd Deus deſerat Angelum applicando voluntatem ad materiale peccati, eo quòd *applicatio hæc ſit ad actum ſub illâ ratione, ad quam nulla ſequitur malitia*; & conſequenter *actus peccati* ut à Deo

Digitized by Google

prædeterminante nullam habet oppoſitionem cum bonitate morali, nec ullam importat averſionem à Deo ut ultimo fine, ſed è contrà reddit Deum præſentem animæ, eamque conjungit cum ſuo ultimo fine in eſſe phyſico. Ipſe autem Angelus eſt, qui primò deſerit Deum quantum eſt de ſe rectè moventem Angelum, per hoc quòd operetur non ſubjiciendo ſe legi. Quarè ſicut pictor volens oſtendere defectum penicilli aſſumit eum & movet quantum eſt de ſe juxta regulas ſuæ artis, & ideò defectus picturæ non tribuitur pictori, ſed penicillo qui deficit ab ordine artis. Ita Deus volens oſtendere defectibilitatem Angeli in agendo, aſſumit ejus voluntatem ex ſuâ libertate non attendentem ad regulam, & movet eam quantùm eſt de ſe juxta regulas ſuæ ſapientiæ, & ideò peccatum non tribuitur Deo prædeterminanti, ſed Angelo qui ſuâ libertate à Deo recedit.

CCXLV. Dico secundò ſi loquamur de peccato quod eſt pœna peccati, quale eſt omne peccatum quod ex concupiſcentiâ præcedente committitur, tunc ſub aliquâ ratione priùs deſerit Deus hominem, quàm ab homine deſeratur.

Ratio hujus concluſionis ex ſupradictis ſumitur: dictum enim eſt nu. 70. & 84. quòd motus actualis concupiſcentiæ impedit, quominùs voluntas ex volitione boni ſit ſufficienter potens applicandi ſe ad volendum invictè bonum concupiſcentiæ oppoſitum; & quòd ratione illius determinetur judicium practicum intellectus ad judicandum ſequendam eſſe concupiſcentiam, ſicut ex diſpoſitione linguæ determinatur judicium guſtus ad judicandum dulce eſſe amarum: cum hac tamen differentiâ, quòd judicium practicum intellectus ſit ſimul conjunctum alteri judicio ſpeculativo, quo judicat intellectus bonum concupiſcentiæ non eſſe omne bonum, & eſſe prohibitum, ratione cujus voluntas ita ſe determinat ad ſequendam concupiſcentiam, ut etiam poſſit illam non ſequi, quam tamen ſemper ſequetur niſi adſit ſpeciale auxilium gratiæ vincens concupiſcentiam. Et quia actus non poteſt niſi ab actu ſuperari; prædictum auxilium vincens concupiſcentiam actualem debet eſſe actuale, & applicans voluntatem ad actum oppoſitum concupiſcentiæ.

Ex quibus habetur, quòd auxilium, quo homo infirmus, id eſt, abſtractus & illectus à concupiſcentiâ ſuâ debet applicari ad actum bonum concupiſcentiæ oppoſitum, ſit auxilium non purè applicans, ſed etiam tollens impedimentum vincendo concupiſcentiam. Undè denegatio prædicti auxilii, licet ut eſt non applicatio ad actum bonum poſſit cauſari à volitione actus mali, ſicut dictum eſt in Angelo, ac proindè ſub illâ ratione priùs homo infirmus deſerat Deum, quàm ab eo deſeratur; in quantum tamen eſt ſublatio impedimenti vincens concupiſcentiam, priùs homo

Digitized by Google

infirmus ſub illâ ratione deſeritur, id eſt, relinquitur in infirmitate ſuâ; & non ſanatur, quàm ipſe peccando deſerat Deum.

CCXLVJ. Hoc autem ſic probatur. Motus concupiſcentiæ, qui debet vinci ad hoc ut illum non ſequatur voluntas, & applicetur ad actum bonum, præcedit peccatum independenter à voluntate: ergo Deus non conferens auxilium vincens concupiſcentiam, jam deſerit hominem infirmum antecedenter ad illius peccatum quo ipſe deſerit Deum. Si ergo gratia prædeterminans hominem infirmum ſit gratia ſanans & vincens concupiſcentiam, ex denegatione prædictæ gratiæ deſerit Deus hominem priùs quàm ab illo peccando deſeratur.

Confirmatur 1. Si quæratur, quarè homo infirmus peccet? Reſpondetur, quia ſe ad volendum peccare applicuit; & ſi ulteriùs quęratur, quarè ſe ad volendum peccare applicuit; veraciſſimè reſpondetur, quia fuit abſtractus & illectus à concupiſcentiâ ſuâ. Ipſa ergo abſtractio & illectio concupiſcentiæ, independens à voluntate, eſt aliqualis cauſa peccati, & ipſum præcedit. Deus igitur denegando gratiam vincentem hujuſmodi abſtractionem deſerit hominem, non auferendo illud quod eſt aliqualis cauſa, cur ab homine poſtmodùm deſeratur. Priùs ergo ſub iſtâ ratione deſerit, quàm deſeratur.

Confirmatur 2. Medicus qui non ſanat infirmum, dicitur illum deſerere; relinquit enim illum in infirmitate ſuâ, quam, ſi vellet, poſſet auferre. Ipſe motus concupiſcentię voluntatem pręveniens, & contra rationem inſurgens eſt infirmitas hominis; Deus ergo hanc infirmitatem non ſanans per auxilium Gratiae victricis, meritò dicitur deſerere infirmum: ſed priùs eſt quòd infirmus non ſanetur, quàm quòd ex infirmitate peccet: ergo priùs eſt quod Deus denegando gratiam victricem deſerat hominem, quàm quòd homo ex infirmitate ſuâ peccando deſerat Deum.

CCXLVIJ. Hanc credimus eſſe rationem ejus, quod conſtanter docet S. Augustinus, primum ſcilicet peccatum eſſe cauſam denegationis gratię medicinalis victricis ſimul & prædeterminantis. Cùm enim denegando hanc gratiam homini infirmo priùs deſerat Deus hominem, quàm ab eo deſeratur, ut probatum eſt; rectè judicavit S. Augustinus Deum non ſic deſerturum hominem, quem S. Scriptura teſtatur fuiſſe conditum rectum, niſi præceſſiſſet aliquod peccatum, quo homo priùs Deum deſerviſſet. Nam ſin Deum peccatum aliqualiter refunderetur, ſi primum peccatum committeretur ex abſtractione concupiſcentiæ, & errore agendorum; & cùm primum peccatum quod quilibet homo infirmus committit, fiat ex aliquâ abſtractione concupiſcentiæ, & aliquo errore quo bonum apparens, & quod non eſt bonum judicatur eſſe bonum, neceſſe eſt ut primum peccatum hominis infirmi ſit pœna alicujus peccati: quod non poteſt eſſe aliud niſi illud, quod ſolâ voluntate Adami commiſſum eſt, nullâ concupiſcentiâ abſtrahente, nec

ullâ ignorantiâ antecedente, ſed ſolo defectu actualis conſiderationis. Ideò ad hoc peccatum primum ſemper recurrit S. Augustinus ut aſſignet cauſam permiſſionis peccati in homine infirmo, ſivè, quod idem eſt, denegationis gratiæ medicinalis.

Hinc etiam oritur, quòd licet ſtatus puræ naturæ ſit poſſibilis, ſpectaret tamen ad divinam providentiam ita diſponere hominem, ut primum illius peccatum ex abſtractione concupiſcentiæ, aut ignorantiâ agendorum non committeretur: & ideò deberetur homini in puris naturalibus conſtituto, non quidem ſecundùm principia naturę ſuę, ſed ut à Deo moto, quidam vigor rationis ſubjiciens ſibi concupiſcentiam, & tribuens homini plenam poteſtatem ſequendi bonum rationis abſque præveniente concupiſcentiâ, pro actu deliberato antecedente omne peccatum. Qui vigor rationis dici poſſet naturalis homini, non tanquam ex principiis naturalibus ortus, ſed tanquam ex naturali dependentiâ, & ſubordinatione ad primam cauſam dependens: ex quâ oritur quòd homo debeat à Deo moveri ſecundùm quod decet divinam bonitatem. Undè in ſtatu puræ naturæ poterunt adhuc conciliari utriuſque Solis diſcipuli. Non enim ob aliam rationem repudiant hunc ſtatum S. Augustini diſcipuli, niſi quia peccatum ex abſtractione, & errore coneupiſcentiæ commiſſum aliqualiter in Deum refunderetur, cùm tunc foret primum peccatum; huic inconvenienti occurrunt Angelici diſcipuli per vigorem rationis debitum homini, ut moto à Deo ad actum deliberatum antecedentem omne peccatum. Poſt prædicta ſpeciale compoſuimus opuſculum de ſtatu naturæ puræ, quod eſt hìc ſecundum in ordine: videatur etiam Appendix quam addidimus infrà ad §. vi. de causâ reprobationis.

§. V. *Authoritatibus Angelici Doctoris abutuntur Molinæ diſcipuli.*

Sufficit Angelico Doctori fideliſſimo S. Augustini Diſcipulo, ut ſit ſicut Magiſter ſuus. Molinę diſcipuli coacti patrocinium D. Thomæ quærere in defenſionem Scientiæ Mediæ: magnâ ſolicitudine & diligentiâ, multiſque abhinc annis quærunt in D. Thomâ velamen ad velandam Scientiæ Mediæ deformitatem, nec aliud invenerunt quàm modica folia, quæ vento rapiuntur, de quibus judicet Cordatus Theologus.

CCXLVIIJ. Objiciunt primò, locum ex 3. p. q. 1. a. 3. ad 4. ubi Doctor Angelicus ait, quòd *prædeſtinatio præſupponit præſcuntiam futurornm*: ſed hęc futura non ſunt abſoluta: ergo præſupponit præſcientiam futurorum ſub conditione, ſive Scientiam Mediam. Prob. minor, futura abſoluta ſequuntur ad prædeſtinationem: ergo ab eâ non præſupponuntur.

Reſpondetur negando minorem. Ad Probat. Diſtinguitur Ant. Futura

Digitized by Google

abſoluta, *ut intenta & electa* ſequuntur ad prædeſtinationem negatur. Futura abſoluta ut *exequenda* ſequuntur ad prædeſtinationem, conceditur. Prędeſtinatio enim præſupponit volitionem tam finis, quàm mediorum, & præparat modos, quibus tam finis quàm media, certiſſimè mandentur executioni: Undè ordo executionis ab ęterno præconceptus eſt ipſa prædeſtinatio. Priùs autem tam finis, quàm media debent eſſe volita efficaciter, ac proindè ex vi iſtius volitionis futura inchoativè, quàm excogitetur & præparetur modus executionis ratione cujus ſunt completè futura.

Hanc ſolutionem eſſe ad mentem D. Thomæ patet ex illius verbis: *Dicendum quòd prædeſtinatio præſupponit præſcientiam futurorum: & ideò ſicut Deus prædeſtinat ſalutem alicujus hominis per orationes aliorum implendam; ita etiam prædeſtinavit opus incarnationis in remedium humani peccati.* Id eſt, Priùs Deus voluit V. G. ſalutem Pauli implendam per orationem Stephani, & poſteà prępara vit modos quibus tam oratio Stephani, quàm ſalus Pauli executioni mandarentur. Prædeſtinatio ergo ratione iſtius præparationis præſupponit præſcientiam futurę ſalutis Pauli & orationis futuræ Stephani. Similiter, priùs Deus voluit Filium ſuum incarnari in remedium humani peccati, poſteà excogitavit, & præparavit vias, & modos quibus iſta incarnatio, & humani peccati permiſſio executioni mandarentur. Ipſa ergo Chriſti prędeſtinatio, ratione iſtius prępara tionis pręſupponit præſcientiam Incarnationis futuræ, & peccati humani futuri. Et ſic optimè ſolvitur argumentum, quod ſibi objecerat D. Thomas in hunc modum: Prædeſtinatio eſt æterna: ſed dicitur Rom. 1. de Chriſto: *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute*: ergo etiam ante peccatum, neceſſarium erat Filium Dei incarnari; ad hoc quòd prædeſtinatio Dei impleretur. Reſpondetur enim, quòd prædeſtinatio Chriſti ratione prædictæ præparationis præſupponat peccatum futurum, & ſic ante peccatum non fuit neceſſarium Chriſtum incarnari.

CCXLIX. Objiciunt ſecundò ex q. 24 de veritate, a. 14 ubi docet Angelicus Doctor, quòd omnes exteriores motus à divinâ providentiâ moderantur, ſecundùm quod ipſe judicat aliquem eſſe excitandum ad bonum, his, vel illis actionibus; ergo habet præſcientiam hujus conditionati; *Si poſuero illum in tali occaſione, & actione excitabitur ad bonum.*

Reſpondetur diſtinguendo Antec. Secundùm quod ipſe judicat aliquem eſſe excitandum ex ſpeciali auxilio gratiæ prædeterminantis, conceditur. Ex determinatione liberi arbitrij, negatur. Undè motus exteriores regi à divinâ providentiâ, ſecundùm quod ipſe iudicat aliquem eſſe excitandum, idem valet ac ſi diceretur; motus exteriores regi à divinâ providentiâ ſecundùm quod vult aliquem in diverſis actionibus, & occaſionibus diverſimodè ad bonum excitare. Sicut enim nullus excitatur ad bonum in quâcumque occaſione, niſi priùs Deus voluerit ſuâ gratiâ prædeterminante

Digitized by Google

illum excitare: ita moderari ſecundùm quod judicat aliquem eſſe excitandum, idem eſt, ac moderari, ſecundùm quod vult aliquem excitare.

Quæ ſolutio confirmatur ex ſimili modo explicandi, quo ſe explicat S. Augustinus in opuſculo contra Porphyrium, ubi hæc verba Scientiam Mediam planè jugulantia habet: *Cernitis me ſine præjudicio latentis conſilij Dei, aliarumque cauſarum, hos de præſcientiâ Chriſti dicere voluiſſe, quod convincendæ Pelagianorum infidelitati, qui hanc objecerant quæſtionem ſufficere videtur: Quid enim verius, quàm præſciſſe Chriſtum, qui, & quando, & in quibus locis in eum fuerant credituri? ſed* vtrum prædicato sibi Christo à seipsis habituri essent fidem, an Deo donante svmptvri, id est, utrvm tantummodò eos præscierit, an etiam prædestinaverit Deus, *quærere ac diſſerere tunc neceſſarium non putavi. Proindè quod dixi, tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam* qvando sciebat, et vbi sciebat esse qvi in evm erant creditvri. *Poſſet etiam ſic dici, tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam,* qvando sciebat et ubi sciebat esse qvi electi fvlrant in ipso ante mvndi constitvtionem.

Ex hoc profundiſſimo teſtimonio clariſſimè liquet, idem eſſe apud Augustinvm, Deum præſcire tantùm actum fidei, & illum non prædeſtinare; ac fidei actum non eſſe opus Dei, ſed liberi arbitrij; ſivè qod idem eſt (& optimè vidit P. Annatus diſp. 1. de Scientiâ Mediâ nu. 33. fol 37.) ac Deum non facere quòd homo credat, quia, ut Annatus ex alio teſtimonio colligit, *Manifeſtum eſt hoc cenſeri opus Dei, quod Deus facit, ut homines faciant:* Cùm ergo Molinę diſcipuli dicant Deum prævidere ſolummodò, & non prædiffinire determinationem liberi arbitrij, idem eſt ac ſi dicerent determinationem liberi arbitrij non eſſe opus Dei, nec Deum facere ut homo ſe determinet; quia ſi Deus faceret quòd homo ſe determinet, deberet, ut fatetur Annatus, dictam determinationem non ſolùm prævidere, ſed etiam prædiffinire. E converſo hoc ipſo quòd Moliniſtæ dicant Deum non facere, quòd liberum arbitrium ſe determinet, debent juxta phraſim S. Augustini dicere Deum ſolummodò pręſcire, & non prædeſtinare, quòd liberum arbitrium ſe determinet ad credendum.

Inſuper multùm notandum eſt, quòd S. Augustinus, in hoc teſtimonio intendat convincere Pelagianorum infidelitatem; ac proindè Pelagianorum infidelitas fuit Deum præſcire ſolummodò actum fidei, & illum non prędeſtinare; ſivè quod idem eſt apud P. Annatum, Deum non facere, quòd homines credant, aut ſe determinent ad credendum.

CCL. Obiiciunt tertiò ex 3. p. q. 1. a. 5. ad 2. ubi dicit D. Thomas, quòd ex ijs quos prævidit crediturος, ſi facta fuiſſent miracula apud eos, quibuſdam ſubvenit, & quibuſdam non ſubvenit: ergo antequam vellet ſub-

Digitized by Google

venire habuit Scientiam Mediam, quâ prævidit aliquos credituros ſi facta fuiſſent apud eos miracula.

Reſpondetur D. Thomam loqui ſine prejudicio latentis conſilij, & ideò idem eſt dicere, quos prævidit credituros, ac quos voluit credituros, ſi facta fuiſſent eis miracula quibuſdam ſubvenit quibuſdam non ſubvenit. Nec ſuperflua & fruſtranea eſt prædicta voluntas reſpectu eorum quibus non ſubvenit. Sicut enim Deus ordinavit, quòd omnes homines conſequerentur ſalutem per merita Chriſti; ita etiam de aliquibus ordinavit, quòd iſti omnes acciperent fidem viſis miraculis. Undè ſicut prior ordinatio non eſt fruſtranea, licet non omnibus applicentur merita Chriſti: ita poſterior ordinatio non eſt fruſtranea, licet non omnibus ex prædictis fiant miracula.

CCLJ. Objiciunt quartò ex q. 6. de veritate, a. 3. in quo D. Thomas docet media, quæ præparat prædeſtinatio eſſe defectibilia; & indè infert certitudinem prædeſtinationis ſumi ex multitudine auxiliorum ita concurrentium, ut uno deficiente ſuccedat aliud: ergo ante decretum hujuſmodi præparationis debet ſcire, quænam auxilia deficientibus alijs ſint habitura effectum, quod non poteſt ſcire, niſi quia priùs videt, quòd ſi dentur in talibus circumſtantijs habebunt ſuum effectum, quem in alijs circumſtantijs data non haberent.

Reſpondetur diſtinguendo conſequens. Debet ſcire quænam auxilia deficientibus aliis ſint habitura effectum *ex intrinſecâ ſuâ efficacitate*, conceditur. Quæ ſint habitura effectum *ex determinatione liberi arbitrij*, negatur. Auxilium autem intrinſecé efficax, licet quoad effectum pro quo datur ſit indefectibile; eſt tamen defectibile quoad ſuam entitatem & ideò quot actus diverſos elicit voluntas, tot diverſa debet habere auxilia. Si ergo voluntas ordinaretur ad Beatitudtnem vnico actu acquirendam; Deus præpararet unicum tantùm auxilium. At quia voluntas per varios & multiplices actus debet acquirere Beatitudinem, oportet vt Deus diverſa auxilia præparet, ita ut uno deficiente auxilio, detur aliud ad alium actum. Vlteriùs quia voluntas in ſuis propoſitis eſt mutabilis, pertinet ad divinam providentiam permittere ut aliquando cadat, ac proindè præparet auxilia quibus à caſu reſurgat.

Deus ergo volens creaturam liberam, & in multis mutabilem perducere certò ad ſalutem per multiplices, & varios actus; preparat illi diverſa auxilia quæ licet quo ad ſuam entitatem deficiant; ita tamen ordinantur ut vno deficiente ſuccedat aliud; vel etiam vno auxilio non ſufficiente tollere duritiam cordis, tot præparat Deus quòd ultimum vi præcedentium mollificet totaliter duritiam: ad illum modum quo quis volens aquâ cavare lapidem, & hoc guttatim, tot præparat guttas quot ſufficiunt ad excavationem lapidis. Non enim requiritur ad efficaciam auxilii, quòd ſtatim convertat

convertat durum cor ad Deum perfectiſſimè, ſed ſufficit quòd producendo actum imperfectum, & debilem aliquam mollitiem inducat. Vndè D. Thomas comparat Prædeſtinationem conſervationi ſpeciei per multa individua corruptibilia: quodlibet autem individuum confert aliquid ad conſervationem ſpeciei, quia tamèn quoad ſuam entitatem deficit, præparatur aliud.

Quemadmodùm igitur Deus, ut conſervet ſpeciem perpetuò, & hoc decernat efficaciter, non debet habere aliam ſcientiam à ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ, per quam cognoſcit ſe habere virtutem producendi in infinitum individua. Ita etiam ut Deus efficaciter decernat tranſmiſſionem creaturæ rationalis in ſuum finem, ſufficit Scientia ſimplicis intelligentiæ, per quam Deus cognoſcit diverſa & infinita auxilia efficacia, quibus diverſimodè & multipliciter creaturam rationalem & defectibilem ſine lęſione ſuæ libertatis Movere possit indeclinabiliter et insuperabiliter.

CCLIJ. Hìc cum P. Annato diſp. 4. num. 30 Lectoris conſcientiam appello, utrum ad infallibilitatem prædeſtinationis petitam ex multitudine auxiliorum requiratur, quòd auxilia ſint inefficacia ex determinatione voluntatis, ut volunt Moliniſtæ; an non ſufficiat quòd plura eorum ſint inefficacia ad actum perfectum, efficacia verò quoad actus imperfectos, ut volunt Angelici diſcipuli? peto, inquam, an non Angelici diſcipuli affiniores ſint Magiſtro ſuo comparanti multitudinem auxiliorum requiſitam ad infallibilitatem prædeſtinationis multiudini individuorum requiſitæ ad perpetuitatem ſpeciei, cùm quod libet individuum conferat aliquid ad perpetuitatem, ſicut & quodlibet auxilium aliquid efficit ad converſionem?

Sed eſt aliud, inquit P. Annatus num. 31. in quo S. Thom. eodem loco Scientiam Mediam egregiè innuit, nempè cùm dicit, præſcientiam non importare univerſaliter habitudinem cauſæ reſpectu horum, quorum eſt? & prædeſtinationem addere habitudinem cauſæ ad ea quorum eſt; Ex quo infert Annatus, *eſſe aliquid præſcitum, quod tamen non ſit prædefinitum, quia nec cauſatum: quo principio*, ait, ſtat Scientia Media; ruitque omnis conatus adverſariorum.

Si hoc principio ſtat Scientia Media, brevì apud Cordatos ruet, & modicus adverſariorum conatus adversùs eam prævalebit. Nihil tam certum, quàm peccatum eſſe præſcitum, & non prædefinitum, quia nec cauſatum. Verùm nihil tam falſum, quàm quòd indè ſequatur prędefinitionem futurorum non eſſe rationem ſciendi futura quæ facit Deus; aut quòd per Scientiam Mediam debeant præſciri peccata. Cùm enim eorum, quæ facit, vel ordinat Deus in tempore, præceſſerit ab æterno voluntas ea faciendi, & ordinandi, nihil poteſt eſſe futurum abſolutè, quod Deus non voluerit ab æterno facere abſolutè, nec aliquid conditionatè ordinat,

Digitized by Google

niſi quod ab ęterno voluerit eſſe conditionatè ordinatum. Eſſentia igitur divina nihil repræſentat intellectui divino ut futurum, niſi priùs fuerit determinata per decretum, & eo modo futurum eſſe repræſentat, quo ad illud producendum, vel ordinandum fuerit per decretum determinata. De quo D. Thom. de veritate, q. 3. a. 6. dicit: *Idæa poteſt eſſe ejus, quod nec eſt, nec erit, nec fuit, non tamen eodem modo, ſicut eſt eorum quæ ſunt, vel fuerunt, vel erunt producenda; quia ad ea quæ ſunt, vel fuerunt, vel erunt producenda* DETERMINATUR EX PROPOSITO DIUINÆ VOLUNTATIS *non autem ad ea quæ nec ſunt, nec erunt, nec fuerunt, & ſic hujuſmodi habent quodammodò idæas indeterminatas.*

Peccata autem quæ non facit Deus, fiunt tamen ex defectu cauſæ ſecundæ, cognoſcit Deus certiſſimè in voluntate non removendi defectum cauſę ſecundæ. Etenim eo ipſo quo Deus v. g. non vult removere defectum attentionis ad regulam, Deus certiſſimè ſcit voluntatem peccaturam ſi illam cum tali defectu applicuerit ad operandum.

§. VI. *Quinta objectio de voluntate antecedente, in quâ conciliantur utriuſque Solis diſcipuli: Cum Replicâ de causâ reprobationis*

CCLIIJ. OBijciunt quintò locum lec. 3. in cap. 12. epiſt. ad Hebræos, ubi ait: *Deus vult omnes ſalvos fieri & ideò gratia nulli deeſt, ſed omnibus quantùm in ſe eſt ſe communicat.* Ergo ſecundum D. T. Deus dat omnibus auxilia ſufficientia: ac proindè non indiget homo infirmus auxilio adiuvante *poſſe.*

Reſpondetur, veriſſimum eſſe Deum velle omnes ſalvos fieri tam voluntate conſequente, quàm voluntate antecedente; utrâque enim voluntate Chriſtus mortuus eſt pro omnibus. Vndè meritò damnauit Innocentius X. hanc propoſitionem: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.* Hanc quoque propoſitionem ſicut & alias quatuor ſuperiùs recitatas in omni ſenſu ab Eccleſiâ damnato reijcimus & improbamus. Conceſſo igitur antecedente, diſtinguitur conſequens, ergo Deus dat omnibus auxilia ſufficientia ſi homo non impediat, conceditur, ſi homo impediat negatur. Nam ad ſinceram Dei voluntatem ſalvandi omnes ſufficit quòd Deus reverà ſalvaret omnes, ſi nullus ſuæ ſaluti poneret obicem; ſicut mercator ſinceram habet voluntatem ſervandi merces, eo quòd reverà illas ſervaret, ſi non obſtaret vitæ periculum. Quarè rectè ex hâc voluntate ſalvandi omnes intulit D. Thomas, *& ideò gratia nulli deeſt, ſed omnibus quantum in ſe eſt ſe communicat*; ſiquidem per hanc voluntatem conditionatam ex parte objecti paratus eſt omnibus illam dare ut num. 122 dictum eſt.

Digitized by Google

Caveat tamen fidelis Doctoris Angelici diſcipulus ſic diſtinguere auxilia, ut purè ſufficientia dicat eſſe effectus voluntatis antecedentis, efficacia verò effectus eſſe voluntatis conſequentis. Nam alienum eſt prorsùs à mente D. Thomæ, excludere auxilia efficacia à voluntate antecedente, cùm ſignanter dicat 1. diſt. 46. q. 1, a. 1. quòd *hujus voluntatis effectus eſt ipſe ordo in finem ſalutis &* PROMOUENTIA IN FINEM OMNIBUS COMMVNITER PROPOSITA, *tam naturalia quàm gratuita*. Ordo in finem ſalutis comprehendit ſub ſe tam *poſſe* proximum quàm radicale, quidquid enim tenet ſe ex parte *poſſe* ſeu actus primi nihil aliud facit, quàm ordinare nos in finem ſalutis. Verùm promoventia in finem dicuntur omnia illa auxilia quibus efficaciter obtinetur finis ſalutis; quæ etiam ſunt effectus voluntatis antecedentis non minùs ac ipſa ſalus. Ratio eſt aperta. Sicut enim bonum eſt ſecundùm ſe quòd homo ſalvetur, ita bonum eſt ſecundùm ſe quòd dentur illi auxilia efficacia ad ſalutem: Sed ſalus dicitur effectus voluntatis antecedentis ut eſt abſolutè & ſecundùm ſe bona: ergo & omnia auxilia efficacia erunt effectus voluntatis antecedentis ut etiam ſunt abſolutè & ſecundùm ſe bona. Vera igitur Angelici Solis doctrina eſt, quòd auxilia efficacia ſunt effectus voluntatis antecedentis, ut omnibus communiter propoſita, ſivè oblata; eadem autem ſunt effectus voluntatis conſequentis, ut aliquibus data.

Ex his patet, nullam eſſe inter utriuſque Solis diſcipulos diſcordiam quoad volontatem antecedentem, ſivè conditionatam. Nam conditio illa à Moliniſtis afferri ſolita, quâ dicitur Deus omnium ſalutem optare ſi & ipſi velint, ſubminiſtratâ ipſis quâdam gratiâ ſufficiente, quæ nihil requirat ad agendum, funditùs ab utriuſque Solis diſcipulis reijcitur, vt potè efficaciâ divini auxilij prorſus indigna. verùm illa conditionata voluntas, quâ dicitur Deus omnes homines ſalvos fieri velle, ſi & ipſi velint, id eſt, ſi ſe non impedierint: non ſubminiſtratâ ipſis gratiâ quâdam verſatili, ſed quia verè & ſincerè vult à pravitate ſuâ & duritiâ reſipiſcere, & ad pœnitentiam reverti, ſi propriâ & culpabili perverſitate non ſe impedierint; hæc inquam ratio conditionatæ voluntatis conſtanter ab Angelici diſcipulis defenditur, nec ab Augustini diſcipulis negatur. Non enim præclaram illam Angelici Solis ſententiam repudiant: *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris* PRO ALIQVIBUS EFFICACITER, PRO OMNIBUS SUFFICIENTER, *quia pretium ejus eſt ſufficiens ad ſalutem omnium*, *ſed* NON HABET EFFICACIAM NISI IN ELECTIS PROPTER IMPEDIMENTUM. 1. ad Timoth. 2. lec. 1. in fine.

CCLIV. Inſtabis, hinc ſequi peccatum originale fore cauſam reprobationis, etiam negativæ. Dictum enim eſt, quod denegatio gratiæ efficacis, ut eſt tollens impedimentum vincendo concupiſcentiam, fiat ob peccatum

Digitized by Google

præcedens vel actuale, vel originale. Ergo derelictio in infirmitate ex quâ fit primum hominis peccatum, fiet propter peccatum originale: Atqui illa derelictio eſt primus effectus reprobationis in illo homine: ergo peccatum originale erit cauſa primi effectus reprobationis: ac proindè & cauſa illius.

Reſpondetur admittendo Sequelam ſub diſtinctione. Peccatum originale, *ut eſt infectio naturæ*, erit prima cauſa reprobationis, conceditur. *Vt eſt infectio perſonæ, negatur.* Cum hâc diſtinctione credimus conciliari duas ſententias, ambaſque valdè celebres inter Doctoris Angelici diſcipulos. Hi enim cum Angelico ſuo Præceptore vnanimiter docent, quòd peccatum perſonale Adami infecit naturam, & quòd in poſteris natura infecta infecit perſonam: datur igitur & infectio naturæ, & infectio perſonæ, & poteſt remanere infectio naturæ, ſublatâ infectione perſonæ, vt patet in concupiſcentiâ quæ remanet poſt peccatum. De utrâque hâc diſtinctione ſic loquitur D. Thomas 3. p. q. 8. a. 5. ad 1. *Dicendum, quòd peccatum originale in Adam quod eſt peccatum naturæ, derivatum eſt à peccato actuali ipſius quod eſt peccatum perſonale: quia in eo perſona corrumpit naturam, quâ corruptione mediante peccatum primi hominis derivatur ad poſteros ſecundùm quod natura corrupta corrumpit perſonam.*

CCLV. Ex hâc diſtinctione dico, quòd ſicut tota natura dicitur peccaſſe, quia in omnibus ſuis ſuppoſitis ſeminaliter ex Adam procedentibus peccavit; ſic tota natura fuit punita in hoc, quòd non in omnibus ſuis ſuppoſitis liberetur; ita, ut *non omnium liberatio* ſit punitio totius naturæ; ac proindè punitio peccati originrlis, ut eſt *infectio naturæ*. Deus enim poterat omnes ex maſsâ corruptâ genitos damnare, & poterat omnes ejuſdem maſſę ſalvare; ſi ſalvaſſet omnes ſola miſericordia ſplenderet, & ſola juſtitia ſi damnaſſet omnes. Vt ergo in omnibus vijs ſuis, id eſt, tam in damnatione, quàm in ſalvatione, miſericordia, & veritas, id eſt, juſtitia, obviarent ſibi; quid fecit? Non ſalvavit omnes, nec damnavit omnes. In hoc quòd ſalvat, relucet miſericordia; in hoc verò quòd non omnes ſalvat, ſplendet iuſtitia; ita in hoc quòd damat, relucet juſtitia; in hoc verò quòd non omnes damnat, ſplendet miſericordia. Et ſic clariſſimè utraque Dei perfectio relucet tam in ſalvatione, quàm in damnatione.

Prima ergo voluntas, quam habuit Deus erga reprobos, fuit voluntas non ſalvandi omnes, in punitionem totius naturę, quæ tota illum offenderat. Nec negamus hanc voluntatem non ſalvandi omnes, pluribus alijs titulis gaudere, v. g. ut oſtenderetur gratiam non eſſe debitam, ut etiam oſtenderetur major erga prædeſtinatos miſericordia, ſed ſolùm volumus, quòd ſicut titulo majoris miſericordiæ, & ſimul titulo beneficii indebiti dicitur Deus aliquos reprobare; ita illis duobus titulis potuit Deus adjungere

Digitized by Google

tertium titulum, nempè punitionis totius naturæ, & alios plures; infiniti enim ſunt theſauri Sapientiæ Dei. Ex hâc primâ voluntate diſcrevit illos quos voluit juſtè non liberare ab illis quos voluit miſericorditer liberare; & in illis quos voluit juſtè non liberare, primus reprobationis effectus fuit, vel derelictio in peccato originali, propter eos qui ratione peccati originalis damnantur; vel denegatio auxilii actualis vincentis concupiſcentiam, ſivè ſanantis infirmitatem, propter eos qui damnantur ratione actualis peccati ex infirmitate commiſſi.

CCLVJ. Ad hanc ſolutionem probandam ſufficit oſtendere, quòd peccatum originale, ut eſt *infectio naturæ* poſſit eſſe cauſa reprobationis; quia ſi poſſit, fuit actu, idque propter duo. Primò quia S. Augustinus, quem ſequitur S. Thomas, nihil aliud in hâc materiâ clamat quàm peccatum originale eſſe cauſam reprobationis; verba autem illius ad litteram propriiſſimè, & formaliſſimè intelligi poſſunt de peccato, ut eſt *infectio naturæ*, & durum eſt legenti S. Augustinum, contra ſtimulum tam apertæ authoritatis, cum diſtinctione quoad ſufficientiam calcitrare. Secundò, quia argumentum fortiſſimum, & palmarium illorum, qui negant peccatum originale eſſe cauſam reprobationis, à nullo adhuc vidi ſolutum, licet multas & acutas viderim aliquorum juniorum ſolutiones: hoc tamen argumentum cum prædictâ diſtinctione ita diluitur, ut prædictos authores ad ſe trahat, utramque ſententiam ſibi conciliando.

Nam tota vis illius argnmenti in hoc conſiſtit, quòd in illis qui à peccato originali per baptiſmum liberantur, peccatum originale jam perfectè remiſſum non poteſt puniri, ac proindè permiſſio primi peccati in baptizato non poteſt eſſe volita in pœnam peccati originalis, juxta illud Concilii Tridentini, ex Apoſtolo deſumptum: *Nihil damnationis eſt in iis qui ſunt in Chriſto Ieſu renati.* Hæc argumentatio nullam vim habet contra peccatum, ut eſt *infectio naturæ*, quia licet remittatur per baptiſmum peccatum originale, ut eſt perſonale baptizato, non tamen, ut eſt peccatum totius naturæ; quod patet ex concupiſcentiâ, & morte, aliiſque defectibus, quibus omnibus etiam in baptizatis punitur peccatum totius naturæ, cùm tamen peccatum perſonæ ſit toaliter remiſſum.

CCLVIJ Quòd autem peccatum originale ut eſt *infectio naturæ*, poſſit eſſe cauſa reprobationis, aperta eſt auctoritas S. Thomæ ad Annibaldum 1. Diſt. 41. q. unicâ. a. 3. ubi ait: *Voluntas damnationis reſpicit rationem debiti in damnato: cùm damnatio ex debito inferatur: Quia finis damnationis eſt Dei juſtitia, debitum autem damnationis ex parte noſtrâ, non ſolùm ſunt opera mala hujus vel illius, ſed etiam* natura infectio. Et paulò poſt ſubdit, quòd reprobatio habet pro causâ, *non de neceſſitate præſcientiam operationum, ſed ad hoc ſufficit* præscientia infectionis naturæ. Quid clarius poſſet dici, ad oſten-

dendum quòd ipſa infectio naturæ, non conſideratâ infectione perſonæ, ſit punibilis?

Ratio, quam nuper inſinuavimus, non videtur etiam contemnenda. Deſumitur enim ex aliâ Angelici Præceptoris doctrinâ in 2. diſt. 36. q. 1. a. 4. & q. 1. de Malo a. 4. ubi ſic ait: *Habet hoc traditio fidei, quòd nullum nocumentum creatura rationalis poſſet incurrere, neque quantum ad animam, neque quantum ad corpus, neque quantum ad aliqua exteriora, niſi peccato præcedente,* VEL IN PERSONÂ, VEL SALTEM IN NATURÂ: *& ſic ſequitur, quòd omnis talis boni privatio, quo uti quis poteſt ad benè operandum, in hominibus pœna dicatur: & pari ratione in Angelis, & ſic omne malum rationalis creaturæ, vel ſub culpâ, vel ſub pœnâ continetur.*

Ex quâ doctrinâ ſic formatur argumentum. In baptizatis remanens concupiſcentia, & alii defectus, quibus homo impeditur ad benè operandum habent rationem pœnæ propter reſpectum ad peccatum originale, *ut præceſſit in naturâ:* ergo ſimiliter per reſpectum ad præcedentem infectionem naturæ poterit Deus denegare homini baptizato GRATIAM VICTRICEM ad vitandum primum peccatum.

Confirmatur. Certum eſt, quòd natura humana in omnibus ſuis ſuppoſitis ſeminaliter ab Adam deſcendentibus peccavit in Adam. Certum quoque eſt quòd non reparetur in omnibus ſuis ſuppoſitis. Iſta voluntas quam habuit Deus non ſalvandi omnes habuit ſufficiens motivum ex peccato omnium: ergo ſicut Deus denegat baptizato GRATIAM VICTRICEM ex voluntate non ſalvandi ipſum, ita & poteſt ei denegare ex voluntate non ſalvandi omnes ortâ ex peccato omnium, ſivè quod idem eſt, ex peccato originali, ut eſt *infectio naturæ*: ſi poteſt, fecit, propter rationes num. 256. datas.

APPENDIX AD §. VJ.

* *De causâ Prædeſtinationis & Reprobationis.*

VT Doctrina ſolutionis datæ §. præced. evidentior fiat; nihilque deſit ad intentatam utriuſque Solis concordiam, addimus præſentem Appendicem: in quâ, prætermiſſis omnibus ſcholæ ſubtilitatibus, cauſam prædeſtinationis & reprobationis tam in Angelis, quàm in hominibus in ſuâ radice, Deo prædeterminante, & utroque Eccleſiæ Sole prælucente detegemus, ſaluo ſemper meliori judicio. Claritatis verò gratiâ eam in diverſas Sectiones ſecabimus.

Digitized by Google

SECTIO PRIMA.

Declaratur, quid nomine Prædeſtinationis & Reprobationis intelligamus; & quâ ratione earum cauſa ſit inveſtiganda.

QUamvis Prædeſtinatio & reprobatio, ſint in recto actus intellectus, & quidem imperii, juxta profundam Angelicæ Scholæ ſubtilitatem; attamen in ordine ad earum cauſam non attenditur actus intellectus, quem in recto dicunt, ſed actus voluntatis præſuppoſitivè connotatus. Ita Magiſter Noſter Doctor Eccleſiæ Communis 1. p. q. 23. a. 5. *Reſpondeo dicendum, quòd cùm prædeſtinatio includat voluntatem (ut ſuprà dictum eſt) ſic inquirenda eſt ratio prædeſtinationis, ſicut inquiritur ratio divinæ voluntatis.* Eadem eſt ratio de reprobatione. Duas autem voluntates includunt tam prædeſtinatio, quàm reprobatio ſecundùm Angelicum lumen: ut clarè ſplendet ibid. art. 3. his verbis: *Sicut enim prædeſtinatio includit voluntatem conferendi gratiam & gloriam: ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpâ.* Quod conformiter ad Magiſtrum ſuum S. AUGUSTINUM, ut quid ex principiis ejus deductum docuit.

Nam S. AUGUSTINUS conſtanter aſſerit, & pro principio habet illud cadere ſub prædeſtinatione, quod facit Deus; nec prædeſtinationis nomine aliud quidpiam intelligit, quàm voluntatem Dei æternam eorum quæ facit Deus in tempore. Sic ſe explicat lib. de prædeſt. SS. cap. 10. dicens: *Prædeſtinatio ſine præſcientiâ non poteſt eſſe, poteſt autem eſſe ſine prædeterminatione præſcientia. Prædeſtinatione quippè Deus ea præſcivit*, QUÆ FUIT IPSE FACTURUS. Et de dono perſev. cap. 17. *In ſuâ, quæ falli mutarique non poteſt præſcientiâ* OPERA SUA FUTURA DISPONERE, *id omninò, nec aliud quidquam eſt* PRÆDESTINARE. Cùm ergo tam gratiam quàm gloriam faciat & donet Deus, & in ſuâ præſcientiâ utramque diſponat, convenientiſſimè ad mentem præceptoris ſui expoſuit Sol Angelicus, prædeſtinationem includere voluntatem conferendi gratiam & gloriam. Reprobationem verò includere voluntatem permittendi culpam & inferendi pœnam; ſiquidem non minùs eſt opus Dei permiſſio culpæ, quàm inflictio pœnæ, nec minùs in ſuâ præſcientiâ diſponit permiſſionem culpæ, quàm inflictionem pœnæ.

Quapropter ad aſſignandam prædeſtinationis & reprobationis cauſam obſervanda ſemper eſt regula Angelica quæ 1. p. q. 23. a. 5. aſſignatur his verbis: *Non eſt aſſignare cauſam divinæ voluntatis ex parte actus volendi: ſed poteſt*

Digitized by Google

aſſignari ratio ex parte volitorum, in quantum ſcilicet Deus vult eſſe aliquid propter aliud. Non eſt igitur aſſignare cauſam prædeſtinationis & reprobationis ex parte actus prædeſtinantis: ſed poteſt aſſignari ratio ex parte effectus prædeſtinati, inquantum Deus vult unum effectum prædeſtinationis & reprobationis eſſe propter alium.

Veruntamen effectum prædeſtinationis, (inquit præceptor noſter ibid.) „ poſſumus conſiderare dupliciter; uno modo in particulari, & ſic nihil „ prohibet aliquem effectum prædeſtinationis eſſe cauſam & rationem alte- „ rius. Poſteriorem quidem prioris ſecundùm rationem cauſæ meritoriæ, „ quæ reducitur ad diſpoſitionem materiæ. Sicut ſi dicamus, quòd Deus „ præordinavit ſe daturum alicui gloriam ex meritis; & quòd præordinavit „ ſe daturum alicui gratiam ut mereretur gloriam. Alio modo poteſt con- „ ſiderari prædeſtinationis effectus in communi. Et ſic impoſſibile eſt, quòd „ totus prædeſtinationis effectus in communi habeat aliquam cauſam. Quià „ quidquid eſt in homine ordinans ipſum in ſalutem comprehenditur to- „ tum ſub effectu prædeſtinationis, etiam ipſa præparatio ad gratiam.

Quibus verbis patet, primum prædeſtinationis effectum debere habere cauſam, ut prædeſtinatio dicatur habere cauſam. Nam prędeſtinatio non habet cauſam niſi totus effectus habuerit cauſam, ut ait D. Thomas. Ex hoc quòd primus effectus ſit cauſa ſecundi, & ſecundus ſit cauſa primi in diverſo genere cauſæ, non ideò totus effectus dicitur habere cauſam: ergo ex hoc ſolummodò dicetur totus effectus habere cauſam, quòd primus eam habeat ſine mutuâ cauſalitate & dependentiâ. Qui igitur inquirere vult, quæ ſit cauſa prædeſtinationis, inquirere debet, quæ ſit cauſa primi effectus prædeſtinationis.

Dictum eſt ex utroque Eccleſiæ Sole, prædeſtinationem eſſe voluntatem conferendi gratiam & gloriam: primus igitur effectus prędeſtinationis eſt gratia. Ut ſciatur quid per gratiam intelligatur, cautè obſervandum eſt, quòd D. Thomas non dixit prædeſtinationem eſſe voluntatem conferendi *gratiam, vel gloriam* in ſenſu disjunctivo, ad cujus veritatem ſufficeret voluntas conferendi gratiam; ſed copulativè dixit *gratiam & gloriam*. Cùm enim prædeſtinatione tranſmittatur creatura rationalis in ſuum finem, & gratia non ſit finis, ſed gloria; neceſsè eſt ut voluntas dandi gratiam, quam includit prędeſtinatio, ſit voluntas dandi gratiam perducentem cum effectu ad gloriam. Cùm etiam gloria ſub ratione coronæ intendatur, & opera gloriæ proportionata debeant procedere ex gratiâ, ſivè principio ſupernaturali, neceſſarium eſt, ut voluntas dandi gloriam, quam includit prædeſtinatio, ſit voluntas dandi gloriam per opera procedentiâ à gratiâ.

Manifeſtum eſt, quòd gratia perducens cum effectu ad gloriam non ſolùm nominet auxilium habituale, ſed habituale conjunctum actuali; ſiquidem habitus

Digitized by Google

habitus ſine actibus non perducunt cum effectu ad gloriam. Ex quo apertè ſequitur, quòd auxilium ſufficiens non habens aliquem actum influentem in gloriam non poſſit eſſe effectus prædeſtinationis, ſed oporteat ipſum conjungi cum auxilio efficaci ut ſit prædeſtinationis effectus: ac proindè voluntas dandi gratiam, quam includit prædeſtinatio, eſt voluntas dandi quodcumque auxilium efficaciter perducens ad gloriam; & gratia, quæ eſt effectus prædeſtinationis, involuit quodcumque auxilium efficaciter perducens ad gloriam: & conſequenter primus prædeſtinationis effectus erit primum auxilium (quodcumque ſit illud) efficaciter perducens ad gloriam.

Eodem proportionali modo diſcurrendum eſt de reprobatione. Non etiam in ſenſu disjunctivo dictum eſt, quòd reprobatio ſit voluntas *permittendi culpam, vel inferendi pœnam*; ſed copulativè *permittendi & puniendi*. Undè neceſſe eſt ut voluntas permittendi culpam, quam includit reprobatio, ſit voluntas permittendi culpam æternâ pœnâ puniendam: ac proindè permiſſio cujuslibet culpæ æternâ pœnâ puniendæ eſt effectus reprobationis; & permiſſio primi peccati æternâ pœnâ puniendi erit primus effectus reprobationis. Concludamus igitur, dari cauſam prædeſtinationis ſi detur ex parte creaturæ cauſa primi auxilii efficaciter perducentis ad gloriam: dari quoque cauſam reprobationis, ſi detur cauſa permiſſionis primi peccati æternâ pœnâ puniendi. Si verò neutrius ſit aliqua ex parte creaturæ cauſa, nulla etiam & prædeſtinationis, & reprobationis erit cauſa.

Hæc ſunt Angelici Solis principia, quibus omnis caligo mentium in præſenti luculentiſſimè diſſipatur; & quibus tutiſſima & inconcuſſa intelliguntur eſſe tam diſcipuli quàm Magiſtri dogmata. Illis igitur firmiter eſt inhærendum, ſi quis noluerit eſſe de veritate ſuſpectus.

SECTIO SECUNDA.

Voluntas conferendi coronam gloriæ poteſt eſſe ſine prævisione meritorum: ſecùs voluntas inferendi pœnam.

NOn conſideramus in hac ſectione prædeſtinationem & reprobationem adæquatè ſecundùm geminam, quam includunt, voluntatem: ſolùm voluntatem conferendi coronam gloriæ comparamus cum voluntate inferendi pœnam: & quid poſſit fieri, non quid factum fuerit inquirimus. Quidam æquiparant iſtas duas voluntates, & putant voluntatem puniendi poſſe eſſe ſine præviſione peccatorum ſicut voluntas coronandi poteſt eſſe ſine præviſione meritorum. Alii utramque voluntatem

Digitized by Google

tam coronandi, quàm puniendi aſſerunt præſupponere merita.

Verùm falluntur defectu diſtinctionis inter coronam & pœnam. Certum eſt, quòd corona non ſit ſine meritis, quæ coronentur; nec pœna ſine peccatis, quæ puniantur. Differentia eſt, quòd ratio coronæ ſit quid de ſe bonum, ratio pœnæ ſit quid de ſe malum. Ex quo oritur quòd ratio coronæ poſſit eſſe quidam modus excellentior habendi aliquod bonum; & ideò ſi ſit aliquid bonum, quod non debeatur alicui, nec modus excellentior habendi tale bonum erit alicui debitus; ergo nec modus habendi tale bonum per modum coronæ erit alicui debitus.

Quarè ſicut ſine ullâ prævisione meritorum Petri poſſum velle efficaciter dare aliquod bonum non debitum Petro, v. g. canonicatum, dummodò ſciam collationem canonicatus eſſe in meâ poteſtate; ita ſine ullâ prævisione meritorum Petri, poſſum velle ut canonicatum, quem volo illi dare, excellentiori modo habeat, nempè ſub ratione coronæ, dummodò ſciam tam collationem canonicatus, quàm collationem meritorum eſſe in meâ poteſtate. Nullam enim Petro facio injuriam, ſed magnum beneficium, quòd velim ipſi canonicatum independenter à ſuis meritis, & quòd ex voluntate illâ, quâ volo ut canonicatum dignè poſſideat, præparem illi conferre merita, quibus reddatur dignus canonicatu.

Ita concipiamus, quòd Deus independenter à meritis Petri velit dare illi gloriam; deindè velit quòd iſtam gloriam quam vult dare Petro independenter à ſuis meritis, Petrus habeat perfectiori modo, nempè ſub ratione coronæ. Quod concepimus fieri duobus actibus, concipiamus iterum fieri uno actu, quo ſcilicet & gloria ſit volita & ſimul modus perfectior habendi gloriam ſub ratione coronę. Manifeſtum eſt ad iſtum unicum actum non debere præſupponi merita; ſed ſufficere, quòd Deus habeat in ſuâ poteſtate quæcumque merita, quæ vi iſtius unici actus in ſequenti ſigno præparabit: nec ullam injuriam facit Deus Petro, ſed ſummum & ingens beneficium, decernendo illi dare gloriam per modum coronæ, ſine ullâ prævisione meritorum.

Non ſic ſe habet pœna. Nam pœna, cùm ſit quid de ſe malum, non poteſt ſecundùm ſe eſſe volita: & velle malum alicujus non eſt de ſe laudabile; ſed pœna fit bona, ſi fuerit juſta, non eſt autem juſta, ſi non ſit debita propter aliquod demeritum. Undè voluntas inferendi pœnam abſtrahendo à demeritis non eſt juſta, nec laudabilis. Ad majorem iſtius evidentiam obſervandum venit, quòd in ſimili docet D. Thomas 2. 2. q. 124. a. 3. ubi ait, quòd *tolerare mortem non eſt laudabile ſecundùm ſe ſed ſolùm ſecundùm quod ordinatur ad aliquod bonum, quod conſiſtit in actu virtutis, puta ad fidem & dilectionem Dei.* Ita dicimus, quòd infligere pœnam non eſt laudabile ſecundùm ſe, ſed ſecundùm quod ex ordine ad demeritum ſit juſta:

Digitized by Google

& ideò ſicut aliquis peccaret, ſi abſque tali fine ſe exponeret periculo mortis; ita legiſlator & Judex peccat, ſi abſque prævitione demeritorum velit infligere pœnam.

Hoc attendens S. AUGUSTINUS epiſt. 106. ad Paulinum contra Pelagianos exaratâ dixit: *Piè namque & veraciter creditur Deus nocentes atque impios juſtificando à pœnis debitis liberare: quemquam verò immeritum & nulli obnoxium peccato, ſi Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.* Et infrà in hâc eâdem epiſtolâ: hoc vocat *abſurdiſſimum, & à juſtitiâ Dei penitùs alienum.*

DICES. Quod eſt utile ad aliquem finem bonum accipit ex eo bonitatem: ſed inflictio pœnæ eſt utilis ad manifeſtationem divinæ juſtitię: ergo accipit ex eâ bonitatem: & conſequenter ſicut Deus ex amore, quo amat ſuam juſtitiam, ſicut & alia attributa, poteſt independenter à demeritis velle manifeſtare ſuam juſtitiam; ita & independenter à demeritis poterit velle inflictionem pœnæ ſub eâ ratione, quâ eſt utilis ad manifeſtationem divinę juſtitiæ.

RESPONDETUR, Diſtinguendo minorem. Inflictio pœnæ juſtæ eſt utilis ad manifeſtationem divinæ juſtitiæ, conceditur. Inflictio pœnæ non juſtę negatur. Ut pœna ſit juſta debet eſſe inflictio mali debiti propter aliquod demeritum: non ergo utilis erit ad manifeſtationem juſtitiæ niſi prævideatur demeritum. In hoc, ut dictum eſt, differt pœna à coronâ, quòd corona poſſit eſſe circa bonum indebitum, inquantum eſt modus quidam excellentior habendi bonum indebitum: pœna autem ſemper verſari debet circa malum debitum, alioqui laudabilis non erit.

Hinc naſcitur, quòd voluntas manifeſtandi miſericordiam imperat voluntatem conferendi gloriam ut coronam, & hæc voluntas imperat voluntatem conferendi gratiam efficientem merita. At voluntas manifeſtandi juſtitiam, duas immediatè imperat voluntates, voluntatem ſcilicet permittendi culpam, & voluntatem inferendi pœnam, non unam ſine aliâ, ſed cum mutuâ dependentiâ in eodem rationis inſtanti *in quo.*

SECTIO TERTIA.

Nullam fuiſſe cauſam prædeſtinationis Angelorum, demonſtratur.

AD id, quod factum eſt, doctrinam utriuſque Solis applicamus, & primò de Angelis, ſecundò de hominibus: primò de prędeſtinatione, ſecundò de reprobatione.

DICO PRIMÒ, Prędeſtinationem Angelorum factam fuiſſe ſine prævisione meritorum. Aſſertionem iſtam efficaciter probant omnia illa gemini

Digitized by Google

Solis loca, quibus in hoc opuſculo Scientiam Mediam SS. AUGUSTINO & THOMÆ adverſari evicimus, & quibus prædictam Scientiam cum omnipotentiâ divinâ demonſtravimus eſſe incompoſſibilem. Non enim ſine uſu Scientiæ Mediæ poteſt haberi præſcientia meritorum: nec prædeſtinatio aliquid decernit, niſi priùs Scientia exploraverit.

Verùm alio ad hominem, ut loqui ſolent, argumento aſſertionem noſtram in præſenti probamus, quod ſub hâc formâ proponimus. Prædeſtinatio gratuita Angelorum non deſtruit diſtinctionem, quam conſtanter ponit S. AUGUSTINUS inter gratiam datam Angelis ſanis, & gratiam datam hominibus infirmis: ergo prædeſtinatio Angelorum eſt gratuita. Patet conſeq. ex eo quòd Adverſarij, contra quos principaliter concludimus, nullâ aliâ ratione moventur ad negandum gratuitam Angelorum prædeſtinationem, quàm quòd cum illâ non poſſit ſtare prædicta diſtinctio adjutorij ſanitatis, & adjutorij infirmitatis. Difficile enim intellectu videtur uſum gratiæ eſſe à libero arbitrio ad nutum voluntatis, ejuſque beneplacitum, & talem uſum eſſe efficaciter à Deo prædeterminatum.

Prob. ant. Gratia prædeterminans ex præcedente actu eſt adjutorium ſanitatis, gratia prædeterminans independenter ab actu præcedente eſt adjutorium infirmitatis. Prædeſtinatio gratuita non deſtruit duas illas gratias: quia utraque gratia eſt opus Dei, prædeſtinatione autem preſcit Deus quæ eſt ipſe facturus, ait S. AUGUSTINUS. Quarè diſtinguendæ ſunt duæ prædeſtinationes gratuitæ, non ex parte finis, ſed ex parte modi tranſmittendi in finem. Ad eumdem enim finem duplici viâ pervenitur, ex propriâ, ſcilicet, directione & applicatione, vel ex ſpeciali alterius directione & applicatione. Alia eſt ergo prædeſtinatio, quę præparat auxilia, quibus creatura rationalis ſe dirigat & applicet ad ſuos actus: & poteſt vocari univerſalis, quia licet ex parte finis naturam ſuperexcedentis ſit ſpecialis, ex modo tamen providendi eſt univerſalis eo quòd ſolo concurſu generali prædeterminante executioni mandetur. Alia eſt prædeſtinatio, quæ præparat auxilia, quibus creatura rationalis ſpecialiter ab alio dirigatur & applicetur ad ſuos actus; & poteſt vocari ſpecialis propter ſpecialia auxilia, quæ præparantur à Deo ut agente particulari. Auxilia univerſalia dicimus eſſe prædeterminantia dependenter ab actu præcedente. Auxilia ſpecialia dicimus eſſe prædeterminantia independenter ab actu præcedente.

Cum hâc tam auxiliorum quàm prædeſtinationis diſtinctione optimè conciliatur DOCTRINA AUGUSTINIANA. Nam ad eam ſufficit, quòd natura ſana ita prædeſtinetur, ut in ſuâ poteſtate habeat ſuos actus utendo gratiæ habitibus ad nutum propriæ voluntatis: natura verò infirma ita prædeſtinetur, ut in alterius poteſtate habeat ſuos actus utendo gratiæ habitibus

Digitized by Google

ad nutum alienæ voluntatis: ſed utrumque iſtorum poteſt Deus prædeſtinare gratis; quia ſcit Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentię ſe habere auxilia de ſe efficacia quibus natura ſana utatur gratię habitibus ad nutum propriæ voluntatis, ſcit etiam ſe habere auxilia de ſe efficacia, quibus natura infirma utatur gratiæ habitibus ad nutum alienæ voluntatis: ergo cum prædeſtinatione gratuitâ optimè ſaluatur Doctrina Augustiniana.

Si prædeſtinatio gratuita ſit voluntas gratuita dandi gratiam & gloriam, ſequitur, quòd prædeſtinatio gratuita Angelorum non ſit aliud, quàm voluntas gratuita dandi gratiam prædeterminantem ex actu præcedente & gloriam à peccato non liberantem: eo enim ipſo quòd gratia prædeterminet ex præcedente actu, utuntur Angeli habitibus gratiæ ad nutum propriæ voluntatis.

Ex quo patet, futile eſſe hujuſmodi argumentum: *Angelus ſtetit per liberum arbitrium: ergo non fuit prædeſtinatus ad ſtandum.* Vel enim, Deus fecit, quòd Angelus ſtaret per liberum arbitrium? vel non fecit? ſi fecit; ergo juxta S. Augustinum prædeſtinavit. Si non fecit; ergo, quòd *Angelus ſtet per liberum arbitrium*, non cadit ſub omnipotentiſſimâ Dei poteſtate. Dicant, quæſo, Adverſarii, an minùs fuerit in poteſtate Chriſti Domini *ponere animam ſuam*, quàm in poteſtate Angelorum *ſtare?* & an non æquè potenter Chriſtus *per liberum arbitrium poſuerit animam ſuam*, ac Angeli per *liberum arbitrium ſteterint?* & tamen ipſe Chriſtus confitebatur, omnia opera ſua ſibi data eſſe à Patre, nec ſe poſſe quidquam facere à ſeipſo, ſed Patrem in ipſo manentem omnia facere, Joann. 5. 7. 8. 14.

Undè invincibile formo argumentum: Non minùs per liberum arbitrium adimplevit Chriſtus præceptum moriendi, quàm per liberum arbitrium adimplevit Angelus præceptum diligendi vſque in finem. Volo dicere quòd adimpletio præcepti non minùs in Chriſto Domino fuit opus liberi arbitrii & ad nutum propriæ voluntatis, quàm in Angelis. Sed adimpletionem præcepti accepit Chriſtus à Patre, nec in eâ fecit quidquam à ſeipſo: ergo & in Angelis utrumque poterit verificari, nempè quòd adimpletio præcepti de diligendo Deo uſquè in finem, fuerit opus liberi arbitrii ac ad nutum proprię voluntatis; & nihilominùs eandem adimpletionem præcepti acceperint Angeli à Deo, nec in eâ quidquam fecerint à ſeipſis: & conſequenter ſicut non valet in Chriſto, *Chriſtus poſuit animam ſuam per liberum arbitrium: ergo non eſt prædeſtinatus ad ponendum animam ſuam*; ita non valet in Angelis, *Angeli ſteterunt per liberum arbitrium, ergo non ſunt prædeſtinati ad ſtandum.*

Fundatur hoc argumentum in S. Augustino, qui exponens illud Pſalm. 3. quod Chriſtus dicit ad Patrem, *gloria mea*, ſic ait: *gloriam ſuam Deum dicit etiam ille, quem ſic ſuſcepit Dei verbum vt ſimul cum eo Deus fieret. Diſcant*

Digitized by Google

ſuperbi qui non libenter audiunt cùm eis dicitur, quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Si in Chriſto verificantur illa verba Apoſtoli, quidni & in Angelis? Iudicet Cordatus Theologus.

SECTIO QUARTA.

Reprobatio Angelorum fuit etiam ſine præviſione meritorum; ortum tamen, ſeu occaſionem accepit ex defectibilitate arbitrii.

Dico Secundò, Reprobationem Angelorum adæquatè ſumptam fuiſſe ſine præviſione meritorum; occaſionem tamen accepit ex defectibilitate arbitrii, quæ fuit quoddam quaſi obſtaculum ſalutis omnium Angelorum. Aſſertio iſta, quoad primam ejus partem de independentiâ à meritis, nobis certa videtur, nec ab vllo poſſe cordatè negari.

Probatur hâc firmiſſimâ ratione. Primus effectus reprobationis Angelorum adæquatè ſumptæ fuit ſine præviſione meritorum: ergo & reprobatio Angelorum adæquatè ſumpta fuit ſine præviſione meritorum. Patet conſeq. ex ſect. 1. Prob. ant. Permiſſio primi peccati æternâ pœnâ puniendi fuit in Angelis ſine præviſione meritorum: ſed talis permiſſio eſt primus effectus reprobationis Angelorum adæquatè ſumptæ: ergo, &c. Major eſt aperta, quia cùm peccatum ſit ipſum demeritum, permiſſionem primi peccati nullum poteſt antecedere demeritum, alioqui primum non eſſet. Minor etiam ex dictis liquet: Siquidem reprobatio adæquatè ſumpta includit voluntatem permittendi peccatum puniendum & voluntatem puniendi peccatum permiſſum: effectus ergo reprobationis adæquatè ſumptæ eſt permiſſio culpæ puniendæ & punitio culpæ permiſſæ. Permiſſio antecedit punitionem; & inter permiſſiones illa eſt prior, quæ eſt primi peccati puniendi. Permiſſio igitur primi peccati æternâ pœnâ puniendi eſt primus effectus reprobationis adæquatè ſumptæ; & conſequenter ubi illa fuerit ſine præviſione meritorum, & reprobatio adæquatè ſumpta erit ſine præviſione meritorum.

Ex eodem principio manifeſta fit ſecunda pars noſtræ aſſertionis, quâ diximus reprobationem adæquatè ſumptam occaſionem habuiſſe ex defectibilitate arbitrii, ita vt verificetur hæc conditionalis; *nullum Angelum Deus reprobaſſet, ſi non obſtitiſſet defectibilitas arbitrii.* Nam eamdem habet occaſionem reprobatio adæquatè ſumpta, quam habet permiſſio peccati: conſtat autem permiſſionem peccati occaſionem accepiſſe ex defectibilitate arbitrii, quæ non eſt ex Deo, ſed ex conditione creaturæ rationalis,

Digitized by Google

eo ipſo quòd ſit ex nihilo. *Quamvis* (ait D. Thomas in 2. diſt. 37. q. 2. a. 1. ad 2.) *voluntas ſit creata à Deo, inquantum eſt quoddam ens, non tamen quantum ad hoc, quòd defectus ex ipsâ incidere poteſt. Quamvis autem Deus ſit cauſa voluntatis faciens eam ex nihilo, hoc tamen quòd eſt ex nihilo eſſe, non habet ab alio, ſed à ſe, vnde ſecundùm hoc non habet cauſam aliam: & ideò defectus, qui ſequitur ex ipsâ ſecundùm quod eſt ex nihilo, non oportet quod in ulteriorem cauſam reducatur.*

Quam doctrinam hauſit ex ſapientiſſimo Magiſtro ſuo S. AUGUSTINO lib. 12. de ciuit. Dei cap. 6. & 7. ubi inter alia plura ait: *Hoc ſcio, naturam Dei nunquam, nuſquam, nullâ ex parte poſſe deficere: & ea poſſe deficere quæ ex nihilo facta ſunt.* Quòd Latiùs explicat S. Fulgentius lib. de Fide ad Petrum cap. 3. ubi ita de Deo loquitur: *Et quia ſummè bonus eſt, dedit omnibus naturis, quas fecit, ut bonæ ſint: non tamen tantùm bonæ, quantùm Creator omnium bonorum, qui non ſolùm ſummè bonus, ſed etiam ſummum atque incommutabile bonum eſt, quia æternum bonum eſt,* NULLUM HABENS DEFECTUM, QUIA NON EX NIHILO FACTUM: *nullum habens profectum, quia nullum habens initium. Ideò quippè naturæ à Deo facta proficere poſſunt, quia eſſe cæperunt:* IDEÒ DEFICERE, QUIA EX NIHILO FACTÆ SUNT. *Ad defectum eas conditio ducit originis; ad profectum verò provehit operatio Creatoris.*

Indè oritur, quòd permiſſio peccati ſit ſolùm de ſecundariâ intentione Dei. Nam primum eſt, quod ex Deo eſt; ſecundum, quod ex creaturâ eſt: & ſumma Dei bonitas nulli ſe denegaret, ſi conditio naturæ non ſe opponeret. Nam, ut D. Thomas 1. p. q. 48. a. 2. ad 3. ait: *Providentiæ non eſt naturam deſtruere, ſed ſalvare: ut Dioniſ. dicit 4. cap. de divin. nomin. Ipſa autem natura rerum hoc habet, ut quæ deficere poſſunt, quandoque deficiant.*

Permittit igitur Deus aliquos cadere in culpam, ut in eis manifeſtetur defectibilitas arbitrii, quam ſolam habet ex ſeipſo. Verùm quia iſta defectibilitas nuſquam ita relucet, quàm ubi maxima fuerit arbitrii poteſtas, ut Deus oſtenderet, quid valet liberum arbitrium non adjutum, permiſit eos cadere, qui maximè potentes erant, tùm ob perfectam naturæ ſanitatem, nullo eis interiùs concupiſcentialiter reſiſtente, tùm ob plenitudinem ſapientiæ & caſtiſſimum Dei amorem, in quibus conditi fuerant tam in naturalibus, quàm in ſupernaturalibus. Ad eos enim refertur quod habetur. Ezech. 28. *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiâ, & perfectus decore in deliciis paradiſi Dei fuiſti: omnis lapis pretioſus operimentum tuum, &c. Tu Cherub extenſus & protegens; & poſui te in monte ſancto Dei in medio lapidum ignitorum ambulaſti. Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa eſt iniquitas in te.* Eorum caſum quis admirans (Job. cap. 4.) exclamat: *Ecce qui ſerviunt ei non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit pravitatem: quantò magis hi, qui habitant domos luteas, &c.*

Digitized by Google

Hanc cauſam reprobationis Angelorum adęquatè ſumptæ, ſivè permiſſionis peccati, credimus aſſignaſſe S. Augustinum, dum lib. de correp. & grat. cap. 10. dixit: *Deum ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, ut in eâ priùs oſtenderet quid poſſet eorum liberum arbitrium, deindè quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium juſtitiæque judicium.* Et tract. de cantico novo cap. 8. *Quid enim valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipſo Adam demonſtratum eſt, ad malum ſufficit ſibi, ad bonum non niſi adjuuetur à Deo.* Nec huic doctrinæ contrariatur, quòd reprobationem dicat S. Augustinus præſupponere merita; ſumit enim eam inadęquatè pro voluntate inferendi damnationis pœnam. De voluntate autem permittendi culpam planè nobis conſentit: Siquidem lib. 11. de gen. ad litt. c. 8. de Angelis malis ſic obiicit & reſpondet: Sed poſſet Deus, inquiunt, etiam ipſorum voluntatem in bonum convertere, quoniam omnipotens eſt. Poſſet planè, cur ergo non fecit? Quia noluit; cur noluerit, penes ipſum eſt. Ex ſententiâ igitur S. Augustini referendum eſt ad inſcrutabile Dei conſilium, cur in ipſis etiam Angelis aliorum voluntatem ad bonum convertere placuerit; aliorum non voluerit; cùm utrumque fuerit æqualiter in ejus poteſtate.

Quarè una eſt quoad reprobationem utriuſque Solis ſententia. Uterque docet, voluntatem inferendi pœnam non eſſe in Deo ante præviſa merita. Uterque docet voluntatem permittendi primum peccatum eſſe ab aliquo præcedente merito independentem. Differentia ſolùm eſſe poteſt quòd utramque voluntatem nomine reprobationis Sol Angelicus intellexerit, Sanctus verò Augustinus ſolam voluntatem puniendi pro reprobatione acceperit. Cujus diverſitatis ratio ſumi poteſt ex diverſo ſcribendi ſcopo, ad quem ſinguli deſtinati ſunt. Præcipua S. Augustini intentio verſabatur in impugnatione hæreticorum negantium peccatum originale, quos fortiter urgebat ex miſeriis, cum quibus naſcimur, ex ignorantiâ, quâ laboramus in agendis, ex conflictu concupiſcentiæ, quæ omnia pœnas eſſe demonſtrabat & conſequenter eſſe aliquod originis peccatum, quod tantis pœnis puniretur. Ideò frequenter inculcabat hoc principium; *quemquam immeritum & nulli obnoxium peccato, ſi Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur*; efficaciterque hæreticos convincebat, ſi Deus non foret ultor, antequam quis eſſet peccator.

Doctor autem Eccleſiæ communis ad illuminationem ſapientum ſpecialiter deſtinatus, vidit ſecundùm ſanam philoſophiam pertinere ad Dei providentiam permiſſionem malorum; vidit etiam ſecundùm ſacram SS. Patrum Theologiam, ſpecialem habere Deum de creaturâ rationali providentiam; eamque dividi in prædeſtinationem & reprobationem. Rapiens ergo à philoſophis veritatem, quam ſicut injuſti poſſeſſores habebant circa providentiam malorum, ſubjecit philoſophiam Theologiæ ſicut ancillam

Dominæ,

Dominæ, includendo in reprobatione (quæ eſt pars providentiæ, quam ſpecialiter Deus habet de creaturâ rationali) voluntatem permittendi peccatum æternâ pœnâ puniendum: quo demonſtravit, doctrinam fidei de reprobatione aliquorum nihil adverſari ſanę philoſophiæ.

SECTIO QVINTA.

Prædeſtinatio hominum & adæquatè & inadæquatè ſumpta fuit ſine prævisione meritorum; non tamen ſine prævisione peccati originalis.

LUmine utriuſque Solis omnem circa Angelorum prædeſtinationem & reprobationem diſſipavimus mentis noſtræ caliginem; quâ circumfundi neceſſe eſt eos, qui THOMAM in AUGUSTINO & AUGUSTINUM in THOMÂ non legunt. Eodem prorsùs lumine quæ circa prædeſtinationem hominum, eorumque reprobationem ſuperſunt tenebræ funditùs fugantur. Quarè ſi quid boni dixerimus, vtrique Eccleſiæ Soli compar ſit laudatio.

DICO TERTIÒ, Prædeſtinationem hominum adæquatè ſumptam fuiſſe ſine præviſione meritorum. Hæc aſſertio non eſt minùs de fide, quàm ſit de fide gratiam dari ſine præviſione meritorum. Cùm enim prædeſtinatio adæquatè ſumpta includat voluntatem dandi gratiam, & gloriam, non poteſt ſic ſumpta habere cauſam meritoriam niſi & voluntas dandi gratiam, ſive quod idem eſt, primus gratiæ effectus ſit ex meritis prædeſtinati. Eſt autem de fide gratiam dari gratis, alioquin gratia jam non eſſet gratia, ut ait Apoſtolus. Nec in hoc eſt magis immorandum.

DICO QUARTÒ, Prædeſtinationem hominum inadæquatè ſumptam, id eſt, intentionem efficacem dandi hominibus gloriam vt coronam, fuiſſe ſinę præviſione meritorum. Aſſertio non eſt de fide, nec tamquam fidei ex profeſſo à S. AUGUSTINO tradita; ſed tamquam quid ex lumine naturæ, gratiæ, quam defendit S. AUGUSTINUS conſentaneum.

Nam ſuppoſitâ verâ divinę gratiæ à S. AUGUSTINO aſſertæ intelligentiâ, controverſia iſta de intentione efficaci dandi gloriam ſeſe ex ipsâ naturâ rei & qualicumque philoſophiæ cognitione manifeſtat. Et illa cauſa eſt, cur nec S. AUGUSTINUS difficultates de gratiâ contra ſuos impugnatores exhaurire potuit niſi quæſtionem iſtam ſæpè tangendo, nec impugnatores gratiam S. AUGUSTINI repudiare potuerunt, niſi electionem ad gloriam ante præviſa merita fieri, ut ipſi loquuntur, conſtitutionem Dei, quæ humanas pręveniat voluntates deteſtando. Quiſquis enim talem gratiam aſtruit,

Digitized by Google

quâ ſic dominatur Deus voluntati ut conſenſum ejus, quem intendit, invictè operetur, idque, quia voluit iſtum conſentire non alium ab initio fidei vſquè ad finem vitæ, fieri non poteſt (niſi valdè diſtortis imaginibus res apertas diſturbare delectetur) quin electionem ad gloriam tamquam finem ad quem talis gratiarum poteſtas & ſeries directè ducit, meriti præſcientiam antecedere fateatur.

Moliniſtę, qui docent gratiam ſuam congruam ſimul cum libero arbitrio in conſenſum voluntatis influere, ſic tamen ut gratia inſtar habitus, ſit ſubjecta voluntati, nec voluntatem ad hîc & nunc influendum trahat, ſed ad influendum hîc & nunc à voluntate trahatur, qui, inquam, talem gratiam tenent ac docent, nihil mirum ſi quemadmodùm conſenſum voluntatis, ita & gloriæ conſecutionem ab humanâ voluntate ſuſpendunt, & conſtitutionem Dei de dandâ gloriâ, quę humanam pręveniat voluntatem, abiiciant atque ægerrimè ferant.

Sed ubi gratia ſic cum arbitrio influit, ut determinet voluntatem ad conſenſum, non verò à voluntate determinetur, ſivè id fiat dependenter ab actu præcedente, ſivè independenter, nemo ſanæ mentis intelliget talem gratiam cuiquam dari, niſi intelligat pręfixum eſſe Deo beatitudinis æternæ ſcopum, quem efficaciter creaturæ rationali per tam efficacem & infallibiliter prędeterminantem gratiam adjutę donandum propoſuerit. Ex naturâ igitur gratiæ, quam prædicabat S. Augustinus, ordinem electionis ad gratiam aut gloriam, tamquam per ſe perſpicuum, colligendum ſupponebat, & aliud agens ſæpiùs indicabat. Quod cùm intelligerent, tamquam rem perſpicuam certamque poſtremi ejus impugnatores, doctrinam illius à nobis creditam, iiſdem prorsùs, quibus Moliniſtę, argumentis vellicando, infamare ſtuduerunt. Nihil enim aliud & nunc adverſus iſtam doctrinam inſonant, niſi quod fatum, fataleſque neceſſitates aſſeramus, liberum arbitrium evertamus, ſollicitudinem, laborem & zelum animarum auferamus, correptionem, exhortationem, orationem extinguamus, Deum non omnium ſalutem velle ſtatuamus, deniquè deſperationem fidelibus afferamus.

Incredibilis enim conſolationis eſſe putant, quòd omnia ex humanæ voluntatis libero flexu gratiam arripiente, aut reſpuente religari credantur. O conſolatio ſuperborum in ſe confidentium! qui tamquam ad anguſtias mortis horrent, quando audiunt totum omninò, quod boni ſumus & erimus pendere ex benignâ erga nos voluntate Dei. *Hoc eſt enim dicere*, quemadmodùm adverſus ſimiles omninò cogitationes clamavit olim S. Augustinus de dono perſev. c. 17. *tunc de ſuâ ſalute hominem deſperare, quando ſpem ſuam non in ſeipſo, ſed in Deo didicerit ponere:* Cujuſmodi oblocutiones cum tam ſolidè à S. Augustino & Proſpero ſolutę & rejectæ ſint, mirum eſt, cur Moliniſtæ nunc

Digitized by Google

cenſurâ diſtrictiore, & inſpectione ſagaciore ſe reperiſſe putent, quod anteà ſecurus favor, & benignitas incurioſa non viderat; & non potiùs timeant ne quorum arma fracta & protrita collegerunt, eorum opinionibus patrocinari videantur. Vide infrà collationes §. 8. poſitas.

Nullis igitur aliis rationibus probari debet aſſertio, quàm iis, quibus gratia S. Augustini defenditur, & Scientia Media deſtruitur; quod abundè & invictè in præcedentibus factum eſſe non dubitabit Cordatus Theologus. Nec movere quemquam debet, quod gloria intendatur per modum coronę. Nam ſi fiat argumentum: *Corona neceſſariam habet connexionem cum meritis: ergo quod eſt volitum per modum coronæ, dependet eſſentialiter à meritis:* Solvitur diſtinguendo conſeq. dependet eſſentialiter à meritis *vi ejuſdem voluntatis futuris*, conceditur; *vi alterius voluntatis præexiſtentibus, aut futuris*, negatur. Solutio eſt clara, ſi diſtinguamus duas perſonas intendentes dare alicui coronam, quarum vna poteſtatem habet dandi merita; alia non habet poteſtatem dandi merita. Clarum eſt, quòd in eo, qui non habet poteſtatem conferendi merita, voluntas dandi coronam non poſſit eſſe efficax niſi prævideantur merita ex aliquâ aliâ voluntate præexiſtentia, aut futura. Sed ille, qui novit ſe habere poteſtatem conferendi merita, vi illius intentionis quâ vult efficaciter coronam, facit merita eſſe futura inchoativè, & ſic evidens eſt, quòd ante illam intentionem non debeat illa prævidere, ſicut debet ille qui merita non habet in ſuâ poteſtate. Ex quo ſemper patet, defectu poteſtatis præſcientiam anteire decretum.

Dico quintò, Prędeſtinationem hominum fuiſſe poſt præviſionem peccati originalis. Aſſertio iſta apertè ſequitur ex ſententiâ utriuſque Solis, quæ docet Incarnationem Chriſti totaliter ad generis humani ſalutem fuiſſe ordinatam. Juxta quam dicendum eſt, quòd gloria, ad quam homo fuit prædeſtinatus, non fuit gloria qualiſcumque, ſed gloria liberans à maſſâ perditionis; ita vt intentio efficax dandi gloriam hominibus ex primariâ Dei intentione fuerit dandi gloriam liberantem eos à maſſâ perditionis.

Quæ, vt meliùs intelligantur, obſervandum eſt, quòd peccatum originale, quo maſſa damnationis conſtituta eſt, poteſt conſiderari dupliciter, uno modo ſecundùm ſe; alio modo ut materia redemptionis faciendæ per Incarnationem Chriſti. Similiter Chriſtus poteſt conſiderari dupliciter, & ſecundùm ſe, & ut Redemptor generis humani à maſſâ damnationis. His ſuppoſitis, doctrinam utriuſque Solis non minùs ſubtiliter, quam clarè & profundè ſalvabimus, ſi dixerimus, Primam Dei voluntatem circa permiſſionem peccati originalis ut damnationis maſſam conſtituentis fuiſſe permittendi illud non ſecundùm ſe, ſed ut materiam redemptionis Chriſti; ſimiliter Chriſtum ex primariâ Dei intentione fuiſſe prædeſtinatum generis humani Redemptorem. Cognoſcens enim Deus per ſcientiam ſimplicis intelli-

gentiæ omnes homines ex uno oriundos poſſe peccato originali in unam damnationis maſſam colligari, & ab illâ maſsâ per gratiam Chriſti Redemptoris liberari: in ſequenti ſigno, quod eſt totius creatarum rerum futuritionis primum, utrumque decreuit, & permittere damnationis maſſam, vt materiam redemptionis, & incarnationem Chriſti ut Redemptoris à maſsâ damnationis. Undè vi eiuſdem ſigni fuit futurum peccatum originale & Incarnatio Chriſti abſque ullâ prioritate in quo ſed cum mutuâ prioritate à quo: ſiquidem præceſſit futuritio peccati originalis in genere cauſæ materialis, præceſſit verò futuritio incarnationis in genere cauſæ finalis.

Poſt illud ſignum concipimus ſecundum, in quo ad majorem gloriam Chriſti hominum Redemptoris voluit etiam Deus ut eſſet caput Angelorum, & eis, intuitu meritorum Chriſti, conferre gratiam & gloriam non à peccato liberantem. Cùmque illa voluntas Dei de conferendâ Angelis gratiâ & gloriâ ex meritis Chriſti fuerit ſolùm ex conſequenti, ideò non pro eis dicitur Chriſtus mortuus nec eorum Redemptor. Hanc credimus fuiſſe mentem Angelici Solis, dum q. 29. de veritate art. 4. ad 5. dixit. *Dicendum, quòd Chriſtus non ſolùm ſecundùm divinam naturam ſed etiam ſecundùm humanam eſt Angelorum caput, quia eos illuminat ſecundùm humanam naturam, vt Dioniſ. dicit 7. de diu. nom. Undè & ad Coloſ. 2. dicitur, quod ipſe eſt caput omnis principatus & poteſtatis. Sed tamen humanitas Chriſti aliter ſe habet ad Angelos quàm ad homines quantum ad duo. Primò quantum ad naturæ conformitatem, per quam eſt in eadem ſpecie cum hominibus non autem cum Angelis. Secundò quantum ad finem incarnationis, quæ quidem principaliter facta eſt propter hominum liberationem à peccato, & ſic humanitas Chriſti ordinatur ad influentiam, quam facit in homines, ſicut ad finem intentum.* Inflvxvs avtem in Angelos non est ut finis incarnationis, sed ut incarnationem consequens. Nec aliâ ratione fulciri debet hæc doctrina, quàm quòd ſit ad majorem Chriſti gloriam, & ſacris ſcripturis magis conformis; nec ex eâ ſequatur aliquid abſurdum, aut quid utrique Eccleſiæ Soli adverſum, quod non convenienter explicetur diſtinguendo in meritis Chriſti duplicem ordinem, unum principaliter intentum, & alium ex conſequenti. Vide illuſtriſſimum Dominum Godoy Epiſcopum Oxomenſem Ordinis Prædicatorum qui noviſſimè hanc ſententiam amplectitur ad 3. p. tom. 3. diſp. 57. ubi eam profundè, ut ſolet, explicat & defendit.

In tertio ſigno Prædeſtinationem hominum ex maſsâ damnationis concipimus: ac proindè in aliquo ſigno *in quo* præviſione peccati originalis poſteriorem.

Obicies. Peccatum Adami præſuppoſuit reprobationem Angelorum: ſiquidem tentante ſerpente commiſſum eſt: ergo prędeſtinatio Angelorum non eſt facta poſt præviſionem peccati originalis.

RESPONDETVR, diſtinguendo ant. Peccatum Adami præſuppoſuit reprobationem Angelorum ordine executionis, conceditur. ordine intentionis, negatur. Primò enim intelligimus Deum intendiſſe permiſſionem peccati Adami, & poſteà, ut dictum eſt, reprobaſſe quoſdam ex Angelis. Verùm media in particulari ad exequendam dictam permiſſionem, inter quę fuit permiſſio tentationis ſerpentis, ſolùm præparavit Deus poſt intentam Angelorum reprobationem. Ad illum modum, quo in illo inſtanti; in quo gloria eſt intenta ut corona, non intelliguntur merita eſſe volita in particulari, ſiquidem corona ut quinque poteſt mandari executioni vel per hæc merita ut quinque, vel per alia merita ut quinque diverſificata ſecundùm diverſos actus virtutum.

Hęc cauſa eſt cur ſexcentis locis S. AUGUSTINUS effectum prædeſtinationis per verbum *liberandi* explicuerit: ita ut prædeſtinatio ſit ipſa voluntas Dei æterna liberandi à maſsâ damnationis, reprobatio ſit voluntas non liberandi ſivè relinquendi in maſsâ damnationis. Diſertè hoc docet epiſt. 105. *Parùm attendunt; quòd debita reddatur pœna* DAMNATO, *indebita gratia* LIBERATO, *ut nec ille ſe indignum queratur, nec dignum ſe iſte glorietur; atque ita potiùs acceptionem nullam fieri perſonarum, ubi* UNA EADEMQVE MASSA DAMNATIONIS ET OFFENSIONIS INVOLVIT: *ut* LIBERATVS DE NON LIBERATO *diſcat, quòd etiam ſibi ſupplicium conveniret, niſi gratia ſubveniret.*

Et lib. de dom. perſeu. c. 14. *Cæteri autem ubi niſi* IN MASSÂ PERDITIONIS, *juſto divino judicio* RELINQUUNTUR? *ubi Tyrii* RELICTI *& Sidonii, qui etiam credere potuerunt, ſi mira illa Chriſti ſigna vidiſſent?* Et radicem detegens cur talibus hominibus non adhibeantur illa ſigna, per quæ, ſi adhiberentur, præſciuntur eſſe credituri? *Et tamen ſi Deo altiore judicio* à PERDITIONIS MASSÂ NON SVNT GRATIÆ PRÆDESTINATIONE DISTRICTI, *nec ipſa eis adhibentur vel dicta divina, vel facta, per quæ poſſent credere, ſi audirent utiquè, talia vel viderent.* Et in eodem capite de Iudæis: IN EÂDEM PERDITIONIS MASSÂ RELICTI *ſunt etiam Iudæi, qui non potuerunt credere in conſpectu ſuo tam magnis clariſque virtutibus.*

SECTIO SEXTA.

Cauſa reprobationis hominum non eſt peccatum originale, quo omnes naſcendo inficimur.

PRæcipua hujus appendicis intentio præſenti ſectione declaratur. Diſtinxeramus peccatum originale vt eſt *infectio naturæ* à peccato originali vt eſt *infectio perſonæ*, idque ex doctrinâ Angelici Solis. Ne autem Novitius

Digitized by Google

in Theologiâ fortè imaginetur, iſta duo reperiri in peccato, quod naſcendo contrahimus, & in eo, qui baptizatur remanere infectionem naturæ, ſicque in eamdem reincidat difficultatem, quam iſtâ diſtinctione voluerat diſſolvere; Ne Novitio, inquam, hæc accidant dicimus, quòd peccatum originale ut eſt *infectio perſonæ* eſt peccatum quo naſcendo inficimur: peccatum originale ut eſt *infectio naturæ* eſt peccatum quo omnes in Adam peccavimus. Immaculata Beatiſſimæ Virginis Matris conceptio manifeſtat iſtam diſtinctionem. Nam ex eo quod præſervata fuerit à peccato quo naſcendo inficimur, non ideò præſervata fuit à peccato, quo omnes in Adam peccavimus. Cordatiſſimi quippè Theologi, qui piam defendunt ſententiam, intrepidè affirmant Beatiſſimam Virginem Matrem in Adam peccaſſe, & eo peccato, quo omnes peccavimus, ſervam & captivam extitiſſe in Adam; alioquin non poſſet, aiunt, ſanguine Chriſti fuiſſe redempta: juxta diffinitionem Zozimi Papæ, cujus verba refert S. Augustinus epiſt. 157. quæ eſt ad Optatum: *Nullus niſi qui peccati ſervus eſt, liber efficitur, nec redemptus dici poteſt, niſi qui verè per peccatum fuerit antè captivus.* Subdit verò ipſe S. Doctor: *In his verbis Apoſtolicæ ſedis, tam antiqua atque fundata certa & clara eſt Catholica fides, ut nefas ſit de illâ dubitare Chriſtiano.*

Eamdem diſtinctionem ex profeſſo docet S. Augustinus, dum ſæpiùs dicit, quòd peccatum, quo omnes in Adam peccavimus, fuit peccatum tantùm, peccatum verò, quo omnes naſcendo inficimur eſt ita peccatum ut ſit pœna peccati. Verba fulgentiſſimi Solis habentur. lib. 1. oper. imperf. cap. 47. *Ipſe eſt Adam, quem noſtra illa definitio, quæ tibi placuit, intuebatur, cùm dicerem,* peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod iuſtitia vetat, & vndè liberum eſt abſtinere. *Adam quippè omninò quando peccavit nihil in ſe habebat mali, quo nolens vrgeretur ad operandum malum; & propter quod diceret,* Non quod volo facio bonum, ſed quod nolo malum hoc ago; *ac per hoc id egit peccando, quod juſtitia vetabat, & undè illi liberum fuerat abſtinere. Nam ei, qui dicit,* quod nolo malum, hoc ago, *abſtinere indè liberum non eſt.*

Ac pro hoc ſic tria iſta diſcernas, & ſcias aliud eſſe peccatum, aliud pœnam peccati, aliud utrumque, id eſt, ita peccatum ut ipſum ſit etiam pœna peccati .... Horum ſanè trium generum ſi requirantur exempla, Primi generis in Adam ſine ullo modo quæſtionis occurrit .... Sed pertinet originale peccatum ad hoc genus tertium, ubi ſic peccatum eſt, ut ipſum ſit & pœna peccati: quod ineſt quidem naſcentibus: ſed incipit apparere, quando eſt inſipientibus neceſſaria ſapientia, & mala concupiſcentibus concupiſcentia. Origo tamen etiam hujus peccati deſcendit à voluntate peccantis. Fuit enim Adam, & in illo fuimus omnes: periit Adam & in illo omnes perierunt.

Quarè firma eſt diſtinctio noſtra; nec recuſari poteſt niſi ab eo, qui confundit id, quod eſt peccatum tantùm, & id, quod ita eſt peccatum, ut ipſum ſit etiam pœna peccati. Juxta hanc diſtinctionem duas damus concluſiones.

Digitized by Google

Dico sexto, peccatum originale, quo omnes naſcendo inficimur, non eſſe cauſam reprobationis hominum. Aſſertio iſta negari non poteſt niſi negatis Angelici Solis principiis. Duo ſunt Angelici Solis principia; *Primum*, permiſſio cujuſlibet peccati ęternâ pœnâ puniendi eſt effectus reprobationis; *Secundum*, quod non eſt cauſa primi effectus reprobationis non eſt cauſa reprobationis: hæc ſunt Cordatis diſcipulis indubitata: quæ tamen ſubſiſtere nequeunt, ſi peccatum originale, quo omnes naſcendo inficimur, ponatur cauſa reprobationis hominum. Quod ſic demonſtro.

Peccatum originale, quo omnes naſcendo inficimur, in quibuſdam non remittitur, in quibuſdam remittitur. Sed in neutris eſt cauſa reprobationis hominum: ergo, &c. Prob. minor quoad 1. partem. Peccatum originale, quo omnes naſcendo inficimur, in illis, in quibus non remittitur, eſt peccatum æternâ pœnâ puniendum: ergo iuxta primum principium permiſſio illius eſt effectus reprobationis. Atqui peccatum cujus permiſſio eſt effectus reprobationis non poteſt eſſe cauſa reprobationis; non enim poteſt eſſe cauſa voluntatis permittendi illud: ſiquidem vi illius voluntatis eſt futurum: quod autem eſt cauſa alicujus voluntatis divinæ non poteſt vi talis voluntatis eſſe futurum. Quarè ſicut gratia non poteſt eſſe cauſa voluntatis dandi gratiam, ita nec permiſſio culpæ poteſt eſſe cauſa voluntatis permittendi talem culpam.

Obſerva, quòd licet permiſſio culpæ non ſit aliud ſecundùm utrumque Solem quàm denegatio gratiæ prædeterminantis ad actum bonum; hæc tamen donegatio conſideratur dupliciter, uno modo ut antecedens peccatum, alio modo ut concomitans peccatum. Dicitur denegatio gratiæ prædeterminantis ad actum bonum antecedere peccatum, quia ſi Deus præveniret voluntatem & priùs illam prædeterminaret v.g. ad amorem Dei, ipſa voluntas non ſe determinaret ad amorem creaturæ. Et hæc denegatio antecedens eſt ipſa permiſſio peccati: ita ut permittere amorem creaturæ, nihil ſit aliud quàm non prædeterminare voluntatem ad amorem Dei priuſquam ſe determinet ad amorem creaturę. Dicitur denegatio gratiæ prędeterminantis ad actum bonum concomitari peccatum, quia dum voluntas peccat determinando ſe ad amorem creaturę, non prædeterminatur actu ad amorem Dei, & iſta denegatio præſentis prædeterminationis non eſt permiſſio peccati, ſed à peccato cauſatur ſicut ab obice & impedimento. Hinc apparet quomodò peccatum non poſſit eſſe cauſa ſuę permiſſionis, quia licet ſit cauſa denegationis concomitantis, id eſt, licet ſit cauſa quòd voluntas non prædeterminetur ad amorem Dei; non tamen eſt cauſa denegationis antecedentis; id eſt, non eſt cauſa quòd voluntas non fuerit prædeterminata ad amorem Dei, antequam ſe determinaret ad amorem creaturæ. Quarè voluntas permittendi culpam non eſt aliud quàm voluntas non pręveniendi arbitrium ad actum bonum ante-

Digitized by Google

quam ſe determinet ad actum malum : illa eſt enim arbitrij creati conditio, ut ſi Deus non præveniat faciendo, quòd amet Deum, ad amorem creaturæ ſe infallibiliter determinabit.

Secunda pars minoris probatur, videlicet peccatum originale remiſſum non eſſe cauſam reprobationis. Iuxta ſecundum principium, quod non eſt cauſa primi effectus reprobationis non eſt cauſa reprobationis; ſed originale remiſſum non eſt cauſa primi effectus reprobationis; ergo, &c. Prob. minor. Primus effectus reprobationis in baptizatis eſt permiſſio primi peccati actualis æternâ pœnâ puniendi : Originale autem remiſſum non poteſt eſſe cauſa talis permiſſionis, quia ad hoc requiritur ut iſta permiſſio eſſet à parte rei pœna originalis peccati remiſſi; & conſequenter in baptizatis eſſet aliquod debitum æternæ damnationis, ſiquidem eſſet debitum permiſſionis peccati æternâ pœnâ puniendi; quod apertè contrariatur Concilio Tridentino diffinienti ſeſſ. 5. can. 5. *Nihil damnationis remanet in his, qui per baptiſmum renovantur.*

Quidam inconceptibili quâdam ſubtilitate dicunt peccatum originale dimiſſum eſſe motivum intentionis, quam habuit Deus excludendi à regno; ita tamen ut excluſio intenta non ſit exequenda propter peccatum originale dimiſſum. Undè dicunt, quòd in iſtâ propoſitione, *Deus vult excludere aliquos à regno propter peccatum originale*, ly propter peccatum originale non ſe teneat ex parte objecti, ſed ex parte actus.

Verùm iſti non videntur ſuam conceptionem regulæ Angelicæ commenſuraſſe, quæ firmiter dictat rationem divinæ voluntatis non eſſe exquirendam ex parte actus, ſed ex parte objecti : quomodò igitur conformiter ad hanc regulam concipi poteſt, quòd in iſtâ propoſitione, *Deus vult excludere aliquos à regno propter peccatum originale*, ly propter peccatum originale non ſe teneat ex parte objecti, ſed ex parte actus. Audiamus Præceptorem noſtrum; *Non eſt*, inquit 1. p. q. 23. a. 5. *aſſignare cauſam divinæ voluntatis ex parte actus volendi : ſed poteſt aſſignari ratio ex parte volitorum, inquantum ſcilicet Deus vult eſſe aliquid propter aliud.* Et ſubjungit. *Nullus ergo fuit ita inſanæ mentis, qui diceret merita eſſe cauſam divinæ prædeſtinationis, ex parte actus prædeſtinantis.* Applicemus verba Magiſtri noſtri ad intentionem divinæ voluntatis excludendi aliquos à regno propter peccatum originale; & inveniemus, quòd non eſt aſſignare cauſam illius intentionis ex parte actus intendendi; ſed poteſt aſſignari ratio ex parte volitorum, id eſt, ex parte unius voliti & alterius permiſſi; inquantum ſcilicet Deus vult eſſe unum volitum propter aliud permiſſum.

Ex quo ſequitur, excluſionem à regno eſſe volitam propter peccatum originale permiſſum; ita ut non ſolùm ſit volita excluſio, nec ſolùm peccatum originale ſit permiſſum, ſed quidam ordo inter excluſionem à regno & peccatum originale ſit etiam intentus, qui ordo non poteſt eſſe alius, quàm ordo

pœnæ

Digitized by Google

pœnæ ad culpam: Sicut in intentione dandi gloriam propter actus à gratiâ procedentes, non ſolùm eſt volita gloria, nec ſolùm ſunt voliti actus gratioſi, ſed etiam quidam ordo inter gloriam & actus gratioſos eſt intentus, qui non eſt alius, quàm ordo præmij ad meritum.

Hinc ſic argumentor. Intentio efficax excludendi à regno aliquos propter peccatum originale, intendit efficaciter ordinem pœnæ ad culpam inter excluſionem & peccatum originale, ergo non poteſt mandari executioni niſi excluſio à regno ponatur à parte rei in pœnam peccati originalis; ſicut quia intentio efficax dandi gloriam intendit efficaciter ordinem præmij ad meritum inter gloriam & actus à gratiâ procedentes, non poteſt iſta intentio mandari executioni, niſi gloria conferatur à parte rei in præmium prædictorum actuum.

Videntur iſti decepti in eo, quòd non ſufficienter diſtinxerint inter ordinem præmij ad meritum, & ordinem pœnæ ad culpam. Non enim conſiderauerunt ordinem præmij ad meritum facere gloriam eſſe maius bonum, eo quòd excellentius ſit habere gloriam vt præmium ſuorum meritorum quàm habere illam ſine meritis. Et cùm gloria ſit bonum indebitum creaturæ rationali maior excellentia gloriæ facit illam magis eſſe indebitam: ac proindè maioris eſt liberalitatis & beneuolentiæ velle dare gloriam vt coronam, quàm velle dare illam ſine meritis. At ordo pœnæ ad culpam facit excluſionem à regno eſſe maius malum, nec ſortitur rationem boni, niſi excluſio à regno debita fuerit, quod ſolùm accidit ex culpâ præcedente. Debebant igitur iſti attendere, quòd ratio coronæ poſſit afficere bonum indebitum; ratio pœnæ non poſſit afficere, niſi malum debitum. Ex quo fit, vt corona, licet in ordine executionis præſupponat merita, in ordine tamen intentionis antecedere poſſit merita, dum illa ſunt in poteſtate præmiantis: pœna verò tam in ordine intentionis, quàm in ordine executionis debeat præſupponere merita.

Hæc eſt ratio cur Cordatiſſimi Angelici Solis diſcipuli negarunt peccatum originale eſſe cauſam reprobationis: conſiderabant enim illud peccatum, quo omnes naſcendo inficimur, quod nec in illis, in quibus remittitur, nec in illis, in quibus non remittitur, poteſt eſſe cauſa reprobationis, ſi vera ſint Angelici Solis principia, de quibus, ſi quis dubitet, Cordatus non eſt.

Digitized by Google

SECTIO SEPTIMA.

Cauſa reprobationis hominum eſt peccatum originale, quo omnes in Adam peccavimus.

Dico ultimò, peccatum originale, quo omnes in Adam peccavimus eſſe cauſam reprobationis hominum adæquatè ſumptæ. Aſſertionem iſtam apertiſſimè docet uterque Eccleſiæ Sol, nec amator veritatis id denegare poterit.

Primò eam docet S. Augustinus totâ epiſtolâ 105. ubi de reprobatione Eſau, cui fuit remiſſum peccatum originale, quo naſcendo inficimur, ſic loquitur: *Quid enim diligebat in Iacob antequam natus feciſſet aliquid boni, niſi gratuitum miſericordiæ ſuæ donum? Et quid oderat in Eſau antequam feciſſet aliquid mali, niſi originale peccatum? Nam neque in illo diligeret iuſtitiam, quam nullam ille fecerat, neque in iſto odiſſet naturam, quam bonam ipſe perfecerat.*

Certum eſt, quòd peccatum originale, quo naſcendo inficimur, non erat in Eſau antequam naſceretur, erat tamen natura Eſau infecta peccato originali, quo omnes in Adam peccauimus, antequam ipſe naſceretur. Illud ergo quod odiuit Deus in Eſau antequam naſceretur, non potuit eſſe peccatum originale, quod naſcendo contrahitur, ſed ipſa infectio naturæ ex peccato quo Eſau & nos omnes in Adam peccavimus. Quod ſuperiùs ſatis clarè expreſſerat his verbis: *Si vaſa ſunt iræ, quæ perfecta ſunt ad perditionem, quæ illis debita redditur, ſibi hoc imputent, quia ex eâ maſſâ facta ſunt, quam* PROPTER UNIUS PECCATUM, IN QUO OMNES PECCAVERUNT, MERITÒ DEUS IUSTÈQUE DAMNAVIT: quibus verbis clariſſimè exprimitur meritum damnationis maſſę eſſe unius peccatum, in quo omnes peccauerunt.

Item de corrept. & grat. c. 7. *Et qui Evangelium non audierunt; & qui eo audito in melius commutati perſeverantiam non acceperunt; & qui Evangelio audito venire ad Chriſtum, hoc eſt in eum credere noluerunt (quoniam ipſe dixit, nemo venit ad me, niſi ei datum fuerit à Patre meo) & qui per ætatem parvulam nec credere potuerunt, ſed ab originali noxâ ſolo poſſent lauacro regenerationis abſolui, quo tamen non accepto mortui perierunt; non ſunt ab illâ conſperſione diſcreti, quam conſtat eſſe damnatam* EUNTIBUS OMNIBUS EX UNO IN CONDEMNATIONEM. Quo teſtimonio omnes, qui quocumque modo damnantur, comprehendit S. Doctor, iiſque omnibus unam communem cauſam damnationis aſſignat, videlicet damnationem maſſæ, à quâ non fuere diſcreti *euntibus omnibus ex uno in condemnationem*, id eſt, propter unius delictum, in quo omnes peccauerunt.

Et multùm ponderandum eſt, quòd delictum illud, ex quo omnes eunt in condemnationem, ſivè in quo omnes peccaverunt, ponitur à S. Augusti-

Digitized by Google

no eſſe cauſa cur denegetur auditio Evangelij; cur iuſtificatis ex auditione Evangelij non detur donum perſeverantiæ; cur audito Evangelio denegetur gratia efficax ad credendum; cur quibuſdam parvulis denegetur baptiſmus: quæ tamen omnia conſtat eſſe in pluribus primos reprobationis effectus. Non enim permiſſio *peccati præcisè* eſt effectus reprobationis, ſed permiſſio *peccati æternâ pœnâ puniendi*, nullum autem peccatum eſt æternâ pœnâ puniendum, niſi illud, cui denegatur gratia liberans à peccato: & conſequenter permiſſio peccati quæ eſt effectus reprobationis, debet eſſe permiſſio peccati, cui gratia liberans denegatur: ac proindè permiſſio primi peccati, cui gratia liberans denegatur eſt primus effectus reprobationis. Si ergo gratia liberans denegetur propter unius delictum, in quo omnes peccaverunt, oporteret huiuſmodi delictum ſit cauſa primi effectus reprobationis.

Ponderemus hanc doctrinam in omnibus, quos enumerat S. AUGUSTINUS. Primi ſunt, qui non audito Euangelio damnantur. Permiſſiones peccatorum in illis non ſunt effectus reprobationis, niſi quatenus illis peccatis denegatur gratia liberans, quod fit denegatione auditionis Euangelii: ſed denegatio auditionis Euangelii fit in illis propter peccatum Adami, in quo omnes peccavimus, ait S. AUGUSTINUS; ergo propter Adami peccatum, in quo omnes peccavimus permiſſiones peccatorum ſunt effectus reprobationis, in illis, qui non audito damnantur Euangelio.

Secundi ſunt, qui iuſtificati damnantur non accepto dono perſeverantiæ. Denegatio doni perſeverantiæ includit permiſſionem primi peccati æternâ pœnâ puniendi ſivè quod idem eſt, primi peccati, cui gratia liberans denegatur. Vndè denegatio perſeverantiæ eſt primus effectus reprobationis in iis, qui damnantur, eo quòd donum perſeverantiæ non acceperint: ſed cauſa denegationis perſeverantiæ eſt peccatum illud, quo omnes in Adam peccauimus, ait S. AUGUSTINUS, ergo & dictum peccatum erit cauſa primi effectus reprobationis eorum, qui iuſtificati damnantur non accepto perſeuerantiæ dono.

Tertij ſunt, qui damnantur non credentes audito Evangelio. Denegatio gratiæ liberantis à peccato eſt in iſtis denegatio fidei; & conſequenter nulla peccati permiſſio erit in illis effectus reprobationis, niſi quatenus conjungitur denegationi fidei: ſed juxta S. AUGUSTINUM fides eis denegatur propter damnationem, in quam eunt ex uno omnes; ergo iſta damnatio, quæ eſt idem ac peccatum originale, quo omnes peccavimus, erit cauſa quòd quælibet permiſſio peccati ſit effectus reprobationis, in illis qui damnantur non credentes audito Evangelio.

Quarti denique ſunt parvuli, qui non accepto baptiſmo damnantur. Si permiſſio peccati non ſit effectus reprobationis, niſi ſit peccati æternâ pœnâ puniendi, permiſſio peccati originalis æternâ pœnâ puniendi erit effectus

reprobationis iſtorum parvulorum. Peccatum autem originale parvulorum non eſt æternâ pœnâ puniendum, niſi quatenus ei denegatur baptiſmus. Eſt ergo denegatio baptiſmi cauſa cur peccatum originale parvulorum æternâ pœnâ puniatur, ac proindè eſt etiam cauſa cur permiſſio peccati originalis ſit effectus reprobationis, in parvulis ſine baptiſmo morientibus. Atqui ſecundùm S. Augustinum denegatio baptiſmi in iſtis parvulis fit propter peccatum originale, quo omnes in Adam peccauimus: ergo prędictum peccatum erit etiam cauſa quòd permiſſio peccati originalis, quod naſcendo contrahunt infantes, ſit effectus reprobationis in iſtis parvulis, qui non accepto baptiſmo damnantur.

Tandem manifeſtum eſt, S. Augustinum hanc tenuiſſe ſententiam in omnibus illis locis, in quibus non aliam agnoſcit gratiam, ad quam homo infirmus ſit prædeſtinatus, quàm gratiam liberantem à maſſâ, cui ex peccato Adam, in quo omnes peccavimus, erat debita damnatio. Hoc docet de corrept. & grat. c. 10. ubi de Adamo ſic loquitur: *Quia verò per liberum arbitrium deſeruit, juſtum Dei judicium expertus eſt, ut cum totâ ſuâ ſtirpe,* QVÆ IN ILLO ADHUC POSITA TOTA CUM ILLO PECCAVERAT, *damnaretur. Quotquot enim ex hac ſtirpe gratiâ Dei liberantur*, à DAMNATIONE UTIQVE LIBERANTVR, QVÂ IAM TENENTVR OBSTRICTI: *undè etiamſi nullus liberaretur, juſtum Dei judicium nemo juſtè reprehenderet.* Eadem eſt conditio eorum, qui eliguntur ad gloriam, & qui reprobantur: ſed qui eliguntur, obſtricti tenentur damnationi ex peccato omnium; ergo & qui reprobantur, obſtricti etiam tenentur damnationi ex peccato omnium: ipſum igitur peccatum omnium, cùm ſit cauſa damnationis totius maſſæ, non poterit non eſſe cauſa reprobationis eorum, qui à damnatione maſſæ non liberantur.

Hinc eſt quòd S. Augustinus effectum prædeſtinationis dicit eſſe gratuitam indulgentiam, quæ non habet locum, niſi ubi iuſta poteſt exerceri vindicta. Nam epiſt. 106. ad illa verba Scripturæ Rom. 9. *Moyſi enim inquit, Miſerebor, cui miſertus ero, & miſericordiam præſtabo, cui miſericors fuero,* ſic loquitur: *Quid nos hîc docuit niſi ex illâ maſſâ primi hominis, cui meritò mors debetur, non ad merita hominum, ſed ad Dei miſericordiam pertinere quòd quiſque liberatur, atque ita non eſſe iniquitatem apud Deum, quia neque remittendo neque exigendo quod debetur, injuſtus eſt?* IBI ENIM GRATIA EST INDVLGENTIA, UBI IVSTA POSSET ESSE VINDICTA. *Et hinc evidentiùs apparet à pœnâ debitâ liberato & gratis juſtificato, quantum beneficii conferatur, quòd alter æqualiter reus ſine punientis iniquitate punitur.* Certùm eſt quòd prædeſtinatio hominum ſit ad gratuitam indulgentiam; ergo & ſecundùm S. Augustinum certum erit prædeſtinationem eſſe eorum, in quibus iuſta potuit eſſe vindicta: Si igitur prædeſtinati fuiſſent reprobati, reprobatio fuiſſet eorum, in quibus juſta debebatur vindicta: cùmque hi, qui modò reprobantur ſint paris conditionis, oportet

Digitized by Google

concludere neminem fuiſſe reprobatum, niſi quem Deus vidit juſtę obſtrictum eſſe vindictę; idque *ex maſſâ primi hominis, cui meritò mors debetur*, ut ait S. AUGUSTINUS.

Nunquam finirem ſi omnia S. DOCTORIS loca congererem, quibus conſtanter docet, reprobatione debitum reddi, prædeſtinatione indebitum; effectum reprobationis eſſe ex juſto judicio, prædeſtinationis ex gratuito beneficio; ipſamque reprobationem non eſſe niſi voluntatem non liberandi à debitâ pœnâ, prædeſtinationem verò eſſe voluntatem à debitâ pœnâ liberandi. Quæ apertiſſimè clamant, non aliter Deum homines reſpexiſſe prædeſtinando & reprobando, quàm vt à maſsâ damnationis liberandos & non liberandos, quâ juſtiſſimo Dei judicio tota humani generis maſſa vitiata premebatur, ex peccato Adami, in quo omnes peccavimus. Quarè, ſicut certum eſt, quòd prædeſtinatio ſit ſecundùm S. AUGUSTINUM quædam inter homines decreta diſcretio; ita certum eſſe credimus, quòd diſcretio ſecundùm eumdem Eccleſiæ Solem non fuerit diſcretio hominis ab homine, ſed hominis rei ab homine æqualiter reo, vt expreſsè declarant verba nuper citata; *Et hinc evidentiùs apparet à pœnâ debitâ liberato & gratis juſtificato, quantum beneficii conferatur, quòd alter æqualiter reus ſine punientis iniquitate punitur.*

SECTIO OCTAVA.

Eadem aſſertio Angelici Solis teſtimoniis firmatur.

SApientiſſimum Magiſtrum ſecutus eſt fideliſſimus diſcipulus S. THOMAS DOCTOR Eccleſiæ Communis. Adeo clara ſunt eius teſtimonia, vt nullum locum dubitandi Cordatis diſcipulis reliquiſſent, ſi quoddam eius principium non obſtitiſſet, ratione cujus quidam moti ſunt, ad negandum peccatum originale eſſe cauſam reprobationis hominum; undè teſtimonia tam clara violentâ quâdam expoſitione deluſerunt. Principium autem Angelicum, quo quidam moti ſunt, eſt iſtud, quòd, ſcilicet, reprobatio includat voluntatem permittendi culpam, quæ æternâ pœnâ punitur. Ex quo apertè ſequitur, quòd permiſſio peccati originalis ſit effectus reprobationis illorum, qui in illo moriuntur: & conſequenter non poſſit eſſe cauſa univerſalis eorum omnium, qui reprobantur. Ex aliâ parte peccâtum originale in quibuſdam remittitur; & ideò permiſſio primi peccati actualis, cui gratia liberans denegatur, non poteſt eſſe pœna illius; ſiquidem nec ipſa permiſſio, nec denegatio gratiæ liberantis poteſt eſſe pœna peccati remiſſi. Principium autem Angelicum eſt, quod non eſt cauſa permiſſionis primi peccati, cui gratia liberans denegatur, ſivè quod idem eſt, æternâ pœnâ puniendi, non poteſt eſſe cauſa reprobationis.

Digitized by Google

Verùm hæc ſolùm probant peccatum originale ut naſcendo contrahitur, ſivè ut eſt infectio perſonæ, non poſſe juxtà Angelicum Solem eſſe cauſam reprobationis hominum, uti ſectione ſextâ etiam probavimus: nullatenus tamen impediunt, quin peccatum originale ut in Adam omnes peccavimus, ſivè ut eſt infectio naturæ, ſit cauſa reprobationis hominum: quia ut dicemus tam permiſſio peccati originalis, quod naſcendo contrahitur, quàm denegatio gratię ab illo liberantis eſt pœna peccati originalis, quo in Adam omnes peccavimus, in illis, qui propter originale damnantur. In illis autem, qui propter peccata actualia damnantur, & eorum permiſſio & denegatio gratiæ ab illis liberantis eſt etiam pœna peccati originalis, quo omnes in Adam peccavimus. Nihil igitur obeſt, quominus juxta Angelicum Solem peccatum originale, quo in Adam omnes peccavimus, ſivè ut eſt infectio naturæ, ſit reprobationis hominum cauſa univerſalis. Cùmque clariſſimè aſſerat peccatum originale eſſe cauſam reprobationis, ipſamque reprobationam eſſe actum juſtitiæ reddentis pœnam debitam, non videtur poſſe aliter cordatè interpretari, quàm de peccato, quo in Adam omnes peccavimus.

Nunc teſtimonia Angelici Solis proferamus. Primum ſumitur ex q.6. de veritate a.2. ad 9. ubi ex mente ſapientiſſimi Magiſtri ſui ait: *Electio Dei, quâ unum eligit, & alium reprobat, rationalis eſt, nec tamen oportet quòd ratio electionis ſit meritum, ſed in ipsâ electione ratio eſt divina bonitas*: RATIO AUTEM REPROBATIONIS EST IN HOMINIBUS PECCATUM ORIGINALE, *ut* AUGUSTINUS *dicit.* Fatetur D. THOMAS S. AUGUSTINUM dicere, peccatum originale eſſe cauſam reprobationis. Negabitne Angelici diſcipulus? Nec poteſt hîc intelligi de causâ quoad ſufficientiam, cùm eodem prorsùs modo aſſerat peccatum originale eſſe cauſam reprobationis, quo negat meritum eſſe cauſam prædeſtinationis: clarum eſt eum negare meritum eſſe cauſam actualiter influentem; ergo clarum erit, eum affirmare, peccatum originale eſſe cauſam actualiter influentem.

Secundum teſtimonium habetur in epiſt. ad Rom. c.9. lec.3. in quo non ſolùm peccatum originale, ſed ipſum ut in Adam peccavimus declarat eſſe cauſam reprobationis. Sic enim ait: *Cum omnes homines* PROPTER PECCATUM PRIMI PARENTIS NASCANTUR OBNOXII, *quos Deus per ſuam gratiam liberat, ſolâ miſericordiâ liberat; & ſic quibuſdam eſt miſericors quos liberat*, QUIBUSDAM AUTEM IUSTUS QUOS NON LIBERAT, *neutris autem iniquus.* Ecce peccatum primi parentis, in quo omnes peccavimus, ponitur cauſa debitæ damnationis: & Deus dicitur juſtus non liberando à debitâ damnatione. Aliud eſt non liberare à debitâ damnatione, aliud eſt inferre debitam damnationem. Non liberare eſt denegare gratiam liberantem, Si juſtus eſt Deus denegando gratiam liberantem, oportet ut iſta denegatio gratiæ liberantis fiat intuitu peccati primi parentis, in quo omnes peccavimus.

Digitized by Google

Et ut nullus ſit dubitandi locus, maſſam generis humani ex peccato omnium vitiatam comparat materiæ, quæ præjacet artificis operationi, in quantum ſi materia præjacens foret prętioſa & rationem haberet, poſſet conqueri ſi fieret vas ad vilia officia deputatum: ſi verò materia præjacens ſuerit vilis, conqueri non poterit, quòd fiat vas accomodatum vilibus uſibus. Undè lec. 4. ſubdit: *Humana autem natura vilitatem habet ex ſuâ materiâ; quia ut dicitur Gen. 2.* Fecit Deus hominem de limo terræ: *Sed majorem vilitatem habet* EX CORRVPTIONE PECCATI, QVÆ PER UNUM HOMINEM IN HVNC MVNDVM INTRAVIT. *Et ideò homo luto meritò comparatur. Iob.* 30. comparatus ſum luto, & aſſimilatus ſum fauillæ & cineri ..... *Si verò Deus hominem ad meliora non promoveat, ſed* IN SVÂ INFIRMITATE EVM DIMITTENS, *deputat eum ad infimum uſum, nullam ei facit injuriam, vt poſſit iuſtè de Deo conqueri* .... *Deus liberam poteſtatem habet facere* EX EÂDEM CORRVPTÂ MATERIÂ HVMANI GENERIS, *ſicut ex quodam luto, nulli faciendo injuriam, quoſdam homines præparatos in gloriam*, QVOSDAM AUTEM IN MISERIÂ DERELICTOS, id eſt, in debitâ ex peccato primi parentis damnatione permanentes.

Tertium teſtimonium accipitur ex 1. p. q. 23. art. 5. ad 3. ubi conſiderat totum genus humanum damnationi communis peccati obnoxium, ſicut totam rerum univerſitatem, quantum ad hoc, quod ſicut Deus volens multipliciter repræſentare ſuam bonitatem conſtituit diverſos gradus rerum, quarum quædam altum, & quædam infimum locum teneant in univerſo. ita volens Deus in genere humano damnationi obnoxio multipliciter repræſentare ſuam bonitatem elegit ex maſsâ damnatâ aliquos, quibus parcendo repræſentaret ſuam bonitatem per modum miſericordiæ, alios verò deſignavit, quos propter peccatum maſſæ puniendo, repræſentaret ſuam bonitatem per modum iuſtitiæ. Verba Angelica ſunt: *Sic igitur conſideremus totum genus humanum ſicut totam rerum univerſitatem. Voluit igitur Deus in hominibus quantum ad aliquos, quos prædeſtinat, ſuam repræſentare bonitatem per modum miſericordiæ parcendo: & quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum juſtitiæ puniendo. Et hæc eſt ratio quarè Deus quoſdam eligit, & quoſdam reprobat. Et hanc cauſam aſſignat Apoſtolus ad Rom 9. dicens*, volens Deus oſtendere iram, id eſt vindictam juſtitiæ, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit, id eſt, permiſit in multâ patientiâ vaſa irę apta in interitum, vt oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparantur in gloriam. *Et 2. Timoth. 2. dicit*, In magnâ domo non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea, ſed etiam lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam.

Deniquè quartum teſtimonium continetur 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1. ubi denegationem primæ gratiæ ad credendum & diligendum Deum docet fieri in pœnam originalis peccati; & hoc ex mente S. AUGUSTINI: nec non & in omnibus quibuſcumque denegatur. Cùm autem in plurimis peccatum origi-

Digitized by Google

nale, quo naſcendo inficimur, dimittatur per baptiſmum: oportet vt Sol Angelicus intelligatur de peccato originali, quo omnes in Adam peccavimus. Sic autem loquitur: *Quod quidem auxilium quibuſcumque divinitùs datur, miſericorditer datur; quibus autem non datur,* EX IVSTITIÂ NON DATVR *in pænam præcedentis peccati, & ſaltem originalis, ut Auguſt. dicit in lib. de corrept. & grat.* In iſto autem loco S. Augustini de correptione & gratiâ clariſſimè docetur, peccatum originale, quo omnes in Adam peccavimus, eſſe cauſam univerſalem reprobationis hominum, uti ſectione præcedenti demonſtravimus.

SECTIO NONA.

Ratione ex principiis utriuſque Solis petitâ probatur aſſertio.

APertiſſimis utriuſque Solis teſtimoniis rationem non minùs apertam ex eorum principiis ſuperaddimus, quâ veritas aſſertionis noſtrę ita efficaciter comprobatur, ut âmator veritatis nobis conſentire non vereatur. Formatur ratio in hunc modum. Datur à parte rei cauſa reprobationis hominum; ſed iſta cauſa non eſt aliquod peccatum actuale reprobi, vt de ſe notum eſt, nec peccatum originale, quo naſcendo inficimur, ut ſectione ſextâ probavimus; ergo eſt peccatum originale, quo omnes in Adam peccavimus. Conſequentia eſt legitima à ſufficienti partium enumeratione.

Majorem, in quâ ſolâ eſt difficultas, ſic probo: Primum hominum peccatum eſt pæna peccati: ergo datur à parte rei cauſa permiſſionis primi hominum peccati; patet conſequentia: magis enim ipſa permiſſio, quàm peccatum, habet rationem pænæ; ſiquidem permiſſio eſt à Deo, à quo eſt pœna, non autem peccatum. Permiſſio peccati non poteſt eſſe pœna, niſi in punitionem alterius peccati permittatur peccatum. Si ergo primum hominum peccatum permittatur in punitionem alterius peccati, illud alterum peccatum erit cauſa permiſſionis primi hominum peccati; & conſequenter reprobationis: quia juxta Angelicum Solem quod eſt cauſa permiſſionis primi peccati, quæ eſt primus reprobationis effectus, eſt etiam cauſa reprobationis.

Probatur ant. quòd, ſcilicet, primum hominum peccatum ſit pœna peccati. Primum hominum peccatum, quod eſt unicuique proprium, vel eſt originale quo naſcendo inficimur, vel aliquod actuale. Conſtat ex doctrinâ S. Augustini ſectione ſextâ traditâ, quod originale peccatum, quo naſcendo inficimur ſit pœna peccati. Verba S. Doctoris ſunt: *Sed pertinet originale peccatum ad hoc genus tertium, ubi ſic peccatum eſt, ut ipſum ſit & pæna peccati:*

quod

quod ineſt quidem naſcentibus. Conſtat etiam ex eâdem Augustinianâ doctrinâ Ignorantiam, & Concupiſcentiam, id eſt mali deſiderium, eſſe pœnas peccati; Sic enim lib. 3. de lib. arbit. c. 18. loquitur: *Nec mirandum eſt, quòd vel ignorando non habeat liberum arbitrium voluntatis ad eligendum quod rectè faciat; vel reſiſtente carnali conſuetudine*, hoc eſt mali deſiderio, ſivè concupiſcentiâ, *quæ violentiâ mortalis ſucceſſionis quodammodò naturaliter indolevit videat quid rectè faciendum ſit, & velit, nec poſſit implere.* Illa est enim peccati poena iustissima, *ut amittat quiſque, quo benè uti noluit, cùm ſine ullâ poſſet difficultate ſi vellet, id eſt autem, ut qui ſciens rectè non facit, amittat ſcire, quod rectum ſit: & qui rectè facere, cùm poſſet, noluit, amittat poſſe cùm velit*, obſiſtente ſcilicet mali deſiderio. *Nam* sunt reverà omni peccanti animæ duo ista poenalia, Ignorantia et difficultas ex contrariâ ad malum inclinatione. *Ex Ignorantiâ dehoneſtat error; ex difficultate cruciatus affligit*, &c. Et ibid. ſpecialiter de Ignorantiâ ait: *Approbare falſa pro veris, ut erret invitus, non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati.* Specialiter etiam de concupiſcentiâ lib. de pecc. merit. c. 19 dicit: *Secutum eſt ex debitâ juſtâ pœnâ tale vitium, ut jam moleſtum eſſet obedire juſtitiæ.*

Si huic Augustinianæ Doctrinæ adjungatur alia, quâ conſtanter docet, omne peccatum actuale hominis infirmi ex ignorantiâ, vel concupiſcentiâ procedere, manifeſtè ſequitur, quodcumque peccatum actuale hominis infirmi eſſe ita peccatum, ut ſit etiam pœna peccati. De quo S. Augustinus lib. 2. de pecc. merit. c. 17. *Nolunt homines facere quod juſtum eſt, ſivè quia latet an juſtum ſit, ſivè quia non delectat .... Ignorantia igitur & infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere mali abſtinendum.* Et in Enchir. ad Laurent. c. 24. *Duabus ex cauſis peccamus, aut non videndo quid facere debeamus, aut non faciendo, quod debere fieri jam videmus: quorum illud ignorantiæ malum eſt, hoc infirmitatis.*

Imò quia ipſa peccata ignorantiæ concupiſcentiam ſequendo, eique conſentiendo committuntur, & concupiſcentia eſt cauſa ignorantiæ *quâ malum*, quod naturæ legibus vetitum eſt, *quaſi bonum placet*, de illâ enim ignorantiâ ſemper S. Augustino ſermo eſt; fit ut omne peccatum hominis infirmi concupiſcentiæ tribuatur. Quod apertiſſimè docet S. Augustinus lib. de Spirit. & litt. c. 4. *Non figuratè aliquid dicitur, quod accipiendum non ſit ſecundùm litteræ ſonum, cùm dicitur: Non concupiſces; ſed apertiſſimum ſaluberrimumque præceptum eſt, quod ſi quis impleverit, nullum habebit omninò peccatum. Nam hoc ideò elegit Apoſtolus generale quiddam, quo cuncta complexus eſt, tamquam hæc eſſet vox legis ab omni peccato prohibentis, quod ait; Non concupiſces.* Neque enim ullum peccatum nisi concupiscendo committitur.

Nec refert peccatum ex certâ malitiâ diſtingui à peccato ex concupiſcentiâ, juxta Angelicum Solem; quia in iſtâ diſtinctione ſumitur concupiſcen-

Digitized by Google

tia pro paſſione inordinatâ appetitus ſenſitivi. Nos autem cum S. AUGUSTINO loquimur hîc de concupiſcentiâ, ut dicit inclinationem, ſeu deſiderium rei ſecundùm ſe malæ; à quâ inclinatione procedit etiam peccatum ex certâ malitiâ, quod juxta Angelicum Solem 1. 2. q. 78. art. 3. Præſupponit diſpoſitionem corruptam inclinantem ad malum, quæ *vel eſt aliquis habitus acquiſitus ex conſuetudine quæ vertitur in naturam; vel eſt aliqua ægritudinalis habitudo ex parte corporis ſicut aliquis habens quaſdam naturales inclinationes ad aliqua peccata propter corruptionem naturæ in ipſo.* Omnis autem corruptio naturæ eſt pœna peccati; ſicut & omnis habitus malus, qui non niſi peccatis, quæ ſunt pœna peccati, acquiritur.

Quarè meritò dixit S. AUGUSTINUS in Enchir. cap. 27. *Ad iram quippè Dei pertinet juſtam, quidquid cæcâ & indomitâ concupiſcentiâ faciunt libenter mali, & quidquid manifeſtis opertiſq; pœnis patiuntur inviti.* Quaſi diceret, volens Deus punire peccatum, quo omnes in Adam peccavimus, permittit nos cæcâ & indomitâ peccare concupiſcentiâ. In quo differt reprobatio hominum à reprobatione Angelorum; ſiquidem in reprobatione Angelorum permiſſio peccati non oritur ex voluntate puniendi, nec eſt actus juſtitiæ; & ideò dictum eſt, nullam eſſe cauſam iſtius reprobationis adæquatè ſumptæ. At in reprobatione hominum ex voluntate puniendi peccatum maſſæ, oritur permiſſio peccati, quod eſt unicuique proprium; & ideò dictum eſt, aliquam eſſe cauſam reprobationis hominum adæquatè ſumptę. Non autem quâcumque permiſſione peccati punitur peccatum maſſæ, ſed permiſſione peccati, cui gratia liberans denegatur, ſivè cui Deus non vult parcere.

Eſt & alia differentia ex præcedenti orta, nempè reprobos homines factos eſſe vaſa iræ aptata in interitum, ſecùs reprobos Angelos; Cùm enim Angeli non ſint permiſſi peccare ex aliquâ voluntate puniendi, ſed potiùs voluntas puniendi orta fuerit ex peccato quod liberrimâ voluntate commiſerunt, magis dicendum eſt Angelos ſe feciſſe vaſa iræ, quàm ad hoc à Deo deſtinatos eſſe. Verùm cùm homines in punitionem peccati, quod in Adam commiſerunt omnes, permittantur cæcâ & indomitâ peccare concupiſcentiâ; eo ipſo quòd denegetur eis gratia liberans deſtinantur vaſa iræ, ut in eis oſtendat potentiam juſtitiæ ſuæ, & quid meruiſſent vaſa miſericordiæ, ſi gratia non liberaret eos.

Ex quibus colliges, primum reprobationis effectum in hominibus eſſe denegationem gratiæ liberantis à maſſâ damnationis, ſivè ut dicit D. THOMAS, derelictionem in miſeriâ. Hæc denegatio, ſivè derelictio fit in tempore per quamlibet permiſſionem cujuſlibet peccati, cui denegatur gratia liberans, ſivè cui Deus non vult parcere. Nam quantumcumque quis juſtificetur, ſi tamen permittatur incidere in peccatum, cui Deus non vult parcere, non eſt à maſſâ damnationis liberatus; ita nec parvulus

Digitized by Google

cui denegatur baptiſmus eſt à maſsâ damnationis liberatus.

Hinc S. AUGUSTINUS, ſicut effectum adæquatum prædeſtinationis explicat per liberationem à maſsâ damnationis; ita & effectum adæquatum reprobationis explicat per derelictionem in maſsâ damnationis. Nam lib. de bono perſev. cap. 14 poſtquam dixerat, quòd prædeſtinatio eſſet *præparatio beneficiorum Dei quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur*, ſtatim ſubjungit: *cæteri autem ubi niſi in maſsâ perditionis juſto divino judicio relinquuntur.* Ergo & ille cui denegatur perſeverantia juſto divino judicio in maſsâ Perditionis relinquitur: quod certè verum non eſt ſi denegatio perſeverantiæ non ſit in punitionem peccati illius, ex quo uno omnes ivimus in condemnationem: quod apertiſſimè expreſſit de corrept. & grat. c. 7. *Qui verò perſeveranturi non ſunt & ſic à fide Chriſtianâ & converſatione lapſuri ſunt ut tales eos vitæ hujus finis inveniat: procul dubio nec illo tempore quo benè pieq; vivunt, in iſto numero computandi ſunt. Non enim ſunt à maſsâ illâ perditionis præſcientiâ Dei & prædeſtinatione diſcreti, & ideò nec ſecundùm propoſitum vocati, ac per hoc nec electi.* Et rursùs in eodem libro cap. 9. *Faciat ipſe cum charitate quod ſcit eſſe faciendum; ſcit enim talem corripiendum, facturo Deo aut miſericordiam aut judicium: miſericordiam quidem ſi à maſsâ perditionis ille qui corripitur gratiæ largitate diſcretus eſt.*

Quarè à S. AUGUSTINO planè recedunt qui diſcretionis cauſam ex parte reprobationis nolunt eſſe juſtum Dei judicium quo debitam reddit pœnam. Nam iſtæ quæſtiones, *Cur omnibus parvulis non detur baptiſmus? cur omnes adulti non juſtificentur? cur omnes juſtificati non perſeverant?* non aliter à S DOCTORE ſolvuntur, quàm juſtitiâ divinâ id fieri. Sic diſertis verbis habet lib. de prędeſt. ſanct. c. 8. „ Fides igitur & inchoata, & perfecta, donum Dei eſt; & hoc „ donum quibuſdam dari, quibuſdam non dari omninò non dubitet qui non „ vult manifeſtiſſimis ſacris litteris repugnare. CVR AVTEM NON OMNIBVS „ DETVR, fidelem mouere non debet, qui credit *ex uno* omnes eſſe *in condem-* „ *nationem* ſine dubitatione juſtiſſimam; ita ut nulla Dei eſſet juſta reprehen- „ ſio, etiamſi nullus indè liberaretur. Undè conſtat magnam eſſe gratiam, „ quod plurimi liberantur, & quid ſibi deberetur, in eis qui non liberantur „ agnoſcunt; ut *qui glorientur*, non in ſuis meritis, quæ paria vident eſſe „ damnatis, ſed *in Domino glorientur.* Cur autem iſtum potiùs quàm illum liberet, *inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus.* Meliùs enim & hîc „ audimus aut dicimus, *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo*, quàm dicere au- „ deamus quaſi noverimus quod occultum eſſe voluit, qui tamen aliquid in- „ juſtum velle non potuit.

Et lib. de dono perſev. cap. 8. CVR ERGO NON OMNIBVS? *Et hîc reſpondeo: Quoniam Deus judex juſtus eſt: ac per hoc & gratis ab eo datur gratia: & juſto eius in aliis judicio demonſtratur, quid in eis quibus datur, conferat gratia. Non itaque ſimus ingrati, quòd ſecundùm placitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ*

Digitized by Google

tam multos LIBERAT *miſericors Deus* DE TAM DEBITÂ PERDITIONE; *ut ſi indè neminem liberaret', non eſſet injuſtus. Ex uno quippè omnes in condemnationem non injuſtam iudicati ſunt ire, ſed juſtam.* QVI ERGO LIBERATUR GRATIAM DILIGAT; QVI NON LIBERATVR DEBITVM AGNOSCAT.

Quæ omnia breviter expreſſimus (in ſolutione §. 6. cujus occaſione præſentem addidimus appendicem) dum diximus, Quòd non omnes damnentur, miſericordia eſt; Quòd non omnes ſalventur, juſtitia eſt.

SECTIO VLTIMA.

Ex S. Augustino *oſtenditur, prædeſtinationem prævenientem omnia merita, non plus habere difficultatis, quam ſimplicem Dei præſcientiam.*

OBſtupeſco acutum Moliniſtarum ingenium, quo inſuperabiles ſe advenire putant difficultates in ſententiâ utriuſque Solis aſſerente, ſicut dogma tutiſſimum & inconcuſſum, quòd independenter ab omni merito perſonali quidam in vaſa honoris quidam in vaſa iræ diſcreti ſunt; cùm tamen conſtitutio Dei præveniens omnem determinationem voluntatis, non plus habeat difficultatis, quàm ſimplex Dei præſcientia: nec efficacia decreti prævenientis fortiori impugnetur argumento, quàm certitudo præſcientiæ à mulierculis impugnari ſolet.

Quiſquis, inquiunt, apud ſe ita ratiocinari poteſt. Vel ſum de numero electorum, vel non ſum: ſi ſum de illo numero, impoſſibile eſt ut damner; non eſt ergo quòd metuam damnationem, vel de bonis operibus, vel de perſeverantiâ ſim ſollicitus. Si verò non ſum de numero ſic electorum, fruſtrà etiam ſum ſollicitus, fruſtrà præcepta ſervo, &c. Quia certiſſimus ſum, omnia nihil mihi profutura ad ſalutem, omnibus enim iſtis non poſſum intrare in iſtum numerum, extra quem nemo ſaluatur. Quid ergo ſequi poteſt, niſi in primis ſocordia, in ſecundis deſperatio. Ita Leſſius de prædeſt. & reprob. ſec. 2. n. 5. & cæteri Moliniſtæ.

Ipſiſſimum eſt Impugnatorum S. Augustini argumentum. Nam de utrâque parte, tam de ſollicitudinis ademptione, quàm *de deſperatione apud Proſperum dicunt*: *Hoc propoſitum vocationis Dei quo eligendorum & reiiciendorum dicitur facta diſcretio, ut ſecundùm quod placuit Deo creatori, alii vaſa honoris, alii vaſa contumeliæ ſint creati, & lapſis curam reſurgendi adimere, & ſanctis occaſionem teporis afferre, eo quòd utrâque parte ſuperfluus labor ſit, ſi neque rejectus ullâ induſtriâ poſſit intrare, neque electus ullâ negligentiâ poſſit excidere. Quoquo enim modo ſeſe ege-*

Digitized by Google

rint non poſſe aliud erga eos quàm Deus definivit accidere, & ſub incertâ ſpe curſum non poſſe eſſe conſtantem; cùm ſi aliud habeat prædeſtinantis electio caſſa ſit adnitentis intentio. Removeri itaque omnem induſtriam, tollique virtutes ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates. Videant hîc Moliniſtæ ipſiſſimas quas obiiciunt querimonias adverſus iſtud Dei propoſitum quo humanas præveniendo voluntates, eligendorum & reiiciendorum diſcretionem facit.

Quid igitur Cordatus dicet? Non aliud certè quàm facillimum eſſe, res veriſſimas hominibus maximè imperitis ita proponere, ut non ædificentur, ſed ſcandalizentur auditores, ſicut facillimum eſſe, optima medicamenta ſic applicari ut noceant potiùs quàm ut proſint ægrotantibus. *Doloſi vel imperiti medici eſt*, (inquit S. AUGUSTINUS lib. de dono perſev. c. 22.) *etiam utile medicamentum ſic alligare ut aut non proſit, aut obſit.* Nam idem dilemma pari prorſus modo ad auferendam bonorum operum ſollicitudinem, inferendamque deſperationem, de præſcientiâ intorqueri poteſt. Vel nunc ſum de illorum numero, quos Deus ab æterno prævidit eſſe ſalvandos, vel non ſum. Si ſum; nulla mea in poſterum diſſolutio aut ſegnities faciet, ut indè excidam: ut quid igitur ſollicitus ſum? ſi non ſum; nullâ ſollicitudine efficiam ut in illo numero comprehendar: quid igitur reſtat niſi deſperatio! Quod tamen argumentum ab omnibus Catholicis diſſoluendum eſt.

Quarè S. AUGUSTINUS iſtam prædeſtinationis ac præſcientię ſimilitudinem, quantum ad ſollicitudinem ac ſocordiam benè vivendi notans, docet nos non magis deterreri debere à confitendâ prædeſtinatione Dei, quâ decernit aliquos facere bonos, quàm à præſcientiâ quòd ex ſeipſis ſint futuri boni, ſi quis de illâ populo ſic loquatur: *ſivè nunc rectè vivatis, ſivè non rectè, tales vos eritis Poſteà, quales vos Deus futuros eſſe præſcivit, vel boni ſi bonos, vel mali ſi malos.* lib. de dono perſev. c. 15. Undè conſequenter addit: *Numquid enim ſi hoc audito nonnulli in torporem ſegnitiemque vertantur, & à labore proclives ad libidinem poſt concupiſcentias ſuas eant, propterea de præſcientiâ Dei falſum putandum eſt eſſe quod dictum eſt? Nonne ſi Deus illos bonos futuros eſſe præſcivit boni erunt, in quantâlibet nunc malignitate verſentur; ſi autem malos mali erunt, in quantâlibet nunc bonitate cernantur?* Et adfert exemplum cujuſdam fratris in monaſterio, qui iſto argumento tantùm profecerat, ut deſertâ monaſterii ſocietate, velut canis ad vomitum ſuum reverteretur.

Et cap. 22. cùm illo modo contra reprobationem à regno Dei arguerent ſui Impugnatores: *Et ſi qui eſtis qui obeditis, ſi prædeſtinati eſtis reiiciendi, ſubtrahentur obedientiæ vires, ut obedire ceſſetis*; reſpondet eis S. AUGUSTINUS invertendo idipſum argumentum adverſus præſcientiam, quam libentiſſimè fatebantur: *illo autem modo, inquit, quo id dicendum putant eâdem ſententiâ, iiſdem pænè verbis etiam de præſcientiâ Dei quam certè negare non poſſunt, pronuntiari poteſt, ut dicatur; Et ſi qui obeditis, ſi præſciti eſtis reiiciendi obedire ceſ-*

Digitized by Google

ſabitis, nempè hoc veriſſimum eſt; ita ſanè, ſed improbiſſimum, importuniſſimum, incongruentiſſimum, non falſo eloquio, ſed non ſalubriter valetudini humanæ infirmitatis appoſito.

Quapropter abſque ullâ tergiverſatione dicendum eſt, utramque conſequentiam eſſe vitioſam, quia voluntas abſoluta dandi gloriam & conſequenter operandi gratiam non magis tollit ſollicitudinem boni operis prædeſtinatis, quàm præſcientia. Neutro quippè modo merita ſeu bona opera ſine ſollicitudine ac diligentiâ, & voluntatis cooperatione ſecutura ſunt. Sed in hoc eſt differentia, quòd qui crediderit primum, humillimâ voluntate ſollicitudinem illam expectandam eſſe judicabit & rogandam à Deo, qui niſi ſollicitum faciat, ſe nunquam ſollicitum eſſe poſſe, non dubitat: qui verò ſecundum, ſollicitudinem iſtam à ſeipſo ſuperbâ voluntate petiturus eſt. Nam eam gratiæ ſic tribuere, ut illam ipſam gratiam humanæ ſubiicias voluntati, quatenus eam in actu ſecundo efficacem aut inefficacem reddat, ut opus ſequatur, ſi gratiam ſuo nutu determinaverit, non eſt aliud quàm ſollicitudinem atque operationem à ſeipſo ſeu ab humanâ voluntate petere: nec eſt aliud quàm aliquid eſſe ab humanâ voluntate in actu bono, quod non ſit à Deo.

Non ſic Fulgentiſſimus Eccleſiæ Sol S. Augustinus qui Impugnatoribus ſuis exiſtimantibus fidem ad nutum humanæ voluntatis non autem ex decreto & prædeſtinatione Dei eſſe largiendam, qui quem dignatur vocat, & quem vult religioſum facit, in hunc modum reſpondet lib. de dono perſev. c. 17. *Sicut ille quem Deus caſtum futurum eſſe præſcivit, quamvis id incertum habeat, non ideò non agit ut caſtus ſit*, hoc eſt non ideò non eſt ſollicitus agere ut caſtus ſit, *quoniam Dei dono ſe audit futurum eſſe quod quærit, imo etiam gaudet, ejus charitas nec inflatur, tamquam id non acceperit. Non ſolùm ergo prædicatione prædeſtinationis ab hoc opere non impeditur, verùm ad hoc adjuvatur, ut cùm gloriatur in Domino glorietur.*

Uterque igitur qui de numero electorum eſt, ſivè ex prævisione, ſivè ex prædeſtinatione, ſollicitus de bonis operibus ac ſalute eſſe debet, quia & prædeſtinatio & præſcientia habet per ſollicitudinem & opera bona electionis effectum reipsâ eſſe conferendum. Nec enim ulla eſt ratio, cur minùs ſolliciti ſimus ut præſtemus id quod per nos ipſos Deus fieri prædeſtinavit, quàm id quod Deus nos facturos eſſe præſcivit. Nam ſicuti non fieret id quod Deus præſcivit eſſe futurum, niſi adhiberentur ea media, per quæ id futurum eſſe præſcivit, ita non fieret id quod præordinavit, decrevitque talibus mediis fieri niſi quoque talia media, per quæ iſtud fieri decrevit, adhibeantur. Vide art.4. cap.1.

Quarè clariſſimum eſt, prædeſtinationem non plus habere difficultatis quàm præſcientiam, eo ipſo quòd tam finis quàm media, tam ſubſtantia actus,

Digitized by Google

quàm modus, æqualiter ſubiiciantur prædeſtinationi ac præſcientiæ. Si enim præſcitus ad aliquem finem non negligit media neceſſaria ad conſecutionem finis, quia non niſi cum præviſione mediorum neceſſariorum eſt præſcitus ad finem; ita prædeſtinatus ad ſalutem non debet negligere media neceſſaria ad ſalutem, quia non niſi cum prædeſtinatione mediorum eſt prædeſtinatus ad ſalutem. Similiter ſi præſcitus ad aliquem actum, ponit liberè illum, quia non ſolùm ſubſtantia actus ſed & omnis modus ad libertatem requiſitus eſt præſcitus: ita prędeſtinatus ad aliquem actum, ponet liberè illum, quia non ſolùm ſubſtantia actus, ſed & omnis modus ad libertatem requiſitus eſt etiam prædeſtinatus. Hæc eſt ratio cur in bonis loco ly *præſcivit*, poteſt ſemper poni ly prædeſtinavit, ſecundùm regulam S. AUGUSTINI n. 23. allatam. Ex quo fit, ut nullo teſtimonio ſanctorum Patrum poſſit efficaciter urgeri noſtra ſententia, imò & omnibus illis teſtimoniis comprobetur, quæ ad impugnandum nos, aſſumunt Adverſarii. Vide numerum citatum.

Quos enixè rogamus ut cautè & ſeriò advertant, quid ſit melius, in ſe ſperare, an in Deo ſperare? quid tutius, ſuæ ſe committere voluntati, an divinæ ſe committere voluntati? Qui ſperat gratiam à voluntate determinandam non in Deo, ſed in ſuâ determinatione confidit; Qui ſperat gratiam voluntatem determinantem, non in ſuâ determinatione, ſed in Deo totaliter confidit. Hinc S. AUGUSTINUS urgebat ſuos Impugnatores, quod gratiam determinantem deſperationis eſſe cauſam aſſererent, cùm tamen ſecundùm eam in Deo maximè ſperetur; ut patet lib. de dono perſev. c. 17. his verbis: *Ego autem nolo exaggerare meis verbis ſed illis cogitandum potiùs relinquo ut videant quale ſit quod ſibi perſuaſerunt, prædicatione prædeſtinationis audientibus plus deſperationis quàm exhortationis afferri: hoc eſt enim dicere, tunc de ſuâ ſalute hominem deſperare quando ſpem ſuam non in ſeipſo ſed in Deo didicerit ponere.* Et cap. 22. *An verò timendum eſt ne tunc de ſe homo deſperet, quando ſpes eius ponenda demonſtratur in Deo, non autem deſperaret, ſi eam in ſeipſo ſuperbiſſimus & infeliciſſimus poneret.*

Quorum verborum vis & energia conſiſtit in hoc, quòd conſtans fuerit S. AUGUSTINI doctrina, nullas eſſe in homine vires adeò ſufficientes, quin indigerent ulteriori Dei auxilio prædeterminante ad actum: prædeſtinationem verò non eſſe niſi talium auxiliorum de ſe efficacium præparationem. E contrà Impugnatores S. AUGUSTINI volebant, nullam eſſe gratiam adeò potentem, quæ non dependeret à propriâ liberi arbitrii determinatione, quam Deus debebat prævidere, ut efficaciter hominem prædeſtinaret. Si quis hanc ſententiarum contrarietatem diligenter perpenderit, vim & energiam prædictorum verborum percipiet. Nam conſtat, cum qui accepit à Deo omne prærequiſitum ad actum, & ſolâ determinatione ſuæ voluntatis opus ha-

bet, nihil pro actu exequendo à Deo ſperare poſſe, ſed in ſuâ determinatione totaliter confidere: Qui verò agnoſcit imbecillem eſſe omnem ſuam ſufficientiam ſi ulteriori auxilio non adjuvetur, non in ſuis viribus ſed in Deo ſperare poteſt. Ex quo perſpicuum eſt, S. Augustinum juſtiſſimè exprobraſſe ſuis Impugnatoribus, quòd vellent eam ſententiam eſſe cauſam deſperationis, quæ oſtenderet ſpem hominis non in ſuâ determinatione, ſed in Deo eſſe ponendam. Non igitur immeritò ſuis Impugnatoribus dicit: *An verò timendum eſt ne tunc de ſe homo deſperet, quando ſpes eius ponenda demonſtratur in Deo, non autem deſperaret, ſi eam in ſeipſo ſuperbiſſimus & infeliciſſimus poneret.*

Verùm demus Moliniſtis, hominem non indigere ulteriori auxilio, ſed in ſolâ voluntatis ſuæ determinatione repoſitam habere ſalutem: an ideò ſpem ſalutis ſuæ certiorem habebit? Minimè. Non enim *Moliniſta* certus eſt, quòd ad credendum & amandum Deum ſe determinabit; ſicut nec Thomista certus eſt, quòd ad credendum & amandum Deum ſit à Deo determinandus. Uterque incertus eſt. Sub iſtâ utriuſque incertitudine judicet Cordatus, quis duorum certiùs ſperet & conſtantiorem habet curſum, an *Moliniſta*, qui ſuæ voluntati quæ infirmior eſt ſe committit? an non potiùs Thomista, qui voluntati Dei quæ potentior eſt ſe committit? urget hoc mirabiliter S. Augustinus contra ſuos Impugnatores lib. de prædeſt. Sanct. c. 11. dicens: *Sanè cùm Apoſtolus dicat, Ideò ex fide, ut ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio, miror homines infirmitati ſuæ ſe malle committere, quàm firmitati promiſſionis Dei. Sed incerta eſt mihi, inquis, de meipſo voluntas Dei. Quid ergo? tuane tibi voluntas de teipſo certa eſt, nec times? Qui videtur ſtare, videat ne cadat. Cùm igitur utraque incerta ſit, cur non homo firmiori quàm infirmiori fidem ſuam, ſpem, charitatemque committit?*

§. VIJ. *Plurimum hallucinantur Moliniſtæ circa Angelicam doctrinam de modo cognoſcendi futura contingentia.*

NUſquam Moliniſtæ ita produnt ſuam in Angelicâ doctrinâ ignorantiam, quàm dum ex modo cognoſcendi futura contingentia, quem D. Thomas tribuit Deo, putant excludi decreta de ſe efficacia, & virtus eorum executrix prædeterminatio phyſica. Sic enim argumentantur. D. Thomas enumerans omnes modos cognoſcibilitatis futurorum contingentium ſemper negat ea certò & infallibiliter cognoſci in cauſis ſuis: ſed admiſſis decretis, & phyſicâ prædeterminatione, Deus certò & infallibiliter cognoſceret illa in cauſis ſuis prædeterminatis: ergo modus cognoſcendi futura contingentia, quem tradit Angelicus Magiſter excludit decreta de ſe efficacia, & prædeterminationem phyſicam.

CCLVIIJ. Hoc argumentum, quod adeò extollunt juniores Moliniſtæ, procedit

Digitized by Google

procedit ex purâ Angelicæ doctrinæ ignorantiâ. Pro quo ſciendumeſt, quod aliquid cognoſci in causâ contingit dupliciter; uno modo, ut *medio cognitionis priùs cognito*; alio modo, *ut termino ultimo cognitionis*. Tunc cauſa habet ſe ut medium cognitionis priùs cognitum quando effectus cognoſcitur ſecundùm illud *eſſe*, quod habet extra cauſam per ſpeciem expreſſam cauſæ. Tunc verò cauſa dicitur terminus ultimus cognitionis, quando effectus cognoſcitur ſecundùm *eſſe* quod habet in causâ, & cognitio non tranſit ad *eſſe*, quod habet effectus extra cauſam. Huic diſtinctioni duo principia Moliniſtis ignota, vel fortè ab eis contempta conjungo.

Primum principium apud Angelicum Doctorem indubitatum eſt, Eſſentiam divinam eſſe *medium priùs cognitum*, quo Deus alia à ſe cognoſcit. Hoc docet variis in locis, Et 1. cont. Gent. cap. 49. his verbis: *Effectus enim cognitio ſufficienter habetur per cognitionem ſuæ cauſæ. Undè ſcire dicimus unumquodque quando cauſam ejus cognoſcimus. Ipſe autem Deus eſt, per ſuam eſſentiam cauſa eſſendi alijs. Quum igitur ſuam eſſentiam pleniſſimè cognoſcat, oportet ponere quòd alia cognoſcat.* Et inferiùs: *Colligentes igitur has duas concluſiones, apparet Deum cognoſcere ſeipſum quaſi primò & per ſe notum*; ALIÂ VERO SICUT IN ESSENTIÂ SUÂ VISÂ.

Ex hoc principio probat cap. 50. Deum habere propriam cognitionem de omnibus rebus Cap. 65. ex eodem principio probat Deum cognoſcere ſingularia. Cap. 66. probat ex eodem Deum cognoſcere etiam eâ quæ non ſunt. Cap. 67. Deum cognoſcere futura contingentia, & cap. 68. cogitationes mentium, & voluntates cordium *in virtute cauſæ, cùm ſit ipſe univerſale eſſendi principium.*

CCLIX. Ignorantia hujus principii mater fuit Scientiæ Mediæ. Nam ſi Deus quidquid eſt à ſe diſtinctum cognoſcat in quantum eſt cauſa illius, oportet ad hoc, ut cognoſcat gratiam datam in his circumſtantiis conjungi cum determinatione liberi arbitrii, quòd ſit cauſa iſtius conjunctionis, & iſtam conjunctionem in eſſentiâ ſuâ priùs cognitâ, ſicut in causâ videat: Atqui juxta principium datum ſcientia Dei eſt cauſa eorum omnium quæ Deus in ſuâ eſſentiâ cognoſcit, ſicut in causâ: ergo juxta principium datum ſcientia Dei erit cauſa iſtius conjunctionis, quam habet gratia in his circumſtantiis data cum determinatione liberi arbitrii: & conſequenter non erit Scientia Media, quæ non eſt cauſa ſui objecti, ſed poſterior eo.

Evidens igitur eſt aſſerentem, Deum omnia alia à ſe cognoſcere in eſſentiâ ſuâ, ſicùt in causâ priùs cognitâ, nullum dare locum Scientiæ Mediæ, quæ non poteſt eſſe cauſa rei ſcitæ, nec prior illâ. Et cùm præjictum principium adeò ſit in D. THOMÂ firmatum, ut non aliter de ſcientiâ Dei reſpectu creaturarum loquatur, quàm de ſcientiâ artificis, reſpectu artificialium: quicumque hoc principio deſtructo ex aliis D. THOMAE teſtimoniis, ut plurimùm truncatis, Scientiam Mediam à Doctore Angelico aſſertam in-

Digitized by Google

ſonuerit, non niſi ſonitus habet, factusque eſt velut æs ſonans, & cymbalum ſolùm tinniens.

CCLX Secundum principium apud Angelicum præceptorem non minùs indubitatum eſt, quòd ſcilicet, nullum futurum, ſivè neceſſarium, ſivè contingens cognoſcat Deus in eſſentiâ ſuâ, ſicut *in termino ultimo cognitionis*: cùm ad hoc requiratur, ut cognitio divina non terminetur ad eſſe, quod habet res futura extra eſſentiam divinam: quod eſt impoſſibile, eo quòd cognitio divina menſuretur æternitate, quæ omnibus differentiis temporum præſentialiter coëxiſtit. Quod eleganter explicat Angelicus Magiſter q. 2. de veritate, art. 12. his verbis: *Tunc aliquid cognoſcitur ut futurum eſt, quando inter cognitionem cognoſcentis, & rei eveutum invenitur ordo præteriti ad futurum, hic autem non poteſt inveniri inter cognitionem divinam, & quamcumque rem contingentem; ſed ſemper ordo divinæ cognitionis ad rem quamcumque eſt ſicut præſentis ad præſens.* Præclarè hoc probat. 1. diſt. 38. q. 1. a. 5. dicens:

„ Divina enim cognitio modum æternitatis habet, qui eſt eſſe totum ſimul „ ſine ſucceſſione, undè ſicut quamvis tempus ſemper ſit ſucceſſivum, tamen „ æternitas eſt præſens omnibus temporibus una, & eadem, & indiviſibilis „ ut nunc ſtans, ita cognitio ſua intuetur omnia tempora, quamvis ſibi ſuc- „ cedentia, ut præſentia ſibi, nec aliquid eorum eſt futurum reſpectu ipſius, „ ſed unum reſpectu alterius: undè ſecundùm Boëtium meliùs dicitur provi- „ dentia, quàm prævidentia, quia non quaſi futurum, ſed omnia ut præſen- „ tia uno intuitu procul videt, quaſi ab æternitatis ſpeculo; ſed tamen po- „ teſt dici præſcientia in quantum cognoſcit id, quod futurum eſt nobis, „ non ſibi.

CCLXJ. Ex duobus ſupradictis principiis Colligitur primò, dupliciter cognoſci aliquid in decreto divino; uno modo, *ut in medio priùs cognito*, vel meliùs ut *determinante medium priùs cognitum*; alio modo, ut *termino ultimo cognitionis*. Priori modo omnia futura ſivè neceſſaria, ſivè contingentia cognoſcit Deus in ſuo decreto, juxta illud D. Thom. 1. p. q. 14. art. 5. *quòd Deus ſeipſum videt in ſeipſo, alia autem à ſe videt, non in ipſis ſed in ſeipſo*, ubi nota, quòd cognoſcere aliquid in ſeipſo accipitur dupliciter à D. Thoma, ſemel prout opponitur cognitioni quę terminatur tantùm ad *eſſe* quod habet res in causâ, & ita cognoſcere aliquid in ſeipſo eſt idem ac cognoſcere illud ſecundùm *eſſe* quod habet actu extra cauſam. Secundò accipitur prout opponitur cognitioni in alio priùs cognito; & hoc modo dicit D. Thom. Deum videre alia à ſe non in ipſis ſed in ſeipſo; quia ut ex primo principio habetur, omnia alia à ſe cognoſcit in eſſentiâ ſuâ ſicut in causâ priùs cognitâ: Et conſequenter in eſſentiâ ſuâ per decretum determinatâ; Virtus enim liberè agentis, & per modum artificis, non eſt cauſa effectus niſi ex propoſito ſuæ voluntatis. Ideò dixit D. Thomas 1. p. q. 14. art. 9. ad 3. *Scientia Dei eſt cauſa rerum voluntate*

adjunctâ: undè non oportet, quòd quæcumque ſcit Deus, ſint, vel fuerint, vel futura ſint; ſed ſolùm ea quæ VULT ESSE, VEL PERMITTIT ESSE. Et in 1. ſent. diſt. 39. q. 1. ad 5. *Licet eſſe & ſcire in Deo ſint idem ſecundùm rem, tamen* SCIRE SEQUITUR VOLUNTATEM, UT IMPERATUM AB IPSÂ, *eſſe autem, non, & ideò eſſe ſuum non ſubjacet libertati voluntatis, ſicut* SCIRE OPERATIVUM CREATURÆ.

Poſteriori autem modo quo aliquid cognoſcitur in decreto, ſicut *termino ultimo cognitionis*, Deus nullum futurum ſivè neceſſarium, ſivè contingens, cognoſcit in ſuo decreto. Nam ad hoc requiritur, quòd inter decretum & *eſſe* rei inveniretur ordo præteriti ad futurum, ut ſic cognitio terminaretur ſolùm ad *eſſe* rei quod habet in cauſâ, non verò ad *eſſe* quod habet extra cauſam; eo modo quo Ecclipſis futura cognoſcitur ab Aſtrologo in ſuis cauſis, qui non videt *eſſe* quod habet Ecclipſis extra cauſas ſuas, ſed ſolùm intuetur illud *eſſe* quod habet in determinatione ſuarum cauſarum. Hic autem ordo præteriti ad futurum non poteſt inveniri inter decretum divinum & quamcumque rem futuram, ſed ſemper ordo decreti divini ad rem quamcumque eſt ſicut ordo præſentis ad præſens; eo quòd decretum divinum, non minùs ac divina cognitio, æternitate menſuretur. Hinc

CCLXIJ. Colliges ſecundò, hanc eſſe rationem, quòd Angelicus Præceptor ſæpè non meminerit decreti dum loquitur de cognoſcibilitate futurorum contingentium. Quia, ſcilicet, cognitio futuri contingentis quam habet Deus in decreto, non eſt cognitio futuri, ſed præſentis; eſt enim quaſi cognitio rei in ſpeculo. Undè D. THOMAS intendens tradere modum cognoſcendi futurum contingens ſub ratione futuri ſemper attendit ad cauſas creatas, reſpectu quarum dicitur futurum. Et hanc ponit continuò differentiam inter futurum contingens, & futurum neceſſarium; quòd futurum contingens non habet *eſſe* determinatum in ſuis cauſis per intrinſecam cauſarum determinationem antequam actu producatur; ſiquidem de eſſentiâ contingentis eſt, quòd cauſa illius non ſit intrinſecè determinata ante actualem productionem, ita ut inter intrinſecam cauſæ determinationem, & exiſtentiam contingentis non inveniatur ordo præteriti ad futurum, ſed ordo determinationis cauſæ ad exiſtentiam contingentis ſit ſemper ordo pręſentis ad præſens. Et ideò conſtanter aſſerit Angelicus Præceptor, futurum contingens non poſſe cognoſci certò in ſuis cauſis ſecundùm intrinſeca ſua conſideratis. Futurum autem neceſſarium habet *eſſe* determinatum in ſuis cauſis per intrinſecam determinationem cauſarum antequam actu producatur; ita ut inter intrinſecam determinationem cauſæ, & exiſtentiam neceſſarij inveniatur ordo præteriti ad futurum. Et ideò poteſt certò cognoſci in ſuis cauſis intrinſecè conſideratis.

Breviùs & clariùs dico, quòd cauſę futuri contingentis antequam phyſicè prædeterminentur non ſunt determinatę ad illius productionem. Cauſæ au-

Digitized by Google

tem futuri neceſſarij antequam phyſicè prædeterminentur ſunt determinatæ ad illius productionem. Hæc eſt ergo differentia inter futurum contingens, & neceſſarium, quod futurum contingens non habet *eſſe* determinatum in causâ ante phyſicam causę prædeterminationem, nec conſequenter ſub ratione futuri per aliquam cognitionem ſciri poteſt, cui falſitas ſubeſſe non poſſit. Nam cognoſcere illud in cauſis phyſicè prędeterminatis non eſt cognoſcere illud ſub ratione futuri, ſed ſub ratione præſentis, quandoquidem ordo phyſicę prędeterminationis ad exiſtentiam rei non ſit ordo præteriti ad futurum, ſed ordo præſentis ad præſens. Futurum autem neceſſarium habet *eſſe* determinatum in causâ ante phyſicam cauſæ prędeterminationem, & ideò certò ſciri poteſt ſub ratione futuri: ſiquidem inter *eſſe* determinatum quod habet in causâ, & *eſſe* quod habet extra cauſam datur ordo prętériti ad futurum.

Ad formam igitur argumenti reſpondetur, concedendo Majorem, eo quòd D. Thomas tradit modos cognoſcendi futura contingentia ſub ratione futuri; convenienter ergo dixit futura contingentia non poſſe cognoſci certò in ſuis cauſis; quod debet intelligi de cauſis non phyſicè prędeterminatis, quia ſolummodò per ordinem ad cauſas non phyſicè prædeterminatas poſſunt contingentia habere rationem futurorum. Undè diſtinguitur Minor. Admiſſis decretis & phyſicis prædeterminationibus certò cognoſcentur futura contingentia in ſuis cauſis prædeterminatis, ſub ratione futurorum, negatur. Sub ratione preſentium, conceditur. Deindè diſtinguitur Conſequens: ergo modus cognoſcendi futura contingentia, quem tradit Angelicus Magiſter, excludit decreta de ſe efficacia, & phyſicas prædeterminationes, ut *terminos ultimos cognitionis*, conceditur; ut *media priùs cognita*, negatur. Patet ſolutio ex dictis.

CCLXIIJ. Enervatur quoque argumentum P. Annati, qui diſp. 1. num. 46. in hunc modum argumentatur. Quando S. Thomas concedit effectus neceſſarios præſciri poſſe in cauſis ſuis, ut futuros, vel ſeparat hujuſmodi cauſas à decreto, vel non. Si primum, falſum eſt effectus illos cognoſci poſſe in ſuis cauſis, quippè quæ ſecluſo tali decretò nihil operaturæ ſunt: ſi ſecundum, ergo dum negantur effectus contingentes poſſe ſimiliter in ſuis cauſis cognoſci, debent hæ quoque ſumi prout ſubſtant divinæ voluntati.

Reſpondetur, D. Thomam ſeparare tam cauſas neceſſarias, quàm cauſas contingentes à decreto, ut prædeterminante, non autem eas ſeparare à decreto, ut præparante. Decretum enim Dei, ſivè efficacia divinæ voluntatis non ſolùm intendit effectus, ſed etiam cauſas præparat. Nam, ut docet Angelicus Præceptor 1. p. q. 19. art. 8. volens quædam fieri Deus neceſſariò; quædam contingenter, *Quibuſdam effectibus aptavit cauſas neceſſarias, quæ deficere non poſſunt, ex quibus effectus de neceſſitate proveniunt: quibuſdam autem aptavit*

Digitized by Google

cauſas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter proveniunt. Deus ergo præparando cauſas neceſſarias dat illis indefectibilitatem, in quâ futurum neceſſarium habet *eſſe* determinatum, & ſubjacet certæ cognitioni. Præparando autem cauſas contingentes dat illis defectibilitatem, in quâ futurum contingens habet *eſſe* indeterminatum, & ideò nulli certæ cognitioni ſubjacere poteſt. Comparando ergo utrumque futurum ad cauſas phyſicè prædeterminatas, utrumque certò cognoſcitur, non ut futurum, ſed ut præſens. Comparando verò utrumque futurum ad cauſas præparatas invenitur ſupradicta differentia, quòd futurum neceſſarium certò & infallibiliter cognoſci poteſt: ſecùs futurum contingens.

COLLATIONES ALPHABETICÆ.

Cum triplici Scientiæ Mediæ funiculo.

CCLXIV. NUllo meliori modo verificabitur, Moliniſtas pigmenta ſua, quibus deformitatem Scientiæ Mediæ tegerent, in apothecis doctrinam S. Augustini impugnantium quæſiviſſe, & inveniſſe; quàm utrorumque dictamina inter ſe conferendo. Tres ad hoc, præſenti paragrapho, ſubijcimus collationes, quas vocamus alphabeticas, eo quòd in illis nuperus Controverſiæ Propoſitor, qui inter Gregarios Doctores ſe accenseri profitetur, cui non tam docere quàm doceri propoſitum fuit, qui iterum atque iterum obteſtatur, ut de plenitudine Angelicæ doctrinę pauxillum quid in eum derivetur, in his inquam; collationibus litteris alphabeti deſignatis, quaſi in primis Scientiæ Mediæ rudimentis, ediſcere poterit quantos ſibi elegerit Magiſtros: *Primus namque diſcendi ardor nobilitas eſt Magiſtri*: quibus quoque Funiculis alligetur, ne viam inconcussorum tutissimorumque utriuſque Solis Dogmatum currere valeat. Hoc pauxillum quid magni beneficij loco habiturum ſperamus, uſque dum plura & ampliora, à Cordatiſſimo & Egregio, id eſt, extra gregem, Doctore D. de la Verdure hujus almæ Univerſitatis Profeſſore Regio & Ordinario in eum deriventur, acutiori quo pollet ingenio.

Digitized by Google

COLLATIO PRIMA.

Molinæ Discipuli.

A.

Certè non video quânam ratione potentiſſimâ libertas arbitrij noſtri, quam experimur, quæque tam apertè in Scripturis Sanctis traditur, cum divinâ prædeſtinatione ita explicatâ cohærere valeat. Molina q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 6.

B.

Omninò liberum non manet ijs, qui electi ſunt, non conſequi coronam, ac proinde libertas eorum læditur, & impeditur. Vaſquez. 1. p. Diſp. 89. c. 10.

C.

Fateor nullâ ratione me poſſe aſſequi quomodò per eam (gratiam prædeterminantem) *non inducatur fatum pluſquam adamantinum.* Leſſius lib. de gratia cap. 16. num. 6.

Impugnatores S. Aug.

A.

Scripta ejus (S. Augustini) *quibus error Pelagianorum impugnatur, infamant, dicentes eum liberum arbitrium penitùs ſubmovere.* Proſper in epiſt. ad Ruffinū. Et Fauſtus, *Dū liberi interemptor arbitrij in alterutrū partē omnia ex prædeſtinatione ſtatutâ & definitâ eſſe pronuntiat.*

B.

Removeri omnem induſtriam tolliq; virtutes ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates. Maſſilienſes in epiſt. Proſp. ad Augustinum.

C.

Sub hoc prædeſtinationis nomine dicunt impugnatores Augustini *in epiſt. Proſp. ad Ruffin. fatalem quamdā induci neceſſitatē.* Et Fauſtus l. 1. c. 4. ait: *Inter gratiæ vocabulū abſconditum erit fatale decretum.*

PRIMUS SCIENTIÆ MEDIÆ FUNICULUS.

CCLXV. Ex hâc collatione hoc formo argumentum. Doctrinæ quæ innituntur principijs contrarijs debent eſſe inter ſe contrariæ: ſed doctrina S. Augustini, & doctrina Scientiæ Mediç innituntur principijs contrarijs: ergo doctrina S. Augustini, & doctrina Scientiæ Mediç ſunt inter ſe contrariç. Conſequentia eſt legitima, & Major evidens. Probatur Minor. Principium cui innititur doctrina S. Augustini, eſt aliquod principium ita magnificans gratiam, ut videatur tollere liberum arbitrium, & ideò difficilis apparet conciliatio libertatis cum gratiâ: Principium cui innititur doctrina Scientiç Mediæ, eſt aliquod principium ita magnificans liberum arbitrium, ut videatur tollere gratiam, & ideò facillima apparet conciliatio libertatis cum gratiâ: ſed hæc duo principia ſunt inter ſe contraria, ergo doctrina S. Augustini, & doctrina Scientiæ Mediæ innituntur principijs contrarijs; ac proindè erunt inter ſe contrariæ.

Digitized by Google

REFUTATIO JUNIORIS MOLINISTÆ.

MOliniſta Junior (de quo art. 2. Appendice ad §. vltim.) ex noſtris funiculis contra GRATIAM PRAEDETERMINANTEM retortis contendit, funem confici poſſe quo ita conſtringamur, ut evadere non poſſimus. *Validis abſque dubio nititur privilegijs* (ut ait S. Eucherius homil. 2. de Paſchate) *qui cauſam de Adverſarij aſſerit inſtrumentis. Speciosa victoria eſt contrariam partem cartulis ſuis, velut proprijs laqueis, irretire, & teſtimoniorum ſuorum vocibus confutare, & æmulum telis ſuis evincere, ut pugnatoris tui argumenta, tuis probentur utilitatibus militare.* Specioſam hanc de Iuniore Moliniſta ſperamus victoriam, dum gratia prædeterminante & illuminante CORDATUM THEOLOGUM fune, quo nos Junior iſte conſtringere vult, conſtrictus ipſe adjudicabitur. Nec difficile erit ejus judicium; quia ſivè in retorquendo, ſivè in diſſolvendo funiculum noſtrum triplicem, hoc ſemper committit peccatum, ut quod ad hominem fecimus argumentum, ſumat ille quaſi abſolutè factum. Mirum certè foret, ſi non cavillando reſpondiſſet! Quid ad primum funiculum dicat videamus.

Primò retorquet eum in hunc modum: *Doctrinæ quæ innituntur principijs contrarijs debent eſſe inter ſe contrariæ: ſed Doctrina Tridentini & Pontificum, & Doctrina* GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS *innituntur principijs contrarijs: ergo Doctrina Tridentini & Pontificum & Doctrina* GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS *ſunt inter ſe contrariæ.* Probat minorem. *Principium cui innititur Doctrina Tridentini & Pontificum eſt aliquod principium ita favens libero arbitrio ut videatur tollere gratiam per ſe efficacem & cui reſiſti non poſſit, & ideò facillima apparet conciliatio libertatis cum gratiâ: principium cui innititur Doctrina* GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS *eſt aliquod Principium ita magnificans gratiam ut videatur tollere liberum arbitrium, & ideò difficilis apparet conciliatio libertatis cum gratiâ: ſed hæc duo principia ſunt inter ſe contraria; ergo &c.*

Quis Scholaris, audiens eaſdem propoſitiones, non judicaret optimè retorqueri argumentum? attamen longè aliud erit Cordati judicium. Nam hic ſtatim percipiet Moliniſtæ cavillum confundentis GRATIAM PRÆDETERMINANTEM, ſivè de ſe efficacem, cum gratiâ cui reſiſti non poſſit: quaſi verò Concilium Tridentinum tollens gratiam cui reſiſti non poſſit, ſuſtulerit etiam gratiam de ſe efficacem ſeu prædeterminantem. Videatur art. 2. §. 4. ubi invictè probatum eſt Concilium Tridentinum diffiniviſſe, GRATIAM PRÆDETERMINANTEM, quam Lutherus & Calvinus dicebant neceſſitare voluntatem, eſſe talem cui reſiſti poſſit. Undè negamus quod aſſumitur ad probationem minoris, nempè, *Principium cui innititur Doctrina Tridentini & Pontificum eſt aliquod principium ita favens libero arbitrio ut videatur tollere gratiam per ſe efficacem.*

Digitized by Google

Id autem quod aſſumpſimus ad Probationem minoris conceditur ab Impugnatoribus S. Augustini, & à Moliniſtis. Concedunt enim Impugnatores S. Augustini principia gratiæ Augustinianæ difficilè ſtare cum libertate, ut videre eſt in Collatione. Concedunt etiam Moliniſtæ principia gratiæ Moliniſticæ facilè ſtare cum libertate; ita eorum princeps q. 14. art. 13. diſp. 13. memb. 2. *Quòd tam facilè ac perſpicuè illa quatuor* (præſcientia, providentia, prædeſtinatio & reprobatio) *ex capite præſcientiæ Mediæ cum libertate cohæreant, ſignum eſt manifeſtum, nos integram legitimamq́ rationem conciliandi tradidiſſe.* Et P. Annatus diſp. 1. cap. 6. *Admiſſâ igitur ſcientiâ Mediâ non eſt difficilè ad intelligendum quomodò Deus prædefinire poſſit actum liberum illæsâ eius libertate.* Eſt igitur manifeſtum, quòd funiculus noſter contextus fuerit ex eis quæ concedunt Adverſarij noſtri: vt autem Iunior Moliniſta juſtum indè funem conficeret, & ritè retorqueret, debuiſſet ex ijs quæ concedimus, & quæ Impugnatores Tridentini concedunt funem ſuum contexere, quod cùm non fecerit, liberi evadimus.

Secundò diſſolvere nititur noſtrum funiculum negando minorem & ad prob. diſtinguendo majorem: *Doctrina* Augustini *videtur tollere liberum arbitrium & doctrina ſcientiæ Mediæ videtur tollere gratiam, malè oculatis tranſeat, oculatioribus negatur.* Iſta imprimis diſtinctio non diſſoluit funiculum, cujus nodus in hoc conſiſtit, quòd Impugnatores S. Augustini credebant Doctrinam Augustinianam eſſe difficillimam ad tuendam libertatem; Moliniſtæ verò credant ſuam doctrinam eſſe facillimam ad tuendam libertatem: ex quo nodus ſtringitur indiſſolubilis, videlicet quòd juxta Adverſarios noſtros, ſivè malè oculati ſint, ſiuè oculatiores, ſemper eſt verum, Doctrinam Augutsinianam directè eſſe oppoſitam Doctrinæ Molinianæ: & ideò non mirum ſi ijſdem argumentis impugnent Moliniſtæ gratiam praedeterminantem, quibus impugnata fuit gratia Augustiniana.

Deindè falſum eſt, ſi credimus S. Augustino, Doctrinam Augustinianam malè oculatis, & non oculatioribus viſam fuiſſe difficillimam ad tuendam libertatem. Ipſe enim ſanctiſſimus Doctor ſuos Impugnatores vocat, *magna & acuta ingenia*, epiſt. 106. *fortiſſima & celerrima ingenia*, de ſpirit. & litt. c. 6. *ingenia quamvis nefando errore perverſa, non tamen contemptibilia*, lib. 2. ad Bonif. c. 3. Sed Impugnatoribus S. Augustini viſa eſt doctrina Augustiniana ad tuendam libertatem difficillima, ut patet in collationibus: ergo non malè oculatis ut Junior Moliniſta diſtinguit, ſed magnis & acutis, imò fortiſſimis & celerrimis ingenijs viſa eſt Doctrina Augustiniana ad tuendam libertatem difficillima.

*

COL-

COLLATIO SECUNDA.

Molinæ Discipuli.

D.

Fatemur liberum arbitrium directè eſſe cauſam cur hîc, & nunc Deus influat in opus, tum per dona ſua, tum per ſeipſum; non autem Deum, aut gratiam, cur liberum arbitrium hîc, & nunc influat. Leſſius lib. de gratiâ, cap. 11. num. 11. Et mox: *Nos quodammodo trahere Deum ad cooperandum.*

E.

Quomodo laudem merentur, ſi credant, & bene operentur, cùm Deus hoc totum in ipſis faciat. Leſſius de gratiâ efficaci, cap. 17. num. 18.

F.

Deus expectat conſenſum voluntatis, cujus uſui ſubeſt, (gratia) *ita ut hæc efficacia* (gratiæ) *ab uſu voluntatis quodammodo pendeat. Ubi hoc auxilium præveniens dedit, jam omninò expectat, ut cooperemur ſuæ gratiæ.* Ibid. cap. 18. n. 1.

Impugnatores S. Aug.

D.

Voluntas hominis divinæ gratiæ ſibi pariat opem, non gratia ſibi humanam ſubjiciat voluntatem. Sic impugnari S. Augustinum refert Proſp. in epiſt. Et quidam apud S. Doctorem epiſt. 107. *ait quòd; ſi velimus fiat* opus; *ſi autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus.*

E.

Nullius enim laudis eſſet & meriti, ſi id in eo Dominus quod ipſe donaverat prætuliſſet. Ita Caſſianus collat. 13. loquens de fide Centurionis.

F.

Vt à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deus expectat; non autem, ut etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infuſionem, & operationem in nobis fiat. Concilium Arauſicanum refert, & anathematizat hanc propoſitionem.

SECUNDUS SCIENTIÆ MEDIÆ FUNICULUS.

CCLXVJ. Ex hâc ſecundâ Collatione ſecundum formo argumentum. Doctrina quæ probatur ijſdem omninò argumentis, quibus impugnatur doctrina S. Augustini, non poteſt eſſe eadem cum doctrinâ S. Augustini: ſed doctrinâ Scientiæ Mediæ ijſdem omninò argumentis probatur, quibus impugnatur doctrina S. Augustini: ergo doctrina Scientiæ Mediæ non poteſt eſſe eadem cum doctrinâ S. Augustini. Optima eſt conſequentia. Major etiam patet, quia ex uno & eodem medio, non poteſt una & eadem ſententia probari, & refutari; cùm probari ſit dicere eam eſſe veram, & refutari, ſit dicere eam non eſſe veram.

Minor verò probatur. Impugnatio unius partis contradictionis, eſt pro-

Digitized by Google

batio alterius partis : cùm enim contradictoria non poſſint ſimul eſſe falſa : medium probans unam partem eſſe falſam, hoc ipſo probat aliam eſſe veram, ſed Molinæ diſcipuli ijſdem argumentis, quibus impugnatur doctrina S. AUGUSTINI, impugnant GRATIAM PRÆDETERMINANTEM, contradicentem doctrinæ Scientiæ Mediæ : ergo ijſdem argumentis, quibus impugnatur doctrina S. AUGUSTINI, probatur etiam doctrina Scientiæ Mediæ.

* REFUTATIO JUNIORIS MOLINISTÆ.

JUnior Moliniſta (de quo in collatione primâ) ſic retorquet hunc ſecundum funiculum : *Doctrina quæ probatur ijſdem omnino argumentis quibus impugnatur Doctrina Tridentini ac Pontificum non poteſt eſſe eadem cum Doctrinâ Tridentini ac Pontificum : ſed Doctrina* GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS *iiſdem omnino argumentis probatur, quibus impugnatur Doctrina Trident. ac Pontif. ergo Doctrina* GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS *non poteſt eſſe eadem cum Doctrinâ Trid. ac Pontif.*

Probat minorem. *Impugnatio unius partis contradictionis eſt probatio alterius : ſed prædeterminantes ijſdem argumentis quibus impugnant Doctrinam Trid. ac Pontif. impugnant ſcientiam Mediam contradicentem Doctrinæ* GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS *: ergo ijſdem argumentis quibus impugnatur Doctrina Tridentini ac Pontificum, probatur etiam Doctrina* GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS.

Impoſturam non ferendam & Cavillationem inſignem contexuit hîc Iunior Moliniſta. Impoſtura apparet, in eo quod dicit nos impugnare Doctrinam Tridentini ac Pontificum, cum tamen conſtanter profiteamur, non aliâ ratione nos gratiam prædeterminantem defendere, niſi quia eam credimus eſſe doctrinam Tridentini ac Pontificum. Cavillatio relucet ex eo quòd non diſtinguat inter nos & Impugnatores Tridentini, quod tamen erat neceſſarium ut validè noſtrum retorqueret funiculum. Nodus quippè illius eſt, quòd ex unâ parte adducantur Impugnatores S. AUGUSTINI cum argumentis quibus Doctrinam AUGUSTINIANAM impugnant; ex aliâ vero parte adducantur Moliniſtæ ijſdem argumentis probantes Scientiam Mediam. Ex quibus duobus nodus funiculi noſtri fit Moliniſtis indiſſolubilis, nempè, ijſdem argumentis probari Doctrinam Scientiæ Mediæ, quibus impugnatur Doctrina S. AUGUSTINI.

Quarè ut Junior Moliniſta juſtum funem ex funiculo noſtro ſecundo conficeret, debuiſſet primò adducere argumenta Impugnatorum Tridentini ac Pontificum, nempe Lutheri & Calvini; deindè oſtendere, quòd ijſdem argumentis, quibus Lutherus & Calvinus impugnant Doctrinam Tridentini ac Pontificum, nos probemus GRATIAM PRÆDETERMINANTEM : tunc potuiſſet concludere, ijſdem argumentis probari Doctrinam GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS, quibus Impugnatur Doctrina Tridentini ac Pontificum. Verùm

Digitized by Google

non poſſunt hoc facere Moliniſtæ, niſi ſibi contradicendo; cum enim aſſumant doctrinam Lutheri & Calvini ad impugnandum Doctrinam GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS, contradicerent ſibi, ſi vellent, nos Doctrinâ Lutheri & Calvini probare GRATIAM PRÆDETERMINANTEM.

Nititur etiam iſte Iunior diſſolvere ſecundum funiculum diſtinguendo minorem: *Doctrina Scientiæ Mediæ iiſdem argumentis probatur, quibus impugnatur Doctrina* S. AUGUSTINI *ab indoctis aut malignantibus, tranſeat; à ſapientibus & orthodoxis, negatur.* Præclara nimis diſtinctio, non diſſoluens ſed indiſſolubiliter ſtringens funiculum noſtrum! Non enim curamus quales fuerint Impugnatores S. AUGUSTINI, ſed ſufficit nobis quòd argumenta, quibus probatur Scientia Media, ſint ipſa argumenta Impugnatorum S. AUGUSTINI, qualeſcumque fuerint illi. Nam iſta argumenta Doctrinæ ſuæ eſſe contraria agnovit S. AUGUSTINUS, alioqui non tractaſſet ſuos Impugnatores ut inimicos gratiæ quam defendebat. Videat modo Junior iſte, quo fune ſe colligavit: Concedit Scientiam Mediam probari iiſdem argumentis, quæ agnovit S. AUGUSTINUS Doctrinæ ſuæ contraria, & quæ idem ſanctus dicit eſſe inimicorum gratiæ Chriſti: ergo concludere cogitur, Doctrinam Scientiæ Mediæ non poſſe eſſe eamdem cum Doctrinâ S. AUGUSTINI, qui non adeò ſtolidus dici poteſt, vt argumenta quæ ſuam probarent doctrinam ipſe impugnaret, & quos fautores haberet, inimicos crederet. *

COLLATIO TERTIA.

MOLINÆ DISCIPULI.	IMPUGNATORES S. AUG.
G.	G.
Cur enim pulſaret, ſi non poſſent aperire? Quomodo diceret: Si quis mihi aperuerit, ſi ipſemet debet aperire per quemdam impulſum, qui non eſt in eorum poteſtate? Leſſius de gratiâ efficaci, cap. 6. refut. 3. n. 7.	*Vt quid nobis prædicatur, atque præcipitur, ut declinemus à malo, & faciamus bonum, ſi hoc nos non agimus ſed id velle, & operari Deus operetur in nobis.* Sic impugnari ſe dicit Auguſt. lib. de corrept & grat. cap. 2.
H.	H.
Datâ eâ ſententiâ (GRATIÆ PRAEDETERMINANTIS) *locus apertiſſimè datur errori illorum Monachorum, qui dicebant, neminem corripiendum eſſe, quod non operetur bonum, ſed orandum eſſe Deum, ut ille largiatur gratiam, auxiliumve effi-*	*Si non fecero, non ego corripiendus ſum, ſed ille orandus ut det quod non dedit. ..... Cum ergo & ipſa voluntas à Domino preparetur, cur me corripis quia vides me ejus præcepta facere nolle, & non potius ipſum rogas? ut in me opere-*

Digitized by Google

cax, quo benè operetur. Molina q.14. a. 13. diſp.53. membr.2.

I.

Si prædeſtinatus ſum quidquid hoc tempore faciam, certiſſimè tandem ſalvabor. Conſultum igitur erit perfrui quibuſcumque potero voluptatibus. Si autem non ſum, ſimiliter etiam quidquid jam faciam, certiſſimè tandem condemnabor. Fruar igitur jam quibus potero voluptatibus. Valentia in 1.p.q.23. diſp.1.p.4.

tur & velle. Apud Auguſt. ibidem cap.4.

I,

Sivè manè rectè vivatis, ſivè non rectè, tales vos eritis poſtea, quales vos Deus futuros eſſe præſcivit, vel boni, ſi bonos, vel mali, ſi malos. Eſt argumentum Impugnatorum S. Augustini, *propter quod* (lib.de dono perſev. c.15. ait) *non deterremur à confitendâ præſcientiâ Dei.*

TERTIUS SCIENTIÆ MEDIÆ FUNICULUS.

CCLXVIJ. Tertium ex hâc ultimâ collatione propono argumentum. *Funiculus triplex difficilè rumpitur*, Eccleſ.4. Eædem doctrinæ debent habere eoſdem effectus: Sed doctrina Scientiæ Mediæ & doctrina S. Augustini non habent eoſdem effectus; ergo doctrina Scientiæ Mediæ non eſt eadem cum doctrinâ S. Augustini. Nihil eſt in hoc ſyllogiſmo probandum præter minorem, quæ ſic probatur. Plurimi acuto valentes ingenio crediderunt doctrinam S. Augustini *impoſſibilitatem præceptorum inducere, fruſtraneas ex eâ fieri correptiones, atque occaſionem deſperationis tribuere*; Sed hos effectus nullus aliquantulo valens ingenio unquam ſenſit, & ſentiet ex doctrinâ Scientiæ Mediæ: & in hoc Moliniſtæ gloriantur: ergo doctrina Scientiæ Mediæ, & doctrina S. Augustini non habent eoſdem effectus.

* REFUTATIO JUNIORIS MOLINISTÆ.

Et hunc funiculum ſic retorquet Junior Moliniſta, de quo in præced. *Eædem doctrinæ debent habere eoſdem effectus: ſed Doctrina* GRATIÆ PRAEDETERMINANTIS *& Doctrina Tridentini ac Pontificum non habent eoſdem effectus: ergo Doctrina* GRATIÆ PRAEDETERMINANTIS *non eſt eadem cum Doctrinâ Tridentini ac Pontificum.*

Probat minorem. *Plurimi acuto valentes ingenio crediderunt Doctrinam Tridentini ac Pontificum eſſe inimicam gratiæ repugnantem* Augustino, *&c. Sed hos effectus nullus aliquantulo valens ingenio (judicio quidem prædeterminantium) unquam ſenſit & ſentiet ex Doctrinâ* GRATIAE PRAEDETERMINANTIS, *& in hoc prædeterminantes gloriantur: ergo Doctrina* GRATIAE PRAEDETERMINANTIS *& Doctrina Tridentini ac Pontificum non habent eoſdem effectus.*

Plauſibilis Scholaribus retorſio, ſed oculatis planè ridicula. Quis enim non

Digitized by Google

rideat veritatis profeſſorem continuis inſiſtere fallacijs? Fallacia eſt, dum ad diverſa alienatur intellectus, ubi ad unum tantummodò reflecti oporteret. Iſta propoſitio, *Eædem doctrinæ debent habere eoſdem effectus*, non reſpectu diverſorum intelligentium, ſed reſpectu unius & ejuſdem intelligentis eſt ponderanda; eſt enim ſenſus, quòd effectum quem in aliquo intelligente cauſat doctrina talis, debet in eodem intelligente etiam cauſare alia doctrina, quæ præcedenti eadem dicitur. Quo poſito dicimus, quòd ſi qui acuto valentes ingenio credant Doctrinam Tridentini ac Pontificum eſſe inimicam gratiæ & repugnantem AUGUSTINO; iidem etiam credent GRATIAM PRAEDETERMINANTEM à Thomiſtis aſſertam eſſe inimicam gratiæ, & repugnantem AUGUSTINO. Ratio eſt, quòd nullus acuto valens ingenio credet Doctrinam Tridentini ac Pontificum eſſe inimicam gratiæ & repugnantem AUGUSTINO, niſi quia falsò putat, gratiam veram quam defendit S. AUGUSTINUS non relinquere potentiam ad oppoſitum: quam tamen potentiam ad oppoſitum: relinquit gratia quæ docetur à Tridentino & Pontificibus. Cùm ergo gratia prædeterminans à Thomiſtis aſſerta relinquat etiam & potentiam ad oppoſitum, neceſſe eſt, ut qui credit Doctrinam Tridentini ac Pontificum eſſe inimicam gratiæ & repugnantem S. AUGUSTINO, credat etiam doctrinam GRATIÆ PRAEDETERMINANTIS à Thomiſtis aſſertæ eſſe inimicam gratiæ & repugnantem S. AUGUSTINO. Undè in retorſione Junioris Moliniſtæ ſuppoſitâ veritate majoris non admittimus minorem ſecundi ſyllogiſmi: & conſequenter non procedit retorſio ex iis quæ concedimus.

At noſtrum tertii funiculi argumentum ex iis quæ ipſis Moliniſtis manifeſta ſunt, nec negare poſſunt, totaliter procedit. Vis enim illius penes hoc attenditur, quòd qui credunt Doctrinam S. AUGUSTINI *impoſſibilitatem præceptorum inducere, fruſtraneas ex eâ fieri correptiones, atque occaſionem deſperationis tribuere*, impoſſibile eſt quod inducantur in eoſdem effectus ſi proponatur ipſis Doctrina Scientiæ Mediæ à Moliniſtis aſſerta; ex quo apertè ſequitur, Doctrinam Scientiæ Mediæ non poſſe eſſe eamdem cum Doctrinâ S. AUGUSTINI. Ratio autem iſtius eſt, quòd nullus acuto valens ingenio credit Doctrinam S. AUGUSTINI *impoſſibilitatem præceptorum inducere*, &c. niſi quia apprehendit conſtitutionem Dei prævenientem omnem voluntatis determinationem, quod impoſſibile eſt apprehendere in doctrinâ Scientiæ Mediæ à Moliniſtis aſſertâ. Undè in noſtro argumento coguntur Adverſarii admittere minorem ſecundi ſyllogiſmi, quia in ly *nullus* debet intelligi *nullus eorum qui credunt doctrinam* AUGUSTINI *impoſſibilitatem præceptorum inducere*, &c. Sic enim ipſis Moliniſtis manifeſtum eſt, nec negare poſſunt, quòd nullus taliter credens ſenſit aut ſentiet eoſdem effectus de doctrinâ Scientiæ Mediæ.

Hinc etiam luculentiſſimè patet, vanam eſſe reſponſionem iſtius Junioris ad noſtrum tertii funiculi argumentum. Reſpondet enim negando mino-

Digitized by Google

rem, & ad Prob. diſtinguit majorem: *Plurimi acuto valentes ingenio crediderunt Doctrinam* S. Augustini *impoſſibilitatem præceptorum inducere, fruſtraneas ex eâ fieri correptiones, rectè aut ſapienter, negatur; ex ignorantiâ Doctrinæ* Augustinianæ, *aut veriùs ex malitiâ, conceditur.* Vana, inquam, eſt hæc reſponſio; quia ſivè ſapienter, ſivè ignorantiâ id crediderint, eſt ſemper verum, quòd qui acuto valentes ingenio hoc credunt, non poſſunt idem credere de doctrinâ Scientiæ Mediæ; & conſequenter Doctrinam Scientiæ Mediæ non poſſe eſſe eamdem cum Doctrinâ S. Augustini.

Quantum verò attinet ad rei veritatem, dicendum eſt, poſteriores S. Augustini Impugnatores non ex malitiâ hoc credidiſſe, cùm Proſper in epiſt. ad August. dicat eos eſſe *egregios in omnium virtutum ſtudio viros*; & ideo temerarium eſt Junioris Moliniſtæ judicium. Quarè ex ignorantiâ Doctrinæ Augustinianæ proceſſit quòd egregii in omnium virtutum ſtudio viri crediderint ipſam *præceptorum impoſſibilitatem inducere, fuſtraneas ex eâ fieri correptiones, atque deſperationis cauſam tribuere.* Non tamen ita quod ignoraverint Conſtitutionem Dei prævenientem omnem voluntatis determinationem eſſe doctrinam S. Augustini, ſed quod ignoraverint & potiùs penetrare non valuerint, qualiter cum iſtâ Dei conſtitutione ſtare poſſet poſſibilitas præceptorum, utilitas correptionis, & firmitas ſpei Chriſtianæ, ut patet in eâdem Proſperi epiſtolâ, cujus verba iterum iterumque reddimus, aureis certè characteribus imprimenda & cordi cujuſlibet Cordati medullitùs infigenda:

Hoc autem propoſitum vocationis Dei quo vel ante mundi initium, vel in ipsâ conditione generis humani eligendorum & reiiciendorum dicitur facta diſcretio, ut ſecundùm quod placuit Creatori alii vaſa honoris, alii vaſa contumeliæ ſint creati, & lapſis curam reſurgendi adimere, & ſanctis occaſionem teporis adferre; eo quòd vtrâque parte ſuperfluus labor ſit, ſi neque rejectus ullâ induſtriâ poſſit intrare, neque electus ullâ negligentiâ poſſit excidere. Quoquo enim modo ſe egerint, non poſſe aliud erga eos, quàm Deus definivit, accidere, & ſub incertâ ſpe curſum non poſſe eſſe conſtantem: cum ſi aliud habeat prædeſtinantis electio, caſſa ſit adnitentis intentio. Removeri itaque omnem induſtriam, tollique virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates, & ſub hoc prædeſtinationis nomine, fatalem quamdam induci neceſſitatem; aut diverſarum naturarum dici Dominum conditorem, ſi nemo aliud poſſit eſſe, quàm factus eſt.

Digitized by Google

Ponderet CORDATUS THEOLOGUS ſingula huius teſtimonij verba, & judicet, ſi quid ſimile unquam ab acuto valente ingenio poſſit Doctrinæ Moliniſtarum opponi; & cùm in tribus ſupradictis Collationibus Alphabeticis omnia iſta verba Moliniſtæ opponant Doctrinæ GRATIAE PRAEDETERMINANTIS, judicet CORDATUS THEOLOGUS quænam ex duabus Doctrinis THOMISTARUM ſcilicet & *Moliniſtarum* ſit eadem cum Doctrinâ S. AUGUSTINI.

Deniquè judicet, quanta ſit firmitas doctrinæ in hoc opuſculo traditæ, & quàm verè à Vicario Christi dictum ſit, tutiſſima & inconcuſſa eſſe utriuſque Solis dogmata; quandoquidem Junior Moliniſta rationes noſtras nec à limine quidem auſus fuerit refutare, ſed ſolum hinc indè quædam carpſerit, quæ fortè minùs antè explicata, nunc noſtris refutationibus ita manent elucidata, ut non dubitem Scientiam Mediam ſequentibus ſæculis de cordibus eorum in quæ fortè aſcenderit, præcipitandam eſſe deorſum. Debuiſſet Junior ille ſuos defendere ab impoſturis, truncationibus textus, falſis citationibus, omnibuſque cauillationibus, quas in hoc opuſculo ad examen revocavimus. Cur non fecit? quia certè non potuit; res enim eſt de ſe clariſſima, nec ingenio, ſed ipſis oculis ſtatim diſcernitur. Judicet ergo CORDATUS THEOLOGUS, an non Moliniſtis meliùs ſit eos inpoſterum tacere, quàm ſuam inſufficientiam vaniloquiis prodere?

COROLLARIUM.

Totius opuſculi, & conficta propoſitionum Leſſii approbatio.

CCLXVIIJ. CUm primo hujus opuſculi Cap. demonſtratum ſit, Scientiam Mediam eſſe gratiæ inimicam, S. AUGUSTINO & THOMAE contrariam, libertatiſque everſivam; & in decurſu capitis ſecundi oſtenſum ſit, eam non aliter defendi, quàm falſa imponendo, auctoritatibus Sanctorum & maximè utriuſque Solis abutendo, ac argumentis Impugnatorum AUGUSTINI utendo; fateri debet ſupradictus controverſiæ propoſitor, non à præſumptuoſo parumque cordato, ſed à ſincero veritatis amatore potuiſſe dici:

SCIENTIAM MEDIAM ESSE AB OMNI CORDATO THEOLOGO EXPLODENDAM.

Nec debent Moliniſtæ de conſequente indignari, ſed bonitatem conſequentiæ debent attendere, & antecedens veritate, non auctoritate infirmare.

Digitized by Google

Colligant bona fide ſyllabos Auctorum, quod tamen minimè faciunt, (ut invictè oſtendit eruditiſſimus P. Faſſeau Ordinis Prædicatorum in præclaro ſuo opuſculo cui titulus, *Authoritas Germani Philalethis eupiſtini pro Scientiâ Mediâ contrà prædeterminationes phyſicas exauthorata*) Mille & mille magiſtros ſibi coacervent, antecedente verò ſemper vera permanebit ſupradicta concluſio.

Dices. In Edicto Octavij Calatini Apoſtolico Sixti V. mandato anno 1588. ad Lovanienſes dato, propoſitiones Leſſij à Lovanienſibus damnatæ vocantur *ſanæ doctrinæ articuli.* Quibus verbis prius à Sixto V. rerum Theologicarum peritiſſimo fuerunt approbatæ, tum in ampliſſimo Cardinalium Cœtu qui ſuper iis ſententiam rogati, ut *ſanæ doctrinæ articulos* comprobarunt, tum in litteris quibus Octavium conſtituerat judicem, ut refert Iſacus Habert in defenſione fidei c. 15. § 14. Atqui in prędictis Leſſij propoſitionibus continetur doctrina Scientiæ Mediæ: ergo doctrina Scientiæ Mediæ, *ut ſanæ doctrinæ articulus*, eſt comprobata; Quis igitur dicere audebit eam eſſe explodendam niſi præſumptuoſus & parum cordatus?

CCLXIX. Reſpondetur falſiſſimum eſſe, propoſitiones Leſſij à Sixto V. fuiſſe approbatas, ut ſanæ doctrinæ articulos, & totam illam recitationem D. Habert eſſe meram impoſturam, quam deſumpſit ex theſibus Jeſuitarum Lovanienſium. Hæc enim verba Sanae Doctrinae Articvli, non ſunt verba Sixti V. ſed Nuncij Calatini, qui prædicta verba non determinat ad propoſitiones Leſſij, ſed dicit diſſenſiones ortas eſſe, ſuper quibuſdam ſanæ doctrinæ articulis. Sic enim loquitur Calatinus: *Cùm igitur nos Coloniæ commorantes, quaſdam opinionum diſſenſiones ortas eſſe cognoverimus inter Univerſitatis Lovanienſis Theologos, & Sacerdotes Societatis Ieſu Theologiam profitentes* super quibusdam sanae doctrinae articulis, *quibus fidelium unitas ſcindi, ac Chriſti corpus lacerari poſſet, niſi maturè ſapienterq́ue occurreretur: Eas non ſolùm S.D.N Sixto Papæ V. Sanctæq́ue Sedi Apoſtolicæ ſignificavimus, ut tam periculoſo ſubſidio obviam iretur, ſed quâ potuimus diligentiâ litteris proprijs utramq́ue partem monuimus, obſecravimuſq́ue ut à diſceptationibus hujuſmodi quoad ſua Sanctitas quæſtiones controverſas definierit, tum verbo, tum ſcripto deſiſteretur: quod ut faceremus, Apoſtolico mandato ad nos directo juſſi ſumus.*

Ex quibus verbis patet, quòd ſolummodò mandatum Apoſtolicum habebat Calatinus ad impediendum diſceptationes, uſquè dum ſua Sanctitas quæſtiones controverſas definiviſſet. Si autem propoſitiones Leſſij, vt ſanæ doctrinæ articulos declaraſſet, tranſgreſſus fuiſſet ſuum mandatum, & judicium Sanctæ Sedis uſurpaſſet: Siquidem ipſe totum controverſiæ punctum determinaſſet. Unde cum quidam Societatis Profeſſores hic Duaci traherent ad doctrinam Leſſij prædicta verba Calatini, reſcripſit Facultas Duacēſis ad Calatinum, expoſtulans aliquam punitionem tantæ temeritatis. Verba epiſtolæ ſunt.

Profeſſor Theologus in dictato quodam extraordinario ex illis edicti verbis: ſuper quibuſdam

buſdam SANÆ DOCTRINAE ARTICULIS, *contendit ſuam, ac ſuorum doctrinam ab Illuſtriſſimâ Paternitate veſtrâ ſanam appellari, videlicet contra totius edicti ſententiam & ſcopum, qui eſt neutram partem probare vel improbare, ſed totum judicium S. Sedi Apoſtolicæ integrum relinquere, quæ illorum Profeſſorum temeritas, merito ſeveriorem aliquam coercitionem quæ in poſterum ab hujuſmodi peccandi periculo longiùs eos removeret, poſtulare viſa fuit, & adhuc poſtulat; tametſi ut diximus, & ut ex ipſis pacti verbis clarè intelligitur, non imperio, ſed ſola amicabili ratione erga eos uſi fuerint Epiſcopi.* Ita epiſt. Facult. Duac. ad Nuncium Apoſtol.

CCLXX. Manifeſtiſſimum igitur eſt, quòd nunquam in favorem Leſſij judicaverit Sixtus V. Imò clarè oſtenditur, quòd Leſſium improbauerit. Præcipua ſiquidem inter Doctores Lovanienſes, & Leſſium controverſia erat de Prædeſtinatione ante aut poſt præviſa merita. Doctoribus Lovanienſibus aſſerentibus prædeſtinationem eſſe ſine præviſis meritis, negante id Leſſio. Hanc autem Leſſij ſententiam reprehendit Sixtus V. ſi verum eſt quod Celeberrimus Societatis ſcriptor Henriquez aſſeruit de ultimo fine hominis cap. 12. qui hanc Leſſij ſententiam aſſerit eſſe contra S. AUGUSTINUM, *quem*, ait, AUGUSTINUM *Patres in Concilijs, & major meliorq́ue pars Theologorum antiquorum, & torrens recentiorum Sapientum ſequitur in omni ferè Academiâ orbis Chriſtiani. Quidam doctus prædicavit in Academiâ Lovanienſi oppoſitum, cum magno ſcandalo Academiæ & re ad Sixtum V. delatâ, ſuſtinuit ſuæ temeritatis acrem reprehenſionem.*

Quomodò denique ſpeciem aliquam probabilitatis habere poterit Pontificem approbaſſe, ut ſanæ doctrinę articulum, hanc propoſitionem Leſſij ab utrâque Facultate Lovanienſi, & Duacenſi cenſuratam, ſcilicet, *Liber aliquis (qualis fortè eſt ſecundus Machabæorum) humanâ induſtriâ ſine aſſiſtentiâ Spiritus Sancti ſcriptus, ſi Spiritus S. poſtea teſtetur ibi nihil eſſe falſum, efficitur Scriptura Sacra.* Cùm tamen Apoſtolus dicat 2. Timot. 3. Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt, &c.

CCLXXI. Hanc hiſtoriam fuſiùs deduxi, ut notum fieret non facilè credendum his, quæ in quæſtionibus facti in hâc materiâ, & alijs, contra Diſcipulos utriuſque Sancti Doctoris, adducuntur à Moliniſtis. Non enim ex ſyncero veritatis amore procedunt. Quod magis adhuc conſtabit, ſi quis reflectat ad artificium, quò gradatim in iſtâ confictâ Leſſij approbatione proceſſum eſt. Primò enim dixerunt, Calatinum approbaſſe propoſitiones Leſſij ut ſanæ doctrinæ articulos, non faciendo mentionem Pontificis, quia tunc nimis apertum fuiſſet commentum. Deindè proceſſu temporis in Theſibus Lovanienſibus prædicta verba dixerunt eſſe Sixti V. Poſtmodum D. Habert addidit prædictam approbationem fuiſſe factam in aliquâ Cardinalium Congregatione, & poſt longam profundamq́ue diſcuſſionem. Ulterius notatu dignum eſt non citatas fuiſſe in objectione Theſes Lovanien-

Digitized by Google

ſium, à quibus tamen conficta fuit hiſtoria, ſed Doctorem Habert, ut majus pondus haberet commentum.

* Ad hæc Junior Moliniſta (de quo in Collationibus Alphabeticis) planè obmutuit. Attamen ut aliqualiter vices mihi redderet de prædicto commento, arguit etiam me mendacij, quòd ad Candidum Lectorem ſignificaverim me retractare ea quæ priùs de Scientiâ Mediâ tenueram re melius examinatâ. Verùm non conſideravit, quòd nomen Philalethis ſit nomen perſonæ aſſumptæ, quæ verè & falsò poteſt aſſumi. Vndè verè aſſumpta potuit retractare ea, quæ dixit falsò aſſumpta; idque ad cujuſdam ſignificationis myſterium, quod ſuo tempore revelabitur. *Verax ſignificatio* (ait S. Augustinus lib. contrà mendacium c. 10.) *nullo modo mendacium rectè dici poteſt: ut autem in facto, ita & in verbo.* *

CCLXXIJ. Hic finem pono, & profiteor coram omni Cordato hoc me opuſculum ſincero ſolius veritatis amore ſuſcepiſſe & perfeciſſe. In quo ſi quid doctrinæ Sacroſanctæ Matris Eccleſiæ aliquo modo contrarium, & ut uno verbo dicam, ſi quid doctrinæ utriuſque Solis S. Augustini & D. Thomæ aliquâ ratione diſſonum, aut minus conſonum dixi, aut aliqualiter innui, illud iterum atque iterum libentiſſimo animo retracto. Amore, dico, veritatis perfectum à me hoc opuſculum. Vidi enim non ſine ingenti dolore præclaram illam Societatem, quæ à Deo ſpecialiter electa erat ut eſſet magiſtra veritatis, factam fuiſſe magiſtram Scientiæ Mediæ; quę electa erat ut depoſitum doctrinæ gemini Solis cuſtodiret, maluiſſe ſententiam ex ingenio unius privati ſcriptoris, fatentibus ipſis adverſarijs, ortam cuſtodire; quæ ex nomine electa erat ut gratiam Jesu victricem defenderet, elegiſſe potius Gratiam Molinae verſatilem propugnare. Vidi inquam Moliniſtas veritatem non tam quærere, quàm involvere; & magis poteſtate, quàm veritate pugnare. Ideò ſic dimiſit eos Deus in adinventionibus ſuis, ut eorum in Ethicis dogmata apud pleroſque eruditos modò non in levem laxitatis intolerabilis ſuſpicionem traducantur. Quare ne dimittar & ego in adinventionibus meis, depoſitum Gratiae Victricis et Praedeterminantis, fortiter & invictè cuſtodiam. *Si quis eſt Domini jungatur mihi:* unaque mecum ex Augustino contra Adimant. cap. 16. Deum adverſus Gratiam Versatilem jugiter ſic deprecetur:

Ita Domine, ita fac miſericors Domine, impera quod non poſſit impleri, imò impera quod non niſi per tuam gratiam, poſſit impleri; ut cum homines per ſuas vires id adimplere nequiverint; omne os obſtruatur, & nemo ſibi magnus videatur.

Ad majorum Dei, & Gratiae Jeſu Chriſti Victricis, & praedeterminantis gloriam, & honorem.

Digitized by Google

EPILOGVS
AD CANDIDVM, ET CORDATVM
LECTOREM.

Ecce tandem eorum Compendium habes (*Candide Lector*) quæ poſt non exiguam commentationem animo complexus ſum, quod excuſſo veterno, & inanibus Neothericorum ſomnijs diſſipatis reſipiens profero: majorem, ut exiſtimo, ſibi fidem apud omnes iſta conciliabunt; quòd à me proferantur, qui Scientiæ Mediæ penitioribus olim aſſuetus, cum ejus propugnatoribus cæteris (rei, ut ſolent, fide ſuppoſitâ) miro ſtudio non ita pridem contendebam, ut pretioſæ illius margaritę perditionem amolirer: quam à nullis Sanctorum Patrum [a] traditam, ab Impugnatoribus AUGUSTINI ereptam, quâ illi abutebantur, in uſum ſacrum Molina ſagaciſſimè reduxit; cujus veluti monilis elegantíoris acceſſione, Eccleſiæ forma (priùs cum ſolo AUGUSTINO [b] aſperior, & quaſi [c] caliginoſa filios abſterrens, ſæpè in ſuorum hoſtium [d] partes transfugas agebat) novo luminis ſplendore decoraretur; ut jam in vota humana facilis, intricatiorem liberi arbitrij crinem decomendo liberiùs componat: quâ imprimis animi benignitate aberrantes in ſinum reducendos allicit, ex quorum mentibus inhærentes difficultatum aculeos nullo negotio evellit, quos tota retrò non potuit [e] Antiquitas evellere. Vt indè pateat quàm improbo labore, quantis rationum momentis ſuperanda mens illa erat, ingenti tantæ rei imagine præoccupata. Victa tamen eſt, & ſenſim præconcepta cœpit imago evaneſcere, cum rei intimiora ad rationis, & totiùs retrò Antiquitatis limam attentiùs revocaui. Periculoſum cum Baronio [f] putavi, nova arma, veteribus abjectis, profligandis hæreticis conquirere, cùm antiqua ſufficere revincat promiſſum ſponſæ, juge Chriſti aſſiſtentis auxilium; poſſe latere cum S. AUGUSTINO [g] exiſtimavi inimicos gratiæ, in laude naturæ: his demùm dogmatibus comperi Eccleſiam deprimi, non extolli; exponi, non propugnari. Quæ ſanè omnia, licet exquiſitis ratiuncularum acervis, obducto eloquentiæ nitidioris fuco, a Molinæ ſequacibus ſtudioſiſſimè contegantur; omnibus aperire contendi, viâ prorsùs oppoſitâ: coacervatis enim ratiuncularum (verius captiuncularum, ut oſtendi in Pigmentis Scientiæ Me-

diæ) agminibus, rationem unam oppoſui, quę totum, nî fallor, Scientiæ Mediæ ædificium diſijcit in fundamento: cujus efficacia cum nullâ elidi valeat ſolidâ reſponſione, clariſſimè propalat eorum quę ſuperexſtruuntur inanitatem delicatulis ſublimioris eloquentiæ lenocinijs, ſeveram ſtyli depreſſioris claritatem objeci, veritatem (quæ nudè proponi amat) extraneo artis conatu ratus ineptè adjuvari. Quærant alii ſtudioſam verborum proprietatem, ut placeant, ambitioſum ſententiarum ornatum, ut alliciant, concinnos periodi caſus, ut illaqueant: ab iis nos datâ induſtriâ abſtinuimus; quibus veritas, ex proprio, non ex alieno fonte haurienda proponebatur. Enimverò cauſæ ſuæ diffidere viderentur, qui adjumenta hujuſmodi ad Theologici negotii elucidationem neceſſaria putarent: niſi eâ ratione, non doctrinæ tractatæ, ſed propriæ perſonæ conſultum vellent; ut ſi minus apud Theologos audirent, non ſtatim propterea, vel perſona, hominum ſibi conviventium æſtimatione, vel prolati libri manibus omnium decederent: libri quidem ad humaniorum didaſcalos deploratâ cauſâ decidui, monſtrum aliquod Aphtonij, vel alterius hujus farinæ penderentur; perſona verò non minus inter primi ſubſellij Antiſtites conſideret, cujus videlicet defectus Theologicos polimathica ſupplerent. Quæ ſi Cordatiori mentis indagine expendere velis (CANDIDE LECTOR) non dubito quin facilè mecum conſenties Scientiam Mediam partum veritatis non eſſe genuinum. Interea dum ampliora paramus, tantillo hoc labore noſtro fruere, & vale.

a. *Molina in Concordiâ q. 23. art. 4. & 5. diſput. 1. membro 6.*

b. AUGUSTINI *ſententia de prædeſtinatione dura nimis, indignaq; Dei bonitate, idem ibidem.*

c. AUGUSTINUS *quaſi ſub caligine conſtitutus, idem ibidem.*

d. *Ex* AUGUSUINI *opinione tot fideles fuêre turbati, ad Pelagianoſq; defecerunt, idem ibidem.*

e. *Ex Scientiâ Mediâ ſequitur hæreticos in hâc materiâ ſemper fuiſſe victores ante Molinam. Philip. à SS. Trinitate tract. de grat. diſp. 4. dub. 10.*

f. *Videant quanto periculo quidam ex recentioribus dum in novatores inſurgunt, ut eos confutent à ſententiâ* S. AUGUSTINI, *de prædeſtinatione recedunt, cùm alioqui arma non deſint, quibus hæretici profligentur. Baronius tom. 6. ad ann. 490.*

g. *Vt lateant inimici gratiæ in laude naturæ,* AUGUSTINUS.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ... VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ERRATA.

Pag.	Lin.	ERRATA.	SIC CORRIGE.
7.	31.	utroque.	utrique
10	5.	*ſubſidio*	*diſſidio*
32.	19.	reſonant	reſerant
38.	13.	SEQUITUR SEPTIMÒ.	SEQUITUR QUINTÒ
47.	34.	*ut deſeretur*	*ut deſereretur*
94.	11.	*verbis*	*herbis*
132.	22.	*Primus*	*Secundus*
	23.	*Secundus*	*Primus*
176.	ult.	*caret præ-deter-*	*caret prædeterminatione neceſſariâ ad illum eliciendum, ſed etiam habet præ-deter-*
194.	29.	in voluntatem	in voluntate
	33.	habet	habeat
196.	10.	vioſos	vitioſos.
201.	13.	*cum Deo*	*cum eo*
208.	2.	precedit	procedit
224.	22.	ex prędetermi-natione	ex indetermi-natione,
273.	13.	irriendi	irridendi
297.	35.	*à nullo duro*	*à nullo duro corde*
299.	32.	oſtenderet	oſtenderem

Digitized by Google

Digitized by Google

5- 5-4

Digitized by Google